6
40/K
30

Casa prof. Dom. soc. Jesu inscr. cat. Bibl. com.

CATENA IN BEATISSIMVM IOB ABSOLVTISSIMA,

E quattuor & viginti Græciæ Doctorum explanationibus contexta,

A PAVLO COMITOLO, PERVSINO, SOCIETATIS IESV

E Græco in Latinum conuerſa, atque ab eodem nunc iterum edita, nec non multarum, magnarumq. rerum, quas tertia pagina indicabit, acceſſionibus locupletata.

Adducto Indice rerum, & verborum vberrimo.

CVM PRIVILEGIIS.



VENETIIS, APVD IOLITOS.
M. D. LXXXVII.

RES, QVARVM EST HVIC
COMMENTARIO AB INTERPRETE
adiuncta acceſsio, hæ ſunt.

I. *DE huius Catenæ Auctore pleniſſima Diſputatio.*

II. *Doctorum, e quorum explanationibus variæ Catenæ cōſtant, indices, ſeu Catalogi multiformes.*

III. *Decem Capita Prolegomenon in Iob.*

IV. *Polychronij Epiſcopi Apameæ, atque Olympiodori Alexandrinæ Eccleſiæ Diaconi Hypotheſes in librum Iob: eiuſdemq; Olympiodori Protheoriæ nonnullæ de alijs græcis expreſſæ Codicibus.*

V. *Lectiones uariæ ad ſacræ hiſt. uerba ſpectātes quāplurimæ; quas arithmeticis notis indicauimus.*

VI. *Multiplicis eruditionis obſeruationes non paucæ; quæ exilibus litterarum notis oſtenduntur.*

VII. *Nonnullarum ſententiarum, quæ ab huius Commentarij Doctoribus vſurpatæ ſunt: & quæ lectorum intelligentiam, atque animum aut offendere, aut demorari poſſent, tutæ explicationes.*

IIX. *Complura, tum e Vaticanis, tū ex alijs deprompta Catenis, et in hanc collata: quæ ſingulorū cap. additionibus continentur: Additiones vero ipſas litterarū notis grandioribus latinis ſignificauimus.*

IX. *Pleraque ſententiæ græcæ e Patrum Commentarijs in marginem paginarum tranſlatæ.*

X. *Poſtremo diuinorum voluminum teſtimonia earumdem paginarum adſcripta marginibus.*

INTERPRETIS ADMONITIO AD LECTOREM.

LIBRVM hunc Lugdunenſibus typis primum excuſum, cum Autographo, manuq. noſtra ſcripto exemplari haud oſcitanter contulimus. In eo, quod ſane moleſte tulimus, tam multa non ſolum uerbis, ſed ſententijs etiam immutata reperimus; ut ad ea corrigenda ſecundam hanc editionem Venetam, cui ipſi præfuimus, adhibere coacti ſimus. Hac enim ratione, quæ aliena erant, demere, noſtra reſtituere; deprauata ſanare facile potuimus. Nõnullas etiam ſententias græcas, quæ in primo Commentario latino latina carebant interpretatione, ex aliorum, ueterumq. Codicum contentione fideliter explanauimus. Igitur ipſi tamquam noſtram, ac legitimam greci Commentarij interpretationem hanc ſolam agnoſcimus, quæ hoc anno M. D. LXXXVII Venetijs apud Iolitos, nobis agentibus, & corrigentibus, eſt typis mandata. Vale.

ANTO-

ANTONIO CARAFFAE,
CARDINALI AMPLISSIMO.
PAVLVS COMITOLVS, PERVSINVS,
SOCIETATIS IESV S. D.

ABSOLVI, Deo Duce, Cardinalis ampliſsime, quæ tuo hortatu, ac iuſsu iampridem mihi inſtituta erant. Et has varias Græcorum Patrum in Iobum explanationes, te auctore, conuerti; quanta voluptate non dixerim: non tam, quia tuo delectabar imperio, quod ipſum mihi ſemper accidit iucundiſsimum; quàm quòd res erant eiuſmodi; vt ſtatuerem nihil imperari potuiſſe prudentius. Sentient docti, qui Theſaurum hunc tam diu abditum ſumere in manus volent. Sed quoniam placuit conſilij tui fructum communicare cum multis, & lucubrationes has noſtras in lucem edere; faciendum mihi putaui; vt, quo auctore me ad opus contuli, eius quoque auctoris nomini opus ipſum deſponderem. Sic enim fieri poſſe putabam; vt meum hoc, quidquid eſt laboris, cum in hominum conſpectum venire non auderet, tuis illuſtratum titulis, nullius oculos reformidaret.

Suadebant

Suadebant hoc officium tum tuæ vitæ rationes ab ineunte ætate ſuſceptæ;qui cum ſis educatus in litteris;& vtriuſq; linguæ latinæ,& græcæ Societatem ſtudioſe colueris; nemo erat,cui hos meos interpretandi conatus offerre mallem, quàm ei, qui his ipſis rebus excelleret. Ad hanc item officij rationem perſequendam magnum mihi fuit inuitamentum vita iſta tua;quam ſi in priuatis, & obſcuris hominibus admiramur;in te tanto eſt admirabilior,quanto eſt perſona, quam geris illuſtrior. Ea fecit,vt huius libri,qui de Deo,deq; rebus altiſsimis totus eſt, tu potiſsimum Patronus adoptarere; cuius mens in rerum cœleſtium ſtudio,ac tractatione ſacrarum litterarum,tamquam in ſuo pabulo conquieſcit. Suadebant denique, vel potius hoc ipſum munus imperabant plurima, atque egregia tua in noſtrum Ordinem beneficia, nec minime obſcuræ amoris ſignificationes; quibus niſi aliqua viciſsim, vbi eſt data facultas, noſtræ voluntatis indicia, & documenta reſpondeant; vix videamur effugere poſſe inſignem quamdam ingrati animi notam. Perge igitur fouere, ac tueri, quos cæpiſti: & tenuem hanc vigiliam meam noli aſpernari. Nam non modo Parentes filiorum, ſed Principes etiam viri, a quibus obſeruantur, eorum munuſculis ſæpenumero delectantur. Vale.

INTER-

INTERPRES CHRISTIANO LECTORI.

QVINQVE ſunt, Chriſtiane Lector, quæ in huius voluminis primo aditu, ueſtibuloq. te ſcire arbitror oportere. Primum. A quibus interpretibus huius facta ſit libri explanatio. Deinde. Ab huius Cõmentarij grauiſsimis auctorib. ad quem ſcripturæ diuinę ſenſum perueſtigandũ ſit magna cura adhibita. Tũ. Quam illi ſacrorũ librorũ editionem ſint in cõmentando ſecuti. Poſt. Cuiuſnã diligẽtia, & ſtudio tot explanatorũ notatæ interpretationes fuerint, & ſummo iudicio quaſi in unum corpus illigatæ. Ad extremũ. Cur ipſi duplici capitũ partitione uſi ſimus. A primo igitur ordiamur. Nẽpe ij ſunt huius Cõmentarij auctores; ut nec uetuſtate, nec ſapiẽtia alios proferre poſsit Græcia ſuperiores. Quattuor enim, & uiginti extitere, qui ſuis doctiſsimis lucubrationibus difficillimũ hunc Iobi librũ mirifice illuſtrarunt: Dionyſius Areopagita, Clemens, Origenes, Didymus, Euagrius, Baſilius, Gregorius Nazianzenus, Athanaſius, Chryſoſtomus, Cyrillus, Methodius, Apollinarius, Theophilus Alexãdrinus, Iſidorus, Euſebius, Polychronius, Ephrem, Nilus, Alexander, Iulius, Iulianus, Seuerus, Seuerianus, Olympiodorus. Qui omnes, vno excepto Olympiodoro, ferme ducẽtis annis Magno Gregorio,[a] qui ſe primũ huius libri explicatorẽ eſſe exiſtimauit, anteceſſerũt. Ijs autẽ prima cura fuit; ut ea ſcripturæ ſenſa, quæ hiſtoriã propius attingunt, ſedulo explicarent: de quo

[a] *Greg. in epiſt. ad Leandrum in expoſitione libri Beati Iobi.*

gratia

a Eſſe hiſtoricum ſenſum in ſacris voluminibus difficillimum, auctor eſt Hieronymus in præfatione in Abdiā Prophetam, & D. Auguſt. in primo lib. Retract.

gratia eſt ijs doctoribus habenda maxima. [a] Quod enim eſt in diuinis ſcripturis, ſi D. Hieronymo, & Auguſtino credimus, difficillimum, id nobis enodarunt. Nec non ad ceteros ſenſus, quos illi τῆς θεωρίας, καὶ τῆς διανοίας nomine ſignificāt, vbi res ferat, interpretādo ſæpe deſcendunt. Editionē vero ſacrorum voluminū eā ſecuti ſunt, quā a duobus illis & ſeptuaginta gentis Hebrææ ſummis uiris, trecētis annis, ante factā Apoſtoli acceperunt; atq; illi ipſi ſacrorū Principes orbi Chriſtiano tradiderunt: qua ipſos quingentos annos cunctas Orientis, & Occidentis Eccleſias uſas eſſe nō ignoramus. Iam uero de ſcriptore Catenæ hęc nobis eſt firma ſententia; acerrimo uirū ingenio Olympiodorū Alexandrinæ Eccleſię Diaconū ſuperiorū Doctorum cōcinnas, eruditasq. interpretationes collegiſſe; atq; ex ijs hoc admirabile opus coagmentaſſe. Illum uero unū huius coagmētationis auctorē, & architectū extitiſſe ea perlonga diſputatione, quę huic epiſtolæ proxime adiuncta eſt, vel ſeueriſsimis diſceptatoribus probatū eſſe cōfido. Nec tibi illud admirationem efficiat; quòd libri partitio in certa capita, quā ſecutus eſt Catenæ auctor, cū latinorū Bibliorū diuiſione haudquaquā conſentiat. Totum enim volumen aliquod in plura, pauciorauе capita diſtribuere permiſſum eſt interpreti. Ergo ille ad ſuā interpretandi rationē diuiſionē capitū accommodauit. Nos, vt latinis gratificaremur, latinam etiam diuiſionē cōplexi eā ſuis, certiſq. locis indicauimus. Ipſi autē, qui plenum e tot Patrū interpretationibus effectū Cōmentariū de græco in latinum conuertimus, illud,

quantum

quantũ in nobis fuit, ſedulo curauimus; ut nullũ uerbũ græcũ, quod nõ latino exprimeretur, prætermitteremus. Quamquã eius item rei multo nobis maior eſt habita ratio, ut, ſacra ſe poſita hiſtoria, in qua interpretanda uerbũ pro uerbo reddidimus, ceterorũ explanatorũ nõ uerba Lectori annumeraremus, ſed tamquã appenderemus. Quod reliquũ eſt, ſi noſtræ interpretationis labor haud fructu caruit ſuo; primũ CHRISTO IESV, cuius ope, & ductu, quod conati ſumus, tandẽ perfecimus; deinde Antonio Caraffę Cardinali Ampliſſimo gratiæ agendæ ſunt, & habendæ. Eius enim cõmentarium græcũ fuit, quod uertimus: eius uertendi cõſiliũ: eius imperio e Vaticanis Codicibus uetuſtiſſimis gręce, calamoq. exaratis ex ſcripta per multa, atq; ad me miſſa, quæ per litteras ego illũ obnixe rogarã. Tantã ampliſ. Cardinalis benignitatẽ Ioan. Vincentius Pinellus, cuius apud me gratia ſemper integra erit, eſt egregie imitatus. Vir is, qui cũ ijs bonis omnibus abundet, quę per ſe ipſa cara cuiq; eſſe debent; & quorũ eſt excellens in animorum laude præſtantia; ne is ſe ipſe fugere; ne naturam ſuã odiſſe uideretur; cũ intelligat ſe ad amicorũ potius, quàm ad ſua, & priuata cõmoda natum eſſe; librum ſuum græcum huius noſtri haud diſſimilem, ſęculorum aliquot antiquitate cõmẽdatum e ſua Bibliotheca mea cauſſa prompſit; atque ad me Venetias deferendum curauit: e quo ſumpſi quamplurima, ſine quibus uix Commentarium hunc noſtrum Lugduni ſuperiore anno impreſſum, hoc tempore, quo ſecundã editionem moliebamur, expolire, atq; abſoluere licuiſſet.

★★ DE

DE HVIVS AVCTORE
CATENAE DISPVTATIO.

IN quarto capite epiſtolæ noſtræ ad Chriſtianum lectorem, quod caput eſt de huius collectitij Commentarij opifice, atque ſcriptore, erat noſtra ea de re in Lugdunenſi Catena ſententia explicata compreſſius. Quæ ſane iuſta cauſſa eſt viſa nonnullis non ſolum de Catenæ auctore ſecus opinandi, verum etiam ſtatuendi. Quod ipſum confidentius ab eo factum eſſe animaduerti, qui elaborata epiſtola, quæ Lugdunenſibus typis excuſa, meoq; in libro intexta antea manauit in vulgus, quàm ad me ſcripta perferretur, probare nititur huius e diuerſis magnorum auctorum explanationibus compacti, & coagmentati operis longe alium, atque prodideramus ipſi, architectum eſſe, eumq; architectum non Olympiodorum Alexandrinæ Eccleſiæ Diaconum, ſed Nicetam quemdam Heracleæ Epiſcopum ſibi plane videri: quibus autem argumentis, ac coniecturis, poſtea. Scripto admonitus a me homo ille minime pertinax, nec ciuilis officij imperitus, nimirum ſenſit ſe captioſa probabilitate deceptum, leuibusq; coniecturis ab iudicio veriore abductum: itaque ſemel, & iterum ad me datis litteris, errati eſt veniam deprecatus: ſententiam illam ſuam retexuit: in noſtram pedibus, manibusq; vt eius verbis vtar, ſe venire profeſſus eſt: &, quòd paullum oppido in eo, quod fecit, ſe vidiſſe cognouit, ſecunda libri editione, ad quam me vehementius hortabatur, pollicitus eſt, quod in epiſtola ab eo peccatum erat, vtcumque ſe correcturum: fidemq; ſuam liberaſſet; ni grauioris morbi vi, quæ ſuperiore illum æſtate arripuit, celerius multorum eſſet opinione conſumptus. Itaque tum demortui æquiſſimæ voluntati, tum viuorum honeſtiſſimis ſtudiis ſatisfactum erit; ſi cum auctorem, quem in Catena Lugdunenſi lectoribus quaſi per tranſennam ſtrictim adſpiciendum obiecimus, palam nunc ante omnium oculos ſtatuamus. Ac ne opinioni noſtræ nimium blandiri videamur; ita diſſeremus: vt primum, quæ in reliquorum ſententijs probabilia ſunt, ſedulo videamus, ac depellamus: Deinde noſtræ opinionis veriſimiles conie-

cturas,

ctturas, & argumenta perſequamur. Is igitur, qui in epiſtola ad me miſſa Lugduno negat ſe illuc adduci potuiſſe, vt quæ ſentirem ipſe de auctore Catenæ, vera ſibi eſſe viderentur, denunciat totius effectionis, coagmentationisq; artificem Nicetam Heracilenſem Epiſcopum eſſe. Primum: quia a viro nobiliſſimo Ioanne Pariſienſis Eccleſiæ Canonico eſt certior factus, tum in ſuo, tum in Regis Gallorum exemplari eſſe huius ipſius Nicetæ nomen inſcriptum; & non pauca, quæ Conſtantinopoli viſuntur exemplaria, idem nomen ſummo cum conſenſu præferre. Quanquam de ea Catena græca in Iob, quæ in Galliæ Regis Bibliotheca nulla extat, hunc noſtrum amicum ab honeſtiſſimo homine certiorem factum eſſe vix eſt credibile. Deinde: quòd ſtylus ipſe vna cum reliquis Nicetæ operibus plane conſentiat. Nunc vtraque conjectura, tum ea, quæ a multorum codicum inſcriptione, tum quæ a charactere Nicetæ ducitur, examinanda, momentoq; ſuo ponderanda eſt. Ea igitur, quam nonnulli manu ſcripti libri, ſuppeditant, quibuſdam fortaſſe hominibus recens, ac noua, mihi vero multos ab hinc annos perſpecta, & ferme iam abſoleta conjectura, non ſolum apud me, ſed etiam apud ampliſſimum Cardinalem Sirletum in omni genere græcæ doctrinæ exercitatiſſimum hominem, apud Franciſcum Turrianum noſtri Ordinis virum eximium, qui ambo ſunt in græcis Bibliothecis perſcrutandis acerrima cura, diligentiaq; verſati, ſemper valuit parum. Primum: quia diuerſorum exemplarium auctores eſſe diuerſos nequaquam dubitabamus. Deinde: quia nomen Nicetæ huiuſmodi libris adſcriptum repellit, vt mox docebimus, antiquitatem. Poſtremo: quia græcæ nationi, quo præſertim tempore ab Romana Eccleſia ſeceſſit, ſollemne fuit, adulterinis notis libros adſpergere. Quæ preſſius diximus ſingula, ſi placet, enucleemus. Codicum varietatem variorum auctorum, vel potius librariorum teſtem eſſe, hæc omnia planiſſime perſuadent. Vel quòd in omnibus libris non idem explanatorum numerus habeatur, ſed in quibuſdam maior, in alijs multo minor; vel quòd explanationum auctores non eamdem diſpoſitionem, ordinemq; in cunctis tueantur codicibus (id quod ex multiplici explicatorum enumeratione, atque congerie, quę in diuerſis eſt a nobis codicibus animaduerſa; & quam poſt hanc diſputationem ſeparatim indi-

cabimus; exiſtimator doctus, & intelligens plane cognoſcet) vel quòd ad eoſdem locos ſacræ hiſtoriæ non eorumdem Doctorum explicationes adhibeantur. Vel quòd eorumdem Doctorum interpretationes in nonnullis libris ſint anguſtæ, atq; conciſæ, in aliis magis diffuſæ, & collatatæ. Vel quòd vetuſtioribus Codicibus, vt Vaticanis, vt noſtro, aliisq́; multis, vidimus Nicetæ nomẽ abeſſe; quod ad refellendam illorum exẽplarium, quæ noſtræ ſententiæ opponũtur, vetuſtatem, haud parum firmum videtur. Etenim priſcos illos, ac religioſos homines græcos hoc inſtituto vſos eſſe videmus; vt cum opus aliquod eius generis, quale eſt noſtrum, de cuius diſputamus auctore, procuderẽt, nomen ſuũ ipſi de induſtria reticerẽt. Id quod haud maiore negocio quiuis intelliget, qui non modo in Iob, ſed etiã in reliquos ſacros libros multiformes Catenas inſpexerit. Quid? quòd in ipſa inſcriptione, quę noſtram Nicetæ Catenam largiri videtur, nihil recinit purum? nihil veteris græcæ linguæ reſonat domeſticum? nihil vernaculum? eſt enim inſcriptio huiuſmodi ἐξήγησις εἰς τὸν μακάρων Ἰωβ συγγραφεῖσα παρὰ τοῦ ἱερωτάτου μητροπολίτου ἡρακλείας κυρίου νικήτα. *Mitto ad Canones gramaticæ non* νικήτα, *ſed* νικήτου *eſſe oportere. Aſſueſſe autem græcos nonnullos libris, ac voluminibus, non ſuorum auctorum, ſed alienorum nomina, titulosq́; affingere haud dubium ei fuerit; qui id; quod nos dicimus, ex memoria Patrum, atq; ex annalium monimentis conquiſierit: &, qui huic meæ, quam paro, narrationi fidem minime abrogauit. Superioribus annis Patauij ipſe cum eſſem, in eadem vrbe is, qui iam ceſſit e vita, clariſſimus Abbas Triuiſanus, Patricius Venetus omni voluntate, quæ Christianum virum decet, mihi coniunctiſſimus commorabatur. Is præclaram librorum Græcorum, quorum nullus non erat calamo exaratus, ſupellectilem ex intima Græcia erutam Venetias deportarat: Venetijs autem exportandam, & Medoaco Patauium traiiciendam curauerat. Ab humaniſſimo viro omnem mihi illam ſpecioſam ſupellectilem propoſitã, ac propalam collocatam libuit curioſius intueri. In ea Cyrilli in Ioannem commentarios reperiri aiebant egregios: eaq́; de re fama percrebuerat. Ego ſtudio incenſus eiuſmodi libri videndi, quem tum exterior, tum multo magis interior amplus titulus græcis litteris exornabat; Abbatem rogo; vt per eum mihi liceat dies ali-*

quot

quot in noſtro Collegio librum illum habere, ſeduloq́; euoluere: petenti magno is ſtudio, libensq́; conceſſit. Librum peruoluo: verba cum verbis, ſententias cum ſententijs Cyrilli comparo: nihil, quod Cyrilli Alexādrini ſit, prorſus inuenio. Sentio fieri potuiſſe, ut nonnullus græculus nomine Cyrilli alienum commentarium adulterarit: in quo ſuſpicio nihil me mea feſellit. Etenim cum in Diui Ioannis Chryſoſtomi commentarium incidiſſem, quem græce, & manu ſcriptum vir pernobilis, variarumq́; rerum ſcientia, atque omni antiquitate perdoctus Ioannes Vincentius Pinellus e ſua inſtructiſſima Bibliotheca mihi vtendum dedit, animaduerti omnes circuitus uerborum, cunctas ſententias eſſe Chryſoſtomi: Contractioremq́; illam in Euangeliſtam Ioannem explicationem, epitomen Chryſoſtomi alios græcos eſſe ſolitos appellare. Quiſpiam ne igitur dubitauerit vſu venire potuiſſe, vt a mendaci aliquo librario ſit aut hæc tota noſtra Catena deſcripta, aut mutilata, eodemq́; tempore & diuidi cæpta paſſim, & peruulgari, atque edi populo imperito? Tres libri Commentariorum Origenis in Iob nomen certe Origenis gerunt inſigne: tamen perinſignis auctoris non eſſe non modo genus dicendi peruincit, ſed illud maxime; quòd in iis vocabuli homouſii, quod ipſum multo poſt natum eſt, & Luciani martyris, cuius vita interitum excepit Origenis, nomen vſurpatur apertiſſime. His ipſis de cauſſis, aliisq́; permultis Commentariolum illud, quod cum latinis hominibus non multis ante annis communicauit Ioachimus Perionius, Origenis nomine inſcriptum, Origenis eſſe non poſſe credunt homines eruditi. Scilicet diſſimulare poſſumus multa Hieronymo, non Hieronymi, Auguſtino multa adſcripta eſſe non Auguſtini? linquamus aliena: hæreamus in noſtris. In hac ipſa Catena, quæ ſuperiore anno eſt impreſſa Lugduni, an non extat epiſtola ad Antonium Caraffam Cardinalem ampliſſimum, quam cum temporis anguſtiæ, eorumq́; preces, qui editionem vrgebant, ab Vniuerſi noſtri ordinis moderatore acrius extorquerent: videretq́; eorum cupiditati ſatisfieri non poſſe, ſi a me exſpectanda Romam erat epiſtola, eius ſcribendæ diſerto ſodali datum eſt negocium, neque ea re mentitur epiſtola, quòd non ſit auctorem Paulum nacta: prodijt enim ipſa meę quoque teſtis locuples voluntatis: illamq́; ego quaſi prolē meā agnoui. Vt animaduertere

uertere quiuis facile poſſit, quàm non firma ea coniectura ſit, quæ in librorum inſcriptione poſita eſt. Sequitur altera; quæ conſtituitur in forma, figuraq́; dicendi: quam Nicetæ Heracleæ Epiſcopo aiunt eſſe familiarem. Sane me iſta ratio conturbaret, niſi mihi eſſet perſuaſiſſimum, nullum in hoc toto Commentario, quem ipſi latinum fecimus, Nicetæ verbum reperiri. Totus enim eſt, tum verbis, tum ſententijs Doctorum, quorum ſemper ſuis locis nomina appellantur, concinne admodum fabricatus. Sed ſint ſane Nicetæ omnes illæ Catenæ, quæ cum Nicetæ nomine coniunguntur: ideo ne erit hoc neceſſarium connexum; ergo & ea, quam Paulus Comitolus Cardinali Caraffa hortante eſt interpretatus, eſt eidem Nicetę concedenda? Id ego ſi cui poſtulanti concederem, temere meo quidem animo, falſoq́; concederem; quandoquidem inter hanc noſtram, & eas, quæ Nicetæ tribuuntur, diſcrimina mihi ſunt notata permulta. Ac de eorum opinione, qui textilis huius Commentarij inuentorem, ac perfectorem volunt eſſe Nicetam, ſatis in pręſentia diſputatum videtur. Nunc deinceps earum ratiocinationum, quæ opus, de quo diſſeritur, non ad Olympiodorum, ſed ad alium quempiam transferunt, vim, naturamq́; conſideremus: ſingulisq́; argumentationibus propoſitis, continuo ſingulas reprehenſiones ſubijciamus. Hæc igitur ſit ratiocinatio prima.

Eorũ conſuetudine, qui ex alienis interpretationibus Commẽtariũ texunt, alienum eſt, ſuis item accuratis, & ſpiſſis explanationibus idem ipſum opus expolire: quod tamen in hoc Commentario Olympiodorus Diaconus fecit: quo nemo perquiſitius, ac diligentius eſt pæne vniuerſam Iobi hiſtoriam interpretatus. Is igitur operis, quo compoſitius vix quidquam repertas, compoſitor eſſe non potuit. Si, quàm vera eſt huius argumentationis aſſumptio, nullius indigens approbationis, tam vera quoque eſſet propoſitio, ſane neceſſaria ex ipſa conficeretur complexio: non conficitur autem: quoniam haud eſt illud vſquequaque, ſemperq́; verum: eos, qui ex aliorum ſententijs, ac dictis Commentarium quempiam moliuntur, numquam ſuas ſententias, ac dicta ad aliorum ſententias, dictaq́; adiungere conſueſſe. Nam & Lipomannus in iis Catenis, quas in Geneſim, Exodumq́; reliquit, identidem adiungit: & quamobrem hoc ipſum non liceat cuilibet; qui in eiuſmodi aliquo

cudendo

cudendo opere elaborare velit, ratio vlla probabilis nequit adſerri. Sequitur ſecundi argumenti explicatio. Cernas in hoc libro, quorum auctorum ſunt expoſitiones, eorum nomina auctorum antea indicari, ipſisq́; præponi expoſitionibus. Cernas etiam eamdem interpretationem nonnunquã duobus, interdum tribus attribui auctoribus. Cernas etiam cum nomina appellantur auctorum, non raro Olympiodori nomen ante nomen eorum Doctorum appellari, qui ei & ætatis dignitate, & doctrinæ gloria anteceſſerunt. Atqui in tantam Olympiodorum offendiſſe arrogantiam, vt ſuo nomine primo loco appellando, ſe maximis, & clariſsimis Patribus anteferret, eſt id ſane quam incredibile. Dupliciter infirmatur, eleuaturq́; hoc argumentum. Aut enim dicere poſſumus; in primigenio Commentario, quem edidit Olympiodorus, propriorum nominum ordinem commutatum fuiſſe, eumq́; in cunctis libri partibus manſiſſe, quem Chriſtianæ modeſtiæ ratio præſcribebat. Aut vero multo probabilius cogitari libet; nomen ſuum noſtrum Olympiodorum in tota explanationum ſtructura occuluiſſe, ceterorum interpretum nomina dumtaxat retexuiſſe: cui rei ſatis eſt illud argumenti; quòd cum nullius in hoc mirabili expoſitionum contextu, crebriores interpretationes ſint, quàm artificioſiſsimi, ingenioſiſsimiq́; Olympiodori; eius tamen nomine carent ſæpenumero: quod ex codice Antonij Caraffæ Cardinalis ampliſsimi, qui primi Commentarij formã verius exprimit, plane perſpicitur: namque plurimę explanationes Olympiodori ab ſui auctoris nomine deſeruntur; illud autem e nonnullis alijs græcis, calamoq́; exaratis libris erutum in ſuas ipſi ſedes reſtituimus. Quare in poteſtate aliorũ, qui e primo Commentario deſcripſerunt, fuiſſe exiſtimãdum eſt; vt in proprijs auctorum nominibus ſignificandis, eum honorem, quem uiuus Olympiodorus reſpuiſſet, mortui nomini aliquando deferrent. Poſtrema Ratio. In diuerſorum codicum contentione illud animaduerſum eſt: Pleraſque Olympiodori interpretationes in noſtra Catena deſiderari; alias vberiores, & pleniores quàm in noſtra eſſe. Qui fieri igitur poteſt; vt huius noſtræ Catenæ fuerit artifex Olympiodorus? Reſpondeo fieri id facillime potuiſſe. Potuit enim Olympiodorus a primo integras, abſolutasq́; interpretationes ſingulis hiſtoriæ ſacrę partibus adhibuiſſe; quas ab quopiã deinde

alio conciſas, ac deſectas eſſe putandum eſt. Potuit etiam idem Olympiodorus primo ſeparato Commentario, ac ſuo totum Iobi librum illuſtrare: Potuit iterum ſuarum ſententiarum, ac verborum, quibus priuatum Commẽtarium referſerat, ſelectione utens, ex iis, quod voluit, in hoc multorum Doctorum commentarium transferre. Atque hæc mihi præcipua viſa ſunt, quæ noſtræ efficerent ſententiæ; ad quam explicandam, ac confirmandã nunc diſputationem omnem conferemus: eaq́ argumenta, & coniecturas ex ipſius commentarij viſceribus eliciemus: quibus coniecturis, & meum, & doctiſſimorum virorum iudicium ſuſtinetur: quæ vniuſcuiuſque mentem non ad Nicetam referunt, ſed ad Olympiodorum totius opificij auctorem rapiunt neceſſario. Noſtræ Catenæ auctor pæne in extrema Præfatione, quæ non ſecus, quàm integer commentarius diuerſorum auctorum ſcriptis, & commentationibus conſtat, ſuo tecto nomine, cum Chryſoſtomi oratione connectit ſuam his verbis. Quòd igitur magnam hic liber prębeat utilitatem. *(Vtilitatem autem iam in conſpectu poſuerat Chryſoſtomus)* Satis planum factum eſſe arbitror. Nunc ad ipſam verborum interpretationem veniendum eſt. Quæcumque uero hiſtoriæ congruunt, atque allegoriæ, quæ hiſtoriam minime lædant, omnia perſequemur. Sic enim nos Patres docuerunt: neque ad hiſtoriam eſſe cuncta torquenda: neq; in Iudaica ſolum littera commorandum: ſed quædam hiſtoriæ, nonnulla Theoriæ concedenda eſſe: ac ſi id, quod dicitur, rem utramque ferat, hiſtoriam, atque allegoriã, utraque utendum eſſe: ſin autem hiſtoriam ſolam, in littera tantummodo herendum: ſin uero unam ſpectet intelligentiam, ad allegoriam orationem traducendam eſſe. Verum enim a beata Iobi anima contendendum eſt precibus, id a Deo nobis impetret: ut uiri huius magnanimitate dignum aliquid excogitare poſſimus. Vt autem facilius percipiamur, recteq. poſſimus ea, quæ dicuntur, perſequi, Protheorijs in capita ſingula utemur. *Atqui verba hæc protinus conſequitur nomen Olympiodori, eiuſdemq́ Protheoria. Si ſuperior oratio eſt Catenæ auctoris oratio in expoſitione libri, tum hiſtoriam, tum theoriam, cum res feret, in ſingula capita pollicentis: cum in vtriuſque ſenſus, & hiſtorici, & theoretici perueſtigatione fuerit Olympiodorus perdiligenter verſatus: cum illius dumtaxat ſint omnes Protheoriæ; quis obſecro vocare poſſit in dubium, quin*

idem

idem ſit interpres? idem vniuerſæ Deſcriptionis, idem ædificij effector, atque molitor? Olympiodori etiam interpretatio, atque oratio cum reliquorum Doctorum explanationibus, & verbis ita iuncta eſt, atque cohæret; vt non multorum Doctorum compoſitio, atque ſtructura, ſed vnius tantummodo verborum videatur eſſe continuatio. Videas quaſdam illius ſententias ex aliorum ſententiis efflореſcere. Videas pleraſque ab Olympiodoro commentationes ſuas verbis finiri, & vinciri non ſuis, ſed in aliena iunctione verborum ſæpe conſidere. Videas inquam ceterorum interpretum, qui omnes eum multorum annorum interuallis præcucurrerunt, verba atque ſententias Olympiodori comprehenſionibus eſſe pro vinculis; quibus concinne, admirabiliterq́; adſtringuntur. Contra videas aliorum interpretum infracta quædam, & amputata poni, quæ ab Olympiodoro ſanantur. Sæpiſſime videas, ſi quid eſt in aliorum interpretationibus inconditum; ſi quid curtum; ſiquid claudicans; ab eo ſua interpretatione condiri, compleri, atque abſolui. Tantam habet Olympiodori meditata, & accurata commentatio & explanatio cum reliquorum commentationibus, atque explanationibus neceſſitudinem, atque cognationem. Adeo eſt illius expoſitio ceterorum expoſitionibus implicata, atque permiſta. Ac ne quis hæc a nobis ſtudioſe componi, & pro libidine fingi criminetur; illuſtrium exemplorum appoſitione comprobemus. Idem Catenæ auctor ſuo tacito nomine his verbis caput ad rationem partiendi Græcorum primum concludit. Atque in his caput primum ſitum eſt, *(quæ verba cum Baſilij, quæ antecedit, explicatione iunguntur)* nunc ad ſecundi capitis protheoriam aggrediendum. *Sequitur.* PROTHEORIA Olympiodori. *In explanatione Chryſoſtomi illa verba Domini ad Diabolum; intendiſti cogitatione tua contra ſeruum meum Iob, interpretantis hæc ſunt Ioannis Chryſoſtomi verba poſtrema,* emphaſim habet illud, cogitatione tua. *Verba hæc poſtrema Chryſoſtomi ſtatim excipit Olympiodori ad hunc modum interpretatio,* nimirum peruerſa, prauisq́. artibus imbuta. *Sentis ne quemadmodum cum Chryſoſtomi verbis orationem ſententiamq́; ſuam colligarit Olympiodorus? Iam vero eorum verborum, quibus Satanæ præcipit Deus: Animam eius ne tetigeris:*

interpretationem facit huiuſmodi noſter Olympiodorus. Ac ne carperet Diabolus Deum, quòd cum clementia, ac moderatione vulnus impoſuiſſet, quod petebat, facere noluit. *Delumbata eſt hæc interpretatio, explet verbis his Didymi*, Verum illius poteſtati rem omnem permiſit. *Caput vero ſecundum cum ſui nominis ſignificatione, quod nec in extremis huius Catenæ prolegomenis, nec in poſtrema capitis primi parte ab eo factum erat, poſt Polychronij interpretationem confeſtim his verbis claudit Olympiodorus*. Sed de ſecundo capite hactenus. Igitur capitis tertij Protheoriam inſtituentes, dicimus nimirum eſſe in cruciatu iuſtum &c. *Horum uerborum, quæ in 21. cap. leguntur: Quare impij uiuunt? inueterauerunt autem in diuitijs, &c. Multorumq́; aliorum, quæ cum eiſdem verbis cohærent, complexionem vbi communi quadam, & uniuerſa interpretandi ratione enodauit, propriam ſingulorum verborum explicationem ſuis his ipſis verbis ſpondet Olympiodorus*. Atque huiuſmodi eſt ſuperiorum uerſuum ſententia: operępretium tamen eſt ſingulos uerſus ſeorſim expendere. *Verum is Origeni, Iuliano, Chryſoſtomo expendendos relinquit. Horumq́; trium Doctorum interpoſitis verbis, atque ſententijs, qua ſe is vinxerat, ſponſione liberat. Sane ſubtiliter illa verba ex cap. 23. Ad prima proficiſcar, & non ſum amplius. Quæ autem ſunt in extremis, quid noui? A Dionyſio, & Alexandro, explicantur. Duobus hiſce egregijs explicatoribus vltro hac ſe oratione offert Olympiodorus. Illud autem, & amplius non ſum*, aut ex priore interpretatione debemus intelligere; aut uero ad illa ipſa uerba hanc ſententiam accommodabis, &c. *At quorū nā erat prior interpretatio? ſcilicet Dionyſii, et Alexādri; quorum ſententias agglutinabat, quorumq́; expoſitionibus ſuā adnectebat hic ipſe Olympiodorus. Protheoriam autem cap. 23. hoc modo concludit*. Atque hæc eſt verbis Iobi ſubiecta ſententia. Deinceps ſingula uideamus. *Atqui ſingula, quæ in eo capite ab Iobo diſſeruntur, non Olympiodorus interpretatur; ſed multa Chryſoſtomus, nonnulla Dionyſius, & Alexander exponit; illorum igitur explanationes connectit, ſuisq́; locis adhibet Olympiodorus. Ad ea uerba, quæ in nono capite noſtræ editionis latinæ leguntur: qui facit magna, & ininueſtigabilia, glorioſa, & ſtupenda, quorum non eſt numerus; Quæ verba ſunt ex editione ſeptuaginta,*

quaſdam

quaſdam ſententias, & verba accommodans Dionyſii Areopagitæ, cum Dionyſii explicatione ſuam hac ratione ſuum occulens nomen connectit. Nunc igitur ad reliquã interpretationem pergamus. *Si ſupergreſſus fuerit me, non videbo,* Olympiodori. Is plane inquit, oculorum mentiſq. aciem fugit &c. *Vtrum ne ſentis, vt is, qui ſe occultarat, confeſtim ſe prodat ipſe? Quamquam hac item, quæ in eodem capite extat, nulla credo coniectura adferri poteſt illuſtrior. Namque horum verborum, quæ ſacra ſunt. Si enim dixero, obliuiſcar loquens &c. duplicem expoſitionem Olympiodorus promittit: priorem domo ipſe attulit, poſteriorem eſt a Chryſoſtomo mutuatus. Sic enim eſt in noſtra Catena.* Olympiodori. Duplex eſt huius loci expoſitio. Aut enim hoc dicit: ſi me tueri uoluero oratione, nimium ea longa futura ſit: Præterquam quòd gemo, & contremiſco, Veritus ne alicuius rei per imprudentiam contractę forte conuincar. *Debes nobis Olympiodore alteram expoſitionem. Animaduertat Lector expoſitionum conſecutionem.* Chryſoſtomi. Aut id potius ſignificare uoluit: *& quæ ſequuntur in expoſitione Chryſoſtomi. Huic coniecturæ eſt illa altera omnino par; quam caput præbet quinctumdecimum. Dupliciter enim ſacræ narrationis locum quemdam euoluens Olympiodorus, loquitur his verbis.* Aut igitur hoc dicit: Si tempus glorioſe iactas, nec nobis deſunt antiqui: Didymi. Aut etiam illud fortaſſe &c. *Quis hoc loco binas ſpondet explanationes? Didymus, an Olympiodorus? nimirum Olympiodorus? ergo is dependere debet, & explicare promiſſum? Explicat, dum mutuum ſumit, ſoluitq́. a Didymo. Huius vtriuſque coniecturæ, ſi coniectura potius, quàm certa rationis concluſio ducenda eſt, perſimilem quamdam tertiam habes in capite 19. & quartam in capite 40. Iobi enim verba illa interpretans, in cap. 19. Ecce ego rideo opprobrio; & non loquar. inquit, Olympiodorus.* Multiplex eſt his uerbis ſubiecta ſententia, Aut enim hoc dicit. Vobiſcum probrum obijcientibus ridere potius uideor, quàm colloqui. Polychronij. Aut uero hoc aliud &c. *& poſt aliquanto. Aut ſic præſtat iſta verba &c. Num ne vides multiplicis ſententiæ euoluendæ ſponſorem nobis eſſe Olympiodorum, non Polychronium? non intelligis cum munus promiſſi conficit, ſecundam, ac tertiam explanandi rationem e narthecijs promerę Polychonij?*

in capite vero quadrageſimo eorum verborum, quibus Iobum Deus compellat, An repellis iudicium meum? duplicem interpretandi rationem inuenit: vnam gignit ipſe, alteram a Methodio Sanctiſſimo, antiquiſſimoq́; Doctore accipit. Duplex eſt huius, *inquit*, loci ſententia. Aut enim, quia Iobus diuini iudicij æquitate confidit, cauſſam ſuam Deo integram reſeruabat. &c. Methodij, Aut etiã ſic. Quando res huiuſmodi paſſus es ipſe, noli exiſtimare earum rerum me haud rectum informaſſe iudicium. *Sed quem non moueat locus in capite duodecimo e Didymi interpretatione; quæ in noſtra Catena decurtata eſt & ſane imperfecta; teſtimonio deprompto e libro Exodi perficit Olympiodorus. Hoc ergo pacto Didymus*. Nec enim fas eſt, aut fauere diuiti propter opes: aut propter inopiam pauperis miſereri; ita ut ius violetur. Quamobrem dictum eſt Olympiodori, *non miſereberis pauperis in iudicio. Quis ergo ſententias, verbaq́; ſua cum reliquorum Doctorum ſententiis, verbiſq́; nectit Olympiodorus, an quiuis alius, quem cogitandi licentia fingere poteſt, auctor? Quid locus ille, qui in capite quadrageſimo eſt minime dubius? An non huius Commentarij, cuius artificem quærimus, non alium quàm Olympiodorum Diaconum eſſe oſtendit omnino? Seueri enim interpretatio his ipſis verbis eſt terminata*. Num igitur o Iobe effeceris ipſe, quod Vnigenitus poſtea effecit? *At Seuerus nihil aliud: quadrat ad hunc modum Seueri mutilatam ſententiam Olympiodorus*. Is enim carne ſua, quaſi quadam eſca obiecta, clauis ſuis, quaſi hamis piſcem captauit. *Protheorias omnes Olympiodori dumtaxat; non alterius eſſe nemo nõ fatetur. At in ipſas quoque protheorias aliorum Doctorum verba, atque ſententias ab eodem interdum illigari ſatis cuique argumenti poteſt eſſe Protheoria capitis 22. nec non 38. Neque vero hic eximius auctor interpretationes reliquorum tantum exitus ſuæ conſequenti connectere ſolet orationi, ſuarumq́; exitus circumſcriptionum principiis ceterorum: ſed etiam interdum varios variorum interpretum circuitus verborum, atque ſententias pari ratione conglutinare. Poſtremo, ne minutiora conſecter; quemadmodum Olympiodori interpretatio, & præfatio reliquorum interpretationes, Commentarioſq́; præfulcit, atque præmunit: ſic extrema Olympiodori explicatio ceterorum Doctorum explicationes,*

tiones, omnemq́; omnium explanationum congeriem, coagmentationemq́; obſignauit. Nam quæ in calce libri appicta eſt Chryſoſtomi, pietatis, atque in Beatum Iob caritatis plena cohortatio; ad nullam huius ipſius libri partem neceſſariam pertinere eſt quamcertiſſimum. Verum, qua clauſula pereruditus auctor ſit vſus Olympiodorus, videamus. Ad hunc igitur ille modum. Ergo hiſtoriæ Iobi prima, atque extrema ſunt huiuſmodi. Atque ita eſt nobis huius ipſius libri explanatio ad exitum adducta. Quòd ſi nonnulla coniectura potius, quàm certa comprehenſione ducti interpretati ſumus; ſane certe id nec a primis nobis, nec a ſolis eſt factitatum: ſed hoc ipſum cum ijs omnibus fuit nobis commune, qui huius libri interpretes, & explanatores fuerunt. *His ego veſtigijs cum huius operoſæ ſtructuræ opificem odoratus eſſem, ac perſecutus, num etiam aſſecutus viderer, ad Romanæ, Græcæq́; eruditionis arcem Guglielmum Sirletum confugere ſtatui; cuius Doctrina, ſapientia, atque virtute magis purpuram ornari ſciebam, quàm purpura ipſum decorari. Ex tam multis locis, qui me ad Olympiodorum vel repugnantem trahebant, nonnullos coram memoriter recitaui: viriq́; præſtantiſſimi exiſtimationi ſubieci: quibus auditis, penitusq́; perſpectis ſapientiſſimus Cardinalis pronunciauit, noſtram de huius Catenæ græcæ auctore ſententiam non veriſimilibus, ſed neceſſarijs rationibus contineri. Sunt iſta, inquit,* οὐ μὲν τοι εἰκότα, ἀλλ' ἀποδείξεις. *Cuius mihi quidem iudicium in omni vita tam graue erit; quàm & illius deſiderium triſte, & nomen iucundum, & ſapientiæ, atque innocentiæ, qua is ſemper excelluit, cunctis mortalibus religioſa debet eſſe recordatio. Neque ad huius noſtrę opinionis veritatem obtinendam Guglielmus tantum Sirletus iudex nobis æquiſſimus fuit. Non modo Franciſcus Turrianus, ac Petrus Galeſinius Protonotarius Apoſtolicus, quorũ vterque Gręcorum, latinorumq́; librorum haud vulgarem tum vſum, tum ſcientiam habuerunt, & poſterior etiam nunc habet, eiuſdem ſententiæ comites extiterunt: Sed etiam ad cauſſæ defenſionem nobis præſto eſt codex peruetuſtus Ioannis Vincentij Pinelli; in cuius primis paginis eſt Olympiodori, tamquam legitimi auctoris, litteris latinis nomen adſcriptum. Nec Pariſienſium Patrum, ac ſodalium meorũ fidele patrocinium abiiciendum eſt: qui cum mea*

cauſſa

cauſſa Regis, Reginæq́ Bibliothecas acri ſtudio, atque opera perluſtraſſent: ſingulosq́ libros, ac librorum indices diligentius inſpexiſſent: dum ſuſcepti, confectiq́ muneris ad me rationem mittunt, hæc ſocij eruditiſſimi addunt. Non eſt autem, quòd R. Patrem Comitolum ſuæ pigeat coniecturæ Catenam iſtam Olympiodoro tribuentis. Nam & in epitome Bibliothecæ Geſneri, & in catalogo librorum edito a Simlero anno 1586. Catena in Iob Olympiodoro tribuitur quędam, quæ dicitur in Bibliotheca Sambuci ſeruari: itemq. eiuſdem Olympiodori Diaconi hypotheſes in Iob. *hæc illi*. *Maneat igitur eſſe veri quàm ſimillimum, huius Catenæ ſcriptorem Olympiodorum Alexandrinæ Eccleſiæ Diaconum extitiſſe: cuius etiam luculentum Commentarium ferme in totum librum Iob in hac eadem Catena reperies. Alter quidam fuit Olympiodorus Monachus, genere gręcus, e Peripateticorum ſchola non ignobilis auctor; qui in Ariſtotelis meteora præclaros reliquit Commentarios: & Eccleſiaſtem breuibus, & elegantibus ſcriptis triplicem ſcripturæ ſenſum collineans, euoluit.*

Doctorum

Doctorum, e quorum explanationibus multiformes Catenæ in Sanctiſsimum Iobum conſtant, multiplex enumeratio.

Catenæ Antonij Caraffæ Cardinalis Ampliſsimi, quæ eſt a nobis conuerſa, explanatores.

1 DIONYSIVS AREOPAGITA.
2 CLEMENS.
3 ORIGENES.
4 DIDYMVS.
5 EVAGRIVS.
6 BASILIVS.
7 GREGORIVS NAZIANZENVS.
8 ATHANASIVS.
9 CHRYSOSTOMVS.
10 CYRILLVS.
11 METHODIVS.
12 APOLLINARIVS.
13 THEOPHILVS ALEXANDRINVS
14 ISIDORVS.
15 EVSEBIVS CAESARIENSIS.
16 POLYCHRONIVS.
17 EPHRAEM
18 NILVS
19 ALEXANDER.
20 IVLIVS.
21 IVLIANVS.
22 SEVERVS.
23 SEVERIANVS.
24 OLYMPIODORVS DIACONVS. *Quem huius Catenæ auctorem certo credimus.*

Catenæ Vaticanæ vetuſtioris, & cuiuſdam alterius recentioris explicatores.

1 OLYMPIODORVS.
2 IOANNES CHRYSOSTOMVS.
3 EVAGRIVS.
4 DIONYSIVS AREOPAGITA.
5 GREGORIVS THEOLOGVS.
6 BASILIVS.
7 GREGORIVS NYSSENVS.
8 THEODORVS MOMPSVESTIAE.
9 POLYCHRON. APAMEAE EPISC.
10 DIDYMVS.
11 ORIGENES.
12 IVLIANVS.
13 CLEMENS
14 APOLLINARIVS.
15 THEOPHILVS ALEXANDRINVS
16 SEVERVS EPISC. ANTIOCHENVS.
17 METHODIVS.
18 CYRILLVS ALEXANDRINVS.

Petri Galeſinij Protonotarij Apoſt.

1 POLYCHRONIVS.
2 OLYMPIODORVS.
3 CHRYSOSTOMVS.
4 BASILIVS.
5 IVLIANVS.
6 ORIGENES.
7 DIDYMVS.
8 CLEMENS.
9 EVAGRIVS.
10 SEVERVS.
11 CYRILLVS.
12 METHODIVS.

Petri Triuiſani Patricij Veneti, Abbatis.

1 OLYMPIODORVS.
2 CHRYSOSTOMVS.
3 NICETA
4 POLYCHRONIVS.
5 IVLIANVS.
6 DIONYSIVS.
7 DIDYMVS.
8 ORIGENES.
9 BASILIVS.
10 EPHRAEM.
11 EVAGRIVS.
12 SEVERVS.
13 NILVS
14 ATHANASIVS.
15 APOLLINARIVS.
16 ISIDORVS.
17 METHODIVS.
18 GREGORIVS THEOLOGVS.
19 N.
20 CYRILLVS.
21 GREGORIVS NYSSENVS.

Ioannis a Sancto Andrea Canonici Pariſienſis.

1 ANEPIGRAPHVS, ſeu carens nomine.
2 APOLLINARIVS.
3 ATHANASIVS.
4 BASILIVS.
5 CHRYSOSTOMVS.
6 CLEMENS.
7 CYRILLVS.
8 DIDYMVS.
9 DIONYSIVS ALEXAND
10 EPHRAEM.
11 EVAGRIVS.
12 GREGORIVS NYSSENVS.
13 GREGORIVS THEOLOGVS.
14 ISIDORVS.
15 IVLIANVS.
16 METHODIVS SIDENSIS.
17 NICETAS.
18 OLYMPIODORVS.
19 ORIGENES.
20 POLYCHRONIVS.
21 SEVERVS.

Ioannis Vincentij Pinelli, Viri pernobilis.

1 APOLLINARIVS.
2 BASILIVS.
3 GREGORIVS THEOLOGVS.
4 GREGORIVS NYSSENVS.
5 DIDYMVS.
6 DIONYSIVS AREOPAGITA.
7 EVSEBIVS CAESARIENSIS.
8 EVAGRIVS.
9 THEODORVS MOMPSVESTIAE
10 THEOPHILVS
11 IOANNES CHRYSOSTOMVS.
12 IVLIANVS.
13 OLYMPIODORVS.
14 CYRILLVS ALEXANDRINVS.
15 POLYCHRONIVS.
16 ORIGENES.
17 SEVERVS EPISC. ANTIOCHIAE.
18 METHODIVS SIDAE.

Marci Fagnani Patricij Mediolanenſis; quæ in eius domo ipſos quingentos annos aſſeruatur.

1 CHRYSOSTOMVS.
2 DIONYSIVS AREOPAGITA.
3 OLYMPIODORVS DIACONVS.
4 BASILIVS.
5 GREGORIVS NAZIANZENVS.
6 POLYCHRON. EPISC. APAMEAE
7 DIDYMVS.
8 ORIGENES.
9 APOLLINARIVS.
10 IVLIANVS DIACO. ANTIOC.
11 CLEMENS.
12 EVAGRIVS.
13 THEOPHILVS EPISC. ALEXAN.
14 SEVERVS EPISC. ANTIOCHENVS.
15 THEODORETVS.
16 METHODIVS.
17 CYRILLVS ALEXANDRINVS.

Eius quæ in Saulia Bibliotheca extat Genuæ.

1 DIONYSIVS.
2 DIDYMVS.
3 METHODIVS.
4 BASILIVS.
5 ATHANASIVS.
6 ALEXANDER CAPPADOCIAE.
7 APOLLINARIVS.
8 CHRYSOSTOMVS.
9 CYRILLVS.
10 GREGORIVS THEOLOGVS.
11 EVAGRIVS.
12 EPHRAEM.
13 IVLIVS.
14 IVLIANVS.
15 NILVS.
16 OLYMPIODORVS.
17 POLYCHRONIVS.
18 SEVERVS.
19 SEVERIANVS.

In Franciſci Barroccij catalogo, quem is ad me Venetijs Bononiam miſit, hi erant.

1 CHRYSOSTOMVS.
2 OLYMPIODORVS.
3 DIDYMVS.
4 BASILIVS.
5 ATHANASIVS.
6 POLYCHRONIVS.
7 DIONYSIVS.
8 GREGORIVS.
9 APOLLINARIVS.
10 OLYSSIVS.
11 CLEMENS.
12 EPHRAEM.
13 IVLIANVS.
14 EVAGRIVS.
15 SEVERVS.
16 SEVERIANVS.
17 CYRILLVS.
18 ISIDORVS.
19 NILVS.
20 ORIGENES.
21 GREGORIVS.
22 METHODIVS.
23 THEOPHYLACTVS.
24 EVSEBIVS.

In Catena Alphonſi Salmeronis Theologi Societatis Ieſu hi reperiuntur expoſitores.

1 CHRYSOSTOMVS.
2 OLYMPIODORVS.
3 POLYCHRONIVS.
4 DIDYMVS.
5 BASILIVS.
6 ATHANASIVS.
7 GREGORIVS THEOLOGVS.
8 APOLLINARIVS.
9 IVLIVS.
10 ORIGENES.
11 NILVS.
12 EVAGRIVS.
13 DIONYSIVS.
14 SEVERVS.
15 ISIDORVS.
16 CALIVS.
17 METHODIVS.
18 N.
19 IVLIANVS.
20 GREGORIVS NYSSENVS.
21 CYRILLVS.

Ex hoc vario indice liquet Catena Cardinalis Caraffæ nullā eſſe vberiorem: Nec non illud apparet, tam multiplicis coagmentationis non vnum fuiſſe opificem.

PAVLI

PAVLI COMITOLI SOCIETATIS IESV IN LIBRVM BEATISS. IOB PROLEGOMENA.

HVIVS perantiqui voluminis auctoritas, multisq́; ac magnis myſterijs munita religio, earum rerum a nobis exigit explicationem, quarum quidem ignoratio haud parum totius hiſtoriæ obſtruit luminibus; Cognitio vero mentibus diuinarum litterarum ſtudio flagrantibus lumen præferre poterit fortaſſe clariſſimum. Omnia autem, quæcumque a nobis tum ſacræ narrationi, tum ſanctiſſimorum, doctiſſimorumq́; Patrum explanationibus præmuniuntur, in decem Capita includenda cenſuimus: In primo hæc tria quæruntur. Quo in genere, qua ve in claſſe ſacrorum librorum ſit Iobi liber collocandus. In veteris Teſtamenti voluminibus, qui locus Iobo debeatur. Inſit ne in omnibus libri partibus canonica auctoritas. In ſecundo a quo liber ſit ſcriptus, & quo tempo-

re, & quibus de cauſsis ſcriptus. In tertio quo ſermone conſcriptus, & quo genere orationis, ſolutæ ne, an poeticis numeris adſtrictæ. In quarto cum perfidioſis Iudæis Iobi hyſtoriæ veritatem pernegantibus, atque omnia, quæ dicuntur, ad parabolæ concinnitatem accommodantibus confligemus. In quincto Iobi nomen, genus, ſtirpem, & ortum, vitæ condicionem, & dignitatem docebimus. In ſexto totius libri diuiſionem, argumentum, & præcipuarum partium hypotheſim ſubijciemus. In ſeptimo probabimus in omni concertatione, in qua Iobus ab amicis ſuis diſſenſit, nihil ab illo, ab amicis eſſe multa peccata, quamuis Dei partes ijs viderentur eſſe ſuſceptæ. In octauo, malarum precum, & execrationum, quibus ſui conceptus, noctem, ortusq; diem proſequitur Iobus; quorumdam etiam verborum, quæ intoleranter is effudiſſe videtur, cauſſas e Patrum monumentis eruemus. In nono magnorum Doctorum multiformes rationes, cur innocentem Iobum Deus tot, tantisq; malis afflictari uoluerit adferemus. In decimo quot annos natus in acerbiſſimam totius corporis vexationem, ſæuiſſimamq; cunctarum ærumnarum tempeſtatem coniectus ſit; et quam diu eam tulerit, & quot annos vixerit, diſquiremus. Nunc, quod reliquum eſt, ad ea, quæ in ſingulis capitibus propoſuimus, operam ſtudiumq; noſtrum conuertamus.

E QVO

E QVO GENERE, QVAVE CLASSE SACRORVM librorum ſit Iobi liber; in numerando, qui locus ſit ei tribuendus; & ſit ne totus canonicus, vnde ad noſtra fidei dogmata confirmanda certa depromi poßint argumenta.

Cap. I.

Multiplicem rationẽ ſacra volumina partiendi e veterum ſcriptis in primum librum ſuæ Bibliothecæ contulit Xiſtus Senenſis.

SACROS libros in canonicos, & apocryphos partiendi eſt ratio peruetuſta; in illis certam diuinamq. auctoritatem agnoſcimus: in his nõ item. Iobi librum ad canonicos pertinere, numquam ſeu a Iudæis, ſeu a Chriſtianis hominibus eſt addubitatum. Ita non ij modo, qui Philonis, ac Ioſephi diſtributionem ſunt amplexi; qui libros ueteris teſtamenti canonicos, quot ſunt Hebrææ linguæ litteræ, totidem eſſe ſtatuunt; quam uiam diuidendi Origeni, Epiphanio, Gregorio Nazianzeno, Hieronymo, & Rufino ante œcumenica Concilia probatam eſſe cognouimus: Verum etiam ij, qui diuinorum uoluminum numerum auxerunt, Iobum ſemper in ſacrum canonem receperunt. Alia quædam ſacrorum librorum diuidendorum ratio eſt ab antiquis Patribus excogitata. Illos enim Epiphanius Salaminæ Epiſcopus, in eo libro, qui de partibus Diuinæ ſcripturæ eſt ab eo editus, & Damaſcenus in lib.4. de fide Orthodoxa. cap.18. ita digerunt; ut quinque legales, quinque Hagiographos, quinque carminum, quinque Prophetarum faciant: Duoſq. addunt, Eſdram, & Eſther. Iobo inter carmina primum locum asſignant: nam ad carmina referunt Iob, Dauidis Pſalmos, Prouerbia Salomonis, Eccleſiaſtem, Cantica. Nazianzenus Gregorius in ſuorum carminum libro tripartito diuidit, in duodecim hiſtoricos, in quinque Poeticos, in quinque Propheticos. E poeticis libris primus eſt Iob. Iſidor. in 6. etymologiarum, & Hieronymus in præfatione libri Regum partiuntur ad hunc modum. Faciunt enim quinque legales, qui ſunt Moyſis: Propheticos octo, qui ſunt Ioſue, Iudicum, & Ruth, Samuel, Malachia, Eſaia, Ieremias cum Threnis, Ezechiel; Prophetæ duodecim iuniores: Hagiographos nouem, qui ſunt, Iob, Pſalterium, Prouerbia, Eccleſiaſtes, Cantica, Daniel, Paralipomenon, ſiue Chronicon, Eſdras, & Nehemias, Eſther. Hæ igitur ab orthodoxis Patribus factæ partitiones, tum canonicum, tum poeticum, & hagiographum Iobi librum eſſe perſuadent. Verum ſit ne totus liber ca-

nonicus, eſt diſpiciendum paullo diligentius. Si ergo canonicum idem ualeat, quod Spiritu Sancto dictante ſcriptum & exaratum; de totius libri canonica auctoritate hæſitare eſt nefas, maxime poſt grauem, ac ſalutarem Tridentini Concilij ſanctionem. Quòd ſi canonicum ſcriptum uocemus, quo & fidei dogmata certo firmantur, atq; impia hæreticorum doctrina confutatur, haud uniuerſum uolumen uideatur canonicum. Quæ enim per amicorum, & quæ per Elij perſonam diſputantur, humanitus diſſeruntur: neque a Deo, qui Iudex & diſceptator controuerſiæ fuit, probantur. Quin etiam a Deo temeraria, atque iniuſta amicorum oratio acriter increpatur; qui nihil ab iis recti dictum eſſe confirmat. Quare ea dumtaxat addubitari non poſſunt, cũ de fide catholica oritur concertatio, quæ uel a Deo, uel ab ipſo Iobo pronunciata eſſe didicimus. Hac electione uerborum, hac ſelectione ſententiarum cum omnibus, tum eſt iis utendum, qui ad Chriſtianum populum concionantur; neque Iobo affingant, quæ per imprudentiam, atque errorem amicis eius, aut etiam Eliu forſitan exciderunt. Nunc quærendum uidetur de ordine, & quemadmodum in diuina uoluminum ſerie ſit Iobi liber diſponendus uidendum. Latina Biblia cum libro Pſalmorum præponũt. Vaticana græca antiquiſsima manu ſcripta Canticis Canticorũ ſubiungunt, quod ipſum facit in ſua ſynopſi Athanaſius. Sed nimirum, ſi ratio ducenda ſit antiquitatis, aut primus, aut ſextus in diſpoſitione deberet eſſe hic liber: primus, ſi ab Iobo, ut uidetur magno Gregorio, ſit ſcriptus: Iobum enim Moyſi, qui primos ueteris Teſtamenti ſcripſiſſe libros traditur ætate anteceſsiſſe oſtendemus: ſextus, ſi eius ſcriptor extitit Moyſes, & præfracte pugnare quis uelit, quinque qui dicũtur legales primum ab eo fuiſſe exaratos: deinde Iobi hiſtoriam monumentis mandatam. Diuus Chryſoſtomus cum in hoc Commentario pag. 127. reliquit nullam eſſe in orbe Terrarum hiſtoria Iobi antiquiorem, ſcilicet huic libro in diuinis uoluminibus temporis, ac loci principatum tradit. Facit hoc ipſum eruditiſsimus ſcriptor Olympiodorus; qui in 38. capitis explanatione pag. 483. ſcripſit de creatæ naturæ opificio in hoc libro primum ſermonem induci. Verum Hebræi Deuteronomio proxime Iobum adiungunt: nec ſecus ex Hebræorum conſuetudine conſtituit illum Hieronymus ſacros libros percurrens in epiſt. ad Paulinum. Quamquam multo eſt illud ueriſimilius a Moyſe ante legis libros Iobi hiſtoriam fuiſſe conſcriptam: quod quammox rectius intelligetur.

A QVO IOBI LIBER SIT SCRIPTVS, QVO tempore, & quibus de cauſſis ſcriptus.

Cap. II.

DE SCRIPTORE libri cum nihil ſit, quod liqueat, nos nulla noſtra interpoſita ſententia quid alii ſenſerint, aperiemus. In præfatione ſua in Iob eſt auctor Olympiodorus de ſcriptore libri non unam omnium eſſe ſententiam affirmātibus inquit, nonnullis e ſapientibus hebræis hominibus quemdam extitiſſe, qui auditione, quæ ad iuſtum hunc pertinent, primum acceperit: deinde ad ſuæ eruditionis ſpeciem hæc litteris mandaſſe. Ita nec diuinitus afflatam ſcriptionem hanc eſſe confitentur: Quæcumque autem uerba iuſti aſperiora iactantur, ſcriptoris errata hæc eſſe conſtituunt; neque illa eſſe Iobum elocutum, cuius erga Deum pietas perfectioq. teſtata ſit. Alii ab amicis Iob librum conſcriptum eſſe tradiderunt, ſiue temporis, cum adeſſent, recordatis, ſiue, quòd uerius eſt, gratia illuſtratis: maxime quòd id fuerat Iobus precatus, cùm diceret. *Quis det ſcribi uerba mea, poni autem illa in libro in æternum*. Voluminis auctorem Moyſem quidam alii inſcribunt, e charactere orationis ducta coniectura. Sed nimirum diuino Theologo Gregorio Salomonis ſcriptum hoc iudicatum eſt: cum enim teſtimonium hinc depromſiſſet in ea oratione, quæ eſt ad exæquatorem: paruus, & magnus illic eſt, & ſeruus una cum Domino, ſubiunxit, ſicut eſt apud Salomonem: ualeant igitur, qui ſcripturam hanc tamquam confictam, nec inſpiratam diuinitus criminantur. Hæc omnia αὐτολεξὶ, totidemq. uerbis Olympiodorus, qui hanc opinionem Gregorio Nazianzeno de ſcriptore libri fuiſſe credit, ut Salomonem eum exiſtimant. Nam quod teſtimonium Gregorius tamquam Salomonis uſurpati in tertio capite huius libri reperitur, eandem opinionem Niceta Gregorii orationum græcus interpres eidem tribuit: cuius ſententiæ illud magnopere fauet, quòd Vaticana Biblia græca, de quibus in proxime ſuperiore capite inter Salomonis libros habent Iobi librum interiectum: & quia in Synopſi ſua Athanaſius non ſecus quàm Vaticanus codex Iobum in ordinem ſacrorum librorum redigit. Oratio autem illa Gregorii, cuius in ſua pręfatione meminit Olympiodorus, eſt ad exæquatorem Iulianum familiarem ſuum, qui in ea re ἐξισωτὴς,

ideſt exęquator dictus eſt, quòd publicis uectigalibus corrigendis, & exęquandis prępoſitus erat. Polychronius Apameę Epiſcopus, qui gręca commentaria reliquit in Iob: e quibus in collectitium hunc, quem ipſi latinum fecimus, commentarium ſunt quamplurimę ſumptę ſententię,& explicationes, qui poſt CHRISTI in terras aduentum floruit anno CD. deciminoni capitis, faciens interpretationem Moyſi, aut Salomoni hiſtoriæ Iobi ſcriptionem concedit. Gregorius in pręfat. moralium in Iob. c. 1. a Iobo librum ſcriptum eſſe contendit: nonnullaque ſibi obiicit, ac diluit. Auctor commentariorum in Iob, qui nomen præſeferunt Hieronymi, ſed eorum parens legitimus eſſe Beda a doctis ueris creditur in expoſitione tertij, & 32. capitis, hiſtorię ſcriptorem arbitratus eſt eſſe Moyſem communemque hanc ait eſſe opinionem: his enim in tertij cap. explanatione loquitur uerbis. Scriptor huius hiſtorię, quem Moyſem eſſe tradit opinio. In hanc ipſam eſt adductus ſententiam tum uberiorum, tum contractiorum in Iob gręcorum commentariorum, qui nomen præſeferunt, Origenis, auctor. Quamquam magnorum commentariorum architectus non a Moyſe totum Iobi librum confectum eſſe ait. Nam ab alio quopiam diſputationes, quę Iobo cum amicis fuerunt litteris, memorięq. proditas: Reliqua omnia Moyſem ipſum accepiſſe diuinitus, ſcripturaque perſecutum eſſe: ipſas uero diſputationes de Syrorum lingua in hebręam ab eodem eſſe conuerſas. Hactenus de opifice libri. Iam uerò ſcriptionis tempus coniectura haud difficili aſſequi poſſumus. Si enim a Salomone ſcriptum eſſe uolumus, in eius ętatem neceſſario incidit. Si a Moyſe, nequaquam eo poteſt eſſe liber antiquior: ſi a Iobo, ut placet Gregorio, ſupparem librum Iobo eſſe oportet. Quare aut in iudicum tempora, quibus uixiſſe Iobum tradit Gregorius, conferendus erit: aut ei tempori, quod multis annis Moyſis ortum pręcucurrit, tranſmittendus. Namque inter mortem Iobi, ortumque Moyſis, non paucos annos interceſsiſſe e Clariſsimis Patrum monimentis perſpici poteſt. Sed quę tandem Moyſi fuit cauſſa huius libri ſcribendi? duplex. Prior explicatur ab auctore maiorum commẽtariorum in Iob, qui nomine inſcribuntur Origenis: poſterior in breuiore illa explanatione totius libri habetur, quam ab eodem Origene profectam falſo ſuſpicantur nonnulli. Animum ergo ad hanc ſcribendam hiſtoriam Moyſes appulit; primum ut incredibilis patientię exemplo propoſito Iudęos, qui

intolerabilis ſeruitutis iugo ab Aegyptiis premebantur erigeret, ac ſolaretur. Priorem hanc cauſſam in ſua in hunc librum Hypotheſi Polychronius indicauit. Deinde ut tumidas eorundem ceruices in claritate generis, in promiſſorum magnitudine futiliter exultantium frangeret. Cum enim audiunt hominem ex eo genere, quod Deo fuit peruiuiſum extitiſſe; qui eidem Deo ſumme carus fuerit, parteſque omnes uirtutis expleuerit; eodem tempore prorſus intelligunt ad Dei Opt. Max. amicitiam, atque ad ęternitatem non tam maiorum gloriatione, iactationeque generis, quàm ſuis meritis, ac benefactis niti oportere.

QVO GENERE SERMONIS LIBER SIT SCRIPTVS, & qua ſpecie orationis, ſolutæ, an poeticæ. Cap. III.

IN extrema parte hiſtorię, Iobi græce ſcripię, quam partem ex editione ſeptuaginta interpretum eſſe affirmat Origenes in illa ſua pererudita epiſtola ad Iulium Aphricanum; & quam ipſam in Theodotionis editione idem Origenes uidit: ex qua Theodoretus in qq. in Geneſim q. 92. tamquam e uera ſcriptura teſtimonium promit: quam item ut diuinę hiſtoriæ partem Chryſoſtomus, Olympiodorus, Euagrius, Iulianus, Soterus explicationibus ſuis illuſtrant: in ea inquam extrema hiſtoria eſt. Iobi librum Syriace fuiſſe perſcriptum: id quod ſententiam auctoris plenioris expoſitionis gręcę in tria prima capita huius libri admodum iuuat. Hic enim auctor, quę a Iobo cum tribus amicis diſputata ſunt, Syriace fuiſſe conſcripta demonſtrat. Moyſes uero hebraice expreſsit, hoc eſt in hebręum uertit, ſed tamē qui ſermone hebręo Iobi librum à primo ſcriptum fuiſſe dixerit; primumque illius ſcriptorem Moyſem extitiſſe, locum qui e parte extrema hiſtorię profertur ex editione 70. ac Theodotionis, explanare hac ratione poſſet. Vt illic Syriace idem ſit, quod hebraice. Id quod Iuliani interpretatio plane confirmat. Sic enim ille. Linguam, quę hębraica nunc eſt, Syriacam uocat: quoniam eſt Syrorum ſermoni finitima. Nam duabus, & uiginti litteris quemadmodum Hebręi utuntur: & Syriam Iudęam, Syros autem Paleſtinos plerique nominant, ut Herodotus: qui his uerbis loquitur. Circumciduntur autem Indi, & Aegyptij, &

Arabes, & qui in Palęſtina ſunt Syri. Septuaginta interpretes, ex Hebręorum genere uiri Clariſsimi, Legumque diuinarum periciſſimi, Ptolomęi Philadelphi Regis Aegypti efflagitatu, quę litteris hebręis prodita erant à Moyſe, ipſi ante Chriſtianę Religionis exortum amplius trecétis annis gręcis monimentis conſignarunt. Tantiq. gręcam hanc ſacrorum uoluminum interpretationem, quę ab ſeptuaginta illis doctoribus facta eſt, apud Iudęos fuiſſe accepimus, ut ipſos octingentós annos, ea ſint in ſuis cetibus, & ſynagogis uſi. Porro autem ſeptuaginta interpretum editionem. Gręcam, Latina, eaque fideli interpretatione Latinę Eccleſiæ Hieronymus dedit, ut ipſe in pręfatione in hunc librum eſt teſtis; quam tamen Hieronymi interpretationem iure dolere poſſumus temporum nobis calamitate fuiſſe ereptam. Dictionis hebraicę formam ſatis impuram eſſe, atque permiſtam, ab iis, qui pręclate ſcirent hebraice, ſępius ipſe audiui. Quocirca S. Hieronymus in pręfatione ſua, in qua librum de hebręo ſe conuertiſſe confirmat, illud etiam addit, fore; ut in illa ipſa interpretatione ſua modo Arabica, modo Syriaca reſonent. Et in pręfatione in Danielem ſcribit: Iob cum Arabica lingua plurimam habere ſocietatem. Species orationis grandiloquentiam poeticam habet.
„ *Multi*, inquit D. Ambroſius in libro de interpretatione Dauid, *de-*
„ *plorauerunt infirmitatem fragilitatis humanæ, excellentius tamen ce-*
„ *teris Sanctus Iob, & Sanctus Dauid: ille ſuperior directus, uehemens,*
„ *& acer, & quaſi grauibus exaſperatus doloribus maiore cothurno.*
„ At Hieronymus in epiſtola ad Paulinum. *Iob exemplar patientiæ,*
„ *quæ non myſteria ſuo complectitur ſermone? proſa incipit; uerſu*
„ *labitur; pedeſtri ſermone finitur.* Numeris ſunt relaxata poeticis, quę à libri initio ad ea uerba dicuntur, *Pereat dies*, & quę in poſtrema parte libri poſita ſunt, ſtatim poſt ea Iobi uerba, *Iccirco me reprehendo, & ago pœnitentiam in cinere & fauilla.* Reliqua omnia in pręfatione ſua docet Hieronymus uinculis adſtringi poeticis. Ac licet magnam partem hęc diuina oratio conſtet ſpondęo, ac dactylo; alios tamen interdum pedes aſſumit, temporibus, ſi non ſyllabis, ſpondęo ac dactylo pares, quod eidem Hieronymo eſt diligenter animaduerſum. Polychronius Apameæ Epiſcopus, homo antiqua ſanctitate, ac doctrina excellens, in ſua in librum hunc Hypotheſi Iobi librum hebræo uerſu qui poetarum à noſtris ſacris abhorrentium tragędię reſpondeat, ſcriptum eſſe confirmat.

IOBI, QVAE IN HOC LIBRO DESCRIBITVR VITA, hiſtoria ne ſit; an parabola, aduerſus Iudæos. Cap. IIII.

IOBVM uerum hominem extitiſſe, nec ſecus quàm ceteros mortales in ſuæ matris utero ſatum, & altum, & in lucem editum, atque ſuſceptum, & clarum uixiſſe in Terris, atque ijs omnibus, quæ in eius leguntur hiſtoria perfunctum eſſe, & in numerum Sanctorum relatum, & nunc in cœlo beatum æuum agere eſt apud Chriſtianos quàm certiſsimum. Nam ſanctiſsimo viro priuatas, ac publicas preces adhibent; templa excitant, religioſas ſodalitates eiuſdem nomine inſtitutas habent. Verum enim quod exterarum gẽtium nomen fuit Iudæis ſemper inuidioſum: præſertim cum quapiam gloria, quàm ſuum ipſorum, ampliore ſplendeſceret; & quo ipſi per ſocordiam peruenire minime potuerunt, ceteris interclusum eſſe aditum putauerunt: ideo tam fœde eſt eorum prolapſa amentia; vt quæ veriſsime de Iobo ſcriptura narrat, ad parabolam, atque ad orationem commentitiam cuncta transferrent. Cum his ergo hoſtibus nunc congrediendum eſt, & quàm paucißimis ictibus conficiendi. Certarum perſonarum adiunctione parabola caret: Iobi hiſtoria certarum, multarumq. perſonarum ſermone eſt tota diſtincta: nequit igitur eſſe parabola. Eodem accedit, quòd, quæ plurimorum animos falſa religione contaminare poſſunt, nequaquam à Deo impertiuntur, commendanturq. hominibus: Iobi uero egregie dicta, & facta commendantur diuinitus, Deoq. approbante infinitæ poſteritati ponuntur: ergo debent eſſe a falſæ religionis periculo quàm remotiſsima: At non eſſent ſi, quæ dicuntur, non ad hiſtoriæ veritatem efferentur: propterea quòd quàmplurimi ad Iobum orandum, religioſeq; exorandum ipſa Dei de Iobo prædicantis auctoritate adducerentur. Ne igitur impietatis aliquam labem hiſtoriam dictanti Deo aſpergamus, Iobum tum hominem, tum eiuſmodi uirum, cuiuſmodi in hoc libro laudatur, extitiſſe fatendum eſt. Poſtremo, Diuinarum ſcripturarum conſuetudine, Iudicioq. naturæ eſt alieniſsimum, ut ueniam impunitatemq. reis depoſcendi, illoſq. periculis eximendi, hominibus, qui nuſquam fuerunt, poteſtatem factam eſſe demonſtrent. Atqui Deus in Ezechiele cap. 14. tres gratioſos apud ſemetipſum deprecatores

ponit

ponit Noe, Daniel, & Iob, quos illic uiros appellat: quos tamen negat, facinoroſis illis impijsq. Iudæis, quibus Deus tunc erat vehementer offenſus, ueniam impetraturos: de ueritate igitur humanæ naturæ, quæ per æque in beatiſsimo Iobo, atque in cunctis fuit hominibus, dubitare immane eſt ſcelus, atque execranda impietas. Quare ab Iudaicæ impietatis fabulis abeamus: atque ad reliqua noſtra pergamus.

DE IOBI NOMINE, GENERE, ORIGINE ac ſtirpe: de vita conditione, ac dignitate.

Cap. V.

MVLTIPLEX fuiſſe Iobum nomen adeptum e diuinis ſcripturis planum fieri poteſt. Nomen illi percelebratum atque contritum fuit Iob: Hoc enim nomine ſemper in hoc ipſo libro, & apud Ezechielem cap. 14. non ſemel eſt à Deo appellatus. Idem nomen obtinet apud Thobiam cap. 2. & apud Iacobum in ſua Epiſtola Catholica cap. 5. Alio fuit Iobus nomine, quo de nomine eſt inter uiros doctos nonnulla diſſenſio. Theodoretus, cui Græci Patres aſſentiuntur, explicans. 92. q. in Geneſim Iobab alterum nomen fuiſſe Iobo perſpicue docet. Nec alius Iobab fuiſſe putatur, atque is, quem Idumeæ Regem fuiſſe tum in Geneſi cap. 36. tum in primo Paralipomenon c. 1. eſt proditum. Nec de eius nomine ſeptuaginta ſiluerunt, qui mortuo Balaco Idumeæ Regnum Iobo delatum eſſe ſcripſerunt. Sic enim eſt in extremo libro, *Poſt Balac autem Iobab, qui uocatus eſt Iob.* Sed tamen Diuus Hieronymus in qq. in Paralipom. Iaſub uult eum eſſe nominatum; atque in eo ipſe nomine libentius acquieſcit. Iobi uero nomen quid ualeat, notationemq. uocabuli ſi ſcire aues, tum à D. Hieron. in qq. in Paralipom. tum à magno Gregorio initio lib. 6. commentariorum in Iob, tum denique à doctiſsimo Didymo diſcere potes. Etenim Hieronymus docet Iob ululationem, dolentemq. ſignificare: poſteriorem notionem loco, quem indicauimus, eſt amplexus Gregorius. Didymi hæc ab Olympiodoro in Cathenam hanc Græcam, quam Latine ipſi interpretati ſumus, uerba ſumuntur. Iobi uero nomen, patientiæ nomen eſt atque intelligitur; ut id iam fuerit, quod antea uocatum erat: aut uero id uocatum ſit, quod quidem fuit. Sed e quo genere,

quaue

quaue natione is extitit? D. Auguſtinus in lib. 18. de Ciuit. Dei. cap. 47. ex Idumæorum gente Iobum profectum eſſe ſcribit: neque ad Iſraeliticam nationem eum pertinere. Chryſoſtomo Iobus eſt Arabs, ei enim placet Regionem Auſitidem Arabiam eſſe. Verum cum ipſa Auſitis in Arabiæ & Idumeæ finibus ſita ſit, ut Euſebio uiſum eſt, qui ſuæ ſententiæ teſtem dilaudat Ariſtæum; quod etiam in ſua editione ſeptuaginta oſtendunt; qui in huius hiſtoriæ parte extrema non ſecus quàm Ariſtæus, & Euſebius in ſitu orbis terræ collocant Auſitidem, recte eundem Arabem, atque Idumæum poſſumus appellare, quæ enim extrema ſunt, ei rei, quæ media eſt interiecta, & qua ipſa iunguntur, nomen ſæpe ſuum impertiunt. Ita Peruſia, quòd Vmbriæ, Hetruriæq. fines attingit, in utriuſque Prouinciæ urbibus numeratur. Ortum nunc, Iobi ſtirpemq. uideamus. S. Hieronymus quærit hoc ipſum in qq. in Gen. Opinionemque Hebræorum complexus e Nachor, qui Habraami frater fuit, ſtirpe Iobum generatum eſſe contendit: cui non pauci Patres doctrina, & auctoritate graues reſiſtunt, in quibus eſt Athanaſius, Chryſoſtomus, Theodoretus, Auguſtinus, Olympiodorus, necnon externus hiſtoriæ ſcriptor Ariſtæus; qui omnes conceptum ſatumq. Iobi in Eſau familiam referunt. In Synopſi Athanaſius Iobum ante tempora Moſis, quinctum ab Habraam ex poſteris Eſau eſſe narrat. Lege Chryſoſtomi de Iobi patientia Homiliam ſecundam; lege, quæ in hac ipſa Cathena habentur, atque ex eius ſcriptis recitantur. Lege Homiliam 82. ad populum Antiochenum; in qua Eſau, qui animo Patricida, Matricida, & Fratricida erat, necem ait iccirco prohibitam eſſe diuinitus, quia, inquit, *Si ſuccisus fuiſſet, maximum eleemoſynæ fructum,*
„ *& iuſtitiæ mundus amiſiſſet: & qualem audi. Eſau genuit Raguel.*
„ *Raguel Zara. Zara Iob. uides quantus tolerantiæ fructus fuiſſet per-*
„ *ditus, ſi præueniens Deus a radice pœnas exegiſſet?* Hæc Chryſoſtomus. Theodoretus 92. quæſtionem de Iobi origine in libro Geneſeos ponentis & explicantis hæc ipſa ſunt uerba. *Vnde Iob originem*
„ *traxit? Ab Eſau: hoc enim docet de eo ſcripta hiſtoria. Vir enim, inquit,*
„ *erat in Regione Auſitide, hoc itidem et demonſtrauit B. Moſes, qui de-*
„ *ſcribens ſucceſsiones eorum, qui regnauerunt ab Eſau, ſic ait, mortuus* Geneſ. 36.
„ *eſt Balac, & regnauit pro eo Iobab filius Zare de Boſra*, quæ omnia conſentiunt cum hiſtoria Iob. Dices, in qua parte extant hiſtoriæ, quæ a Theodoreto ſignificantur? nempe in poſtrema ex ſeptuaginta interpretum, atque adeo Theodotionis editione: ſic enim

enim ſeptuaginta. Fuit autem hic (de Iobo loquuntur) e patre quidem Zara, Eſau filiorum filius, matre autem Boſora, ut ipſe quinctus ſit ab Habraam. D. Auguſtinus Idumæum illum cum facit, ſcilicet ad Eſau proſapiam, quæ in Edom, ſeu in Idumæa regnauit, prorſus allegat. Eiuſdem eſt ſentētię comes maiorum minorumq. commentariorum in Iob grauis auctor minime indoctus. Denique in hanc eandem ſententiam in epiſtola ad Euagrium ipſe eſt deductus Hieronymus. Maneat igitur e gente Idumæa, atque ex Eſau familia procreatum eſſe clariſsimum Iobum. De cuius uitæ conditione, ac dignitate, hæc ab Eccleſiæ magiſtris traduntur, Sacerdotem, Prophetam, Regemq; eum fuiſſe: quia enim CHRISTVM Dominum pręſignificabat, Sacerdotii, Prophetiæ, Regniq. gloria præſtare eum decebat. Sacerdotii munere fungebatur, cum pro ſalute filiorum hoſtias mactaret: cum Dei admonitu, ac uiſſu tres amici uictimas ad eum adduxerunt, ut pro eorum ſalute, atque expiatione immolaret. Sacerdos & oblator munerum a Hieronymo in epiſtola ad Euagrium nuncupatur. Propheta eximius ab Auguſtino in 6. ſermone de tempore. ſpirituq; eum imbutum eſſe prophetico lib. 14. mor. c. 17. propalam docet magnus Gregorius; eamq; ob rem, eum nunc CHRISTI, nunc Eccleſiæ perſonam ſuſtinentem magna, ac mirifica oracula fundere. Sane certe ab nullo oraculum editum, expoſitumq; eſt de reſurrectione illuſtrius, quemadmodum in epiſtola ad Euagrium ſentit Beatus Hieronymus. Eundem Regem fuiſſe, cum nonnulli Cathenæ huius doctores affirmant, tum Chryſoſtomus in hom. 4. de laudibus Iobi haud uerbis profitetur incertis, necnon Polychronius in explanatione cap. 4. atque etiam Olympiodorus in protheoria cap. 38. Sed multo certius eſt ipſius Moyſis teſtimonium, tum in 36. cap. Geneſeos, tum in extrema Iobi hiſtoria Idumæorum Regum ſucceſsionem pertexentis. Iobi uero uxor Regina fuit, quemadmodum eſt apud Baſilium in hac eadem Cathena in ſecundi capitis expoſitione. Valent hæc ſcilicet ad beatiſsimi Iobi gloriam illuſtrandam non parum. Verum illud, quod ei à Chryſoſtomo tribuitur, ad iuſti nomen, dignitatemq. commendandam ualere debet quàm maxime. In prima enim homilia poſterioris epiſtolæ ad Corinth. atque in 25. ad populum Antiochenum. Martyrem Iobum fuiſſe, & acerbiora quàm multos martyres eſſe perpeſſum, eſſeq. cum innumeris martyribus conferendum nititur perſuadere. Quod autem in

huius

huius præſtantiſsimi Doctoris ſcriptus eſt admirabilius. Hom. 34. in Matth. & in quincta oratione de laudibus Iobi, eum cum Apoſtolis comparat; perbelleq. & argute conficit, ſi illis non fuit ſuperior, inferiorem certe minime extitiſſe. Gemmeam ſtatuam, Adamantem, uirtutis Athletam, aureum ſimulacrum in hoc commentario eundem appellat: in prima uero oratione, qua huius Beati laudes ornat, orbis terrarum Athletam uocat. A D. Baſilio inuictus Athleta dicitur in ſexta oratione in diuites. Græciq. Patres ἄνδρα μυρίαθλον καὶ πολύαθλον ideſt, multorum, & ſexcentorum certaminum uirum ſunt ſoliti nuncupare.

QVOT IN PARTES IOBI LIBER TRIBVATVR, & quæ ſit cuiuſque partis propria hypotheſis. Cap. VI.

RITE in quattuor partes Iobi liber diuidi poteſt. Prima primis tribus capitibus; Secunda octo, & uiginti: Tertia quinque; Quarta ſex reliquis continetur. In prima parte Iobi claritas, altitudo fortunæ, & gloriæ, ſpecioſæ ſobolis fructus, rerum omnium repentina conuerſio, ac ſubita amiſsio, Satanæ in eius fortunas, in liberos, quos ruina domus trucidauit uniuerſos, atque in Iobi corpus nefarius, crudeliſsimoq. odio incitatus impetus, trium amicorum, qui ad Iobum conſolandi cauſſa commearunt, aduentus, eorumq. ſeptem dies, ac noctes humi ſeſſio, atque ſilentium, poſtremo diræ commemorantur, & execrationes, quibus ſui ſatus, & ortus tempus Iobus deuouit. Secundam partem ſibi uendicant inuolutæ, plenæq. myſterijs Iobo cum amicis habitæ diſputationes; quas quidem diſputationes omnes una continet quæſtio, quam a D. Ambr. in 2. lib. de interpellatione Iob. c. 1. & 2. exponi vberrime, a D. Chryſoſtomo, ab Olympiodoro, qui in ſuis explicationibus paſsim eam uſurpant, a Didymo, Origene, & Polychronio, ſubtiliter notatam eſſe animaduerti. Hęc enim opinio in trium amicorum animis penitus inſederat. Nullum uexari in Terris, nullum a Deo male multari, niſi ob ſua ſcelera: in quo illi uehementer errabant; cum alias etiam ob cauſſas ſæpenumero diuexari ſuos Deus patiatur. Illud autem in diuina prouidentia erratum, quod trium amicorum Iobi mentes occuparat, peperit alterum: colligebant enim contaminatum, inſigniumq.

ſcelerum

ſcelerum maculis notatum Iobum: quandoquidem inauditis eum cruciari malis cernebant, in quo grauiſsime illi apud Deum offenderunt: cum hominis inſontis, & cum primis Deo cari vitam iniuſtiſsimis calumnijs exagitarunt. Cum igitur Iobus non cum amicis amplius, ſed cum infenſiſsimis aduerſarijs ſibi iam comminus pugnandum videret: pernicioſam illam opinionem conuellere, & euellere, quæ diuinæ prouidentiæ rationes conturbat, firmiſsimis adoritur argumentis: nulliq. ſe culpæ, quam in ipſum falſo conferebant, affinem eſſe demonſtrat. Sed multo maxime ſe in omni vita officia omnia, quæcunque a frugi, honeſtoq. homine exſpectari poſſunt, coluiſſe. Vt intelligant turpiter ſe labi cum inuſitatum genus uexationis, quod in ipſum diuinitus inciderat, ad inuſitata facinora temere falſoq. referebant: cumque de Deo male exiſtimabant, quòd ab eo ſceleribus, ſceleratisq. dumtaxat hominibus irrogari ſupplicia pugnaciſsime defendebãt. Ad hæc, Iobus, ut Olympiodorus inquit in 32. cap. protheoria, fallentia amicorum iudicia declinans apud Deum optat cauſſam dicere; ut tanta animaduerſione nihil ſe dignum geſsiſſe demonſtret. Hacq. diuina dialectica amicorum telam magnis contextam erroribus, ita retexuit, ut ad extremum illi ne hiſcere quidem ſint auſi. Ita in 3. parte, ſermone ad Iobum eiusq. amicos conuerſo Elius Buzites Barachielis filius loquitur ſolus, tam amicis, quàm Iobo offenſus. Illis, quia in diſputando ſuccubuiſſent, atque obtrectando Iobi vulnera cum grauiore doloris ſenſu ſcidiſſent. Iobo: quòd apud Deum experiri uelle ſe dixerat; ſuamq. virtutem, & innocentiam uenditarat. Atque hic ipſe Elius de prouidentia, qua Deus probis conſulit hominibus, de diuina iuſtitia, poteſtate, ac ſapientia diſſerit magnificentius. Qui cum ad exitum ſuam adduxit orationem, non eſt ei a quoquam reſponſum. In quarta demum, ac poſtrema parte Deus ipſe e turbine ſe Iobo oſtendit: ſermonesq. cum eo confert familiariter. Huius poſtremæ partis huiuſmodi eſt ab Olympiodoro in 38. capitis protheoria allata Hypotheſis. *De omnibus, quæ dicta erant, Deus facturus iudicium, ea quidem, quæ de prouidentia diuina recte dicta fuerunt, amplectitur; atque ob id ipſum hiſce de rebus ille diſputat copioſius. Blanda autem Iobum oratione compellat: vt nos illius iudicia incomprehenſa eſſe doceat. Amicos vero obiurgat; quod de rebus, quarum eſſent ignari, pronunciaſſent. At vero Elium nec laudat, qui Iobi ſenſum, quo verba promebantur, minime perſpectum haberet:*

nec

„ *nec cauſſam contentionis teneret: nec vero eumdem vituperat; quan-*
„ *doquidem haud ſanctum condemnauit. Iuſtum autem tum corona, tum*
„ *præconio ornat, effertq. verbis. Arcanum item enunciat, tentationisq.*
„ *cauſſam exponit. Non enim, inquit, quaſi iniuſtus aliquis eſſet, ſic iu-*
„ *ſtus paſſus eſt Iobus: verum quo eius iuſtitia appareret. Iam vero dum*
„ *eum verbis demulcet, atque confirmat, Incarnationis myſterium ape-*
„ *rit: & communis hoſtis humanæ naturæ robur, ac crudelitatem nar-*
„ *rat. Tandem poſt multa certamina, poſt diuinæ vocis adhibitam con-*
„ *ſolationem, protinus eſt ualetudo conſecuta: ſtatimq. is, qui ſanie diſ-*
„ *fluebat, qui vermium imbres mittebat; in ſtatum eſt priſtinum reſti-*
„ *tutus. Vndique enim eorum, quibus ille notus erat, concurſus factus*
„ *eſt, qui eum ſint muneribus proſecuti: & id quidem omne, quod ad*
„ *copiam ſpectabat diuitiarum, altero tanto maius fuit. Tantum libe-*
„ *ri eodem, quo antea, numero extiterunt: neque enim ij, qui corpori-*
„ *bus iam exceſſerant, penitus fuerunt extincti.*

IN OMNI CONCERTATIONE, QVAE INTER Iobum, & amicos verſata eſt, nihil eſſe ab Iobo, ab amicis multa eſſe peccata. Cap. VII.

ITA animo Iobum conſtitutum fuiſſe, ut toto diri illius cruciatus tempore nihil in uerbis deliquerit, ij, qui principes auctoritate, doctrina, & ſanctitate nobis eſſe debent, non uerbis ſolum docent; uerumetiam rationibus minime leuibus perſuadent. In ijs eſt D. Auguſtinus, Magnus Gregorius, Chryſoſtomus, Polychronius, ut interim de auctore taceam græco, qui magnos in prima tria capita edidit commentarios. Iobo Diuus Auguſtinus in Pſalmum 103. Concione 4. uerba illa expla-
„ nans *Draco iſte, quem finxiſti ad illudendum ei*, his uerbis, atque ſen-
„ tentijs ſuffragatur. *Repulſus eſt tentator; obſeruatum eſt caput eius:*
„ *penetrare non potuit in cor*. Et poſt aliquanto. *Dicebat ille multa:*
„ *quanta enim dixit Iob, qui legerunt, nouerunt. In tam multis illis ver-*
„ *bis obſeruabat ſerpens calcaneum labentis: ille autem, qui caput ob-*
„ *ſeruabat ſerpentis, repulit omnem ſuggeſtionem*. Et paucis uerſibus
„ interiectis. *Inter illa omnia*, inquit, *quæ dixit, nuſquam lapſus eſt*,
„ *quod multi in illis verbis non intelligunt: & quædam ibi ſic accipiunt:*

quaſi

,, *quaſi aliquid durum dixerit Iob in Deum :* Locumq. unum, qui aſperior uidetur in Iobi ſermone perpurgat egregie Auguſtinus; eoq.
,, perpurgato, hæc addit. *Sicut igitur vnum hoc expoſuimus, quan-*
,, *tum Dominus dedit, quod durum videtur dictum a Iob : ſic cetera,*
,, *quæ ibi videntur, quaſi aſpera, & blaſphema, habent intellectus ſuos;*
,, *quod putaremus aliter eſse, niſi Deus perhiberet teſtimonium, &*
,, *antequam loqueretur Iob; & poſtea quàm totum locutus eſt. Perhi-*
,, *buit Deus primum teſtimonium dicens. Homo ſine querela, verax,*
,, *Dei cultor. Dixit hoc Deus, dixit ante tentationem illius. Ne quis*
,, *autem in illis verbis forte male intelligens ſcandalizaretur, & puta-*
,, *ret iuſtum quidem fuiſſe Iob ante tentationem; in tentatione autem*
,, *graui defeciſſe, & lapſum eſſe in ſacrilegam blaſphemiam : finitis omni-*
,, *bus ſermonibus, & ipſius Iob, & amicorum eius, a quibus ei conſo-*
,, *latio reddebatur, dicit Dominus teſtimonium; illos non uerum locutos,*
,, *ſicut ſeruum eius Iob. Non enim locuti eſtis, inquit, coram me verum,*
,, *& rectum quidquam, ſicut ſeruus meus Iob. Deinde, iubet, vt il-*
,, *le pro eis offerat hoſtias, quibus eorum peccata ſoluantur.* Nec aliter atque Auguſtinus pro Sancto Iobo dicit Gregorius in 3. Cap. ſuæ præfationis in Iob. Tribus enim utitur argumentis, quæ nec latuerunt, nec prætermiſſa ſunt Auguſtino. Primum his ipſis uerbis explicatum eſt a Gregorio, *Quiſquis ergo Sanctum virum in-*
,, *ter flagella poſitum in dictis ſuis peccaſſe aſſerit, quid aliud, quàm*
,, *Deum, qui illum propoſuerat, exceſſiſſe reprehendit? ipſe quippe in*
,, *ſe tentati cauſſam ſuſcipere voluit; qui eum & ante flagella prætulit,*
,, *& præferens per flagella tentari permiſit. Si ergo exceſſiſſe Iob di-*
,, *citur, laudator illius ſuccubuiſſe perhibetur.* Secundum Argumen-
,, tum. *Quamuis*, addit Gregorius, *eum nullatenus deliquiſſe etiam*
,, *dona teſtantur. Quis enim neſciat, quòd culpis non præmia, ſed pœnæ*
,, *debeantur? qui ergo duplicia recipere, quæ amiſerat, meruit; ex re-*
,, *muneratione edocuit, quia nequaquam uitium; ſed virtus fuit omne*
,, *quod dixit.* Poſtremum Argumentum. *Aſſertioni quoque huic ad-*
,, *huc adiungitur, quòd ipſe pro amicis delinquentibus intercedit, in gra-*
,, *uibus namque peccatis quis poſitus, dum ſuis premitur, aliena non di-*
,, *luit.* Quemadmodum etiam pro Iobo pugnet Chryſoſtomus, & Polychronius ex hoc commentario, quod de græco ipſi uertimus poteris cognoſcere. Extra culpam igitur Iobus. Amici non item, quos ſeptem criminum notæ inurunt inſignes. Prima eſt inhumanitatis. Secunda uiolatæ amicitiæ. Tertia ſpretæ conſanguinitatis. Quarta arrogantiæ. Quincta iniuſtitiæ. Sexta falſitatis.

Septima

Septima flagitioſę defenſionis, qua patrocinari ſe Deo arbitrabantur. Inhumanitatis eſt ijs culpa in eo magna contracta: quòd hominem, repentino ex bonorum arce improbi dæmonis ſcelere deturbatum, omnibus fortunis euerſum, liberis ruina domus miſerabiliter obtritis vno momento orbatum, immani corporis lue, quę vim uermium propemodum infinitam omnes artus exedentium, in toto corpore proſeminarat; ſummorum etiam dolorum cruciatu confectum: quem nemo barbarus homo ſine lacrymis, ſine gemitu, atq; ſingultu adſpicere potuiſſet, illi in ea tota diſputatione non modo nulla commiſeratione demitigarunt, ſed etiam orationis acerbitate, conuiciorumq. atrocitate, vehementius exulcerarunt. Amicitię uero in eo iura omnia nefarie uiolauerunt: quòd cum amicitia ſecundas, & aduerſas res patiatur: condimentumq. amicitiæ haud quaquam mediocre ſit ſuauitas ſermonum, atq; morum: ac ſi obiurgandus interdum amicus videatur, adhibita lenitate, id faciendum ſit: illi ex amici ærumna non ſolum quidquam non deonetarunt, quod in ſeipſos traijcerent: verum etiam illum nouo calamitatis genere onerarunt, nec modo nullam blandam orationem adhibuerunt; ſed diritate dictorum Iobi mentem ſingulis momentis ſauciauerunt. Obiurgatio uero eiuſmodi fuit, quali nec barbari vſuri fuiſſent. Cognatio uero, atq; propinquitas, qua illos ipſos Iobo finitimos eſſe probat Olympiodorus, quam eis fuerit indigne deſpecta, quid attinet dicere: cum officia ac iura conſanguinitatis nequeant vlla conſiſtere, communis naturę, amicitięq. muneribus, momentisq. ſublatis? Iam uero arrogantię teſtes ſunt eorundem uoces de ſe ipſis, deq. ſua inani ſapientia glorioſius prædicantium. Iobi vero, cui ob nobilitatis, virtutis, & ſcientię gloriam honoris plurimum deferre debuiſſent, abiectam illius duri temporis condicionem ſtomachoſius aſpernabantur. Iniuſtitię crimen tunc erat inſigne, cum indigna cum criminatione figebant: cum eius famam nimiam calumniandi licentia atrodebant; cum ueram neceſſariamq. defenſionem, quam pro ſe Iobus ſuſcipiebat, eripiebant illi, probroq. obijciebant. Scelere autem ſunt falſitatis obſtricti: cum Iobo inexpiabiles fraudes conceptas eſſe dixerunt, quæ ne ſomnianti quidem ei occurrerunt. Poſtremum crimen eſt flagitioſæ defenſionis: nam ad cauſſam non bonam peſſimam rationem attulerunt, putaruntq. iuſtam Dei defenſionem, e Iobi accuſatione, quam iniquiſſime factitarunt,

tarunt, aptam eſſe; nec viderunt ſe eodem tempore,& Dei cauſ-
ſam, in qua ob inſcitiam hallucinabantur; & propinqui amici-
tiam, in quem falſisſima intorquebant maledicta, turpiter pro-
didiſſe. Quid enim aut ab humanitate, aut ab amicitia, aut a ſan-
guinis communione, aut a modeſtia, aut a iuſtitia, aut a veritate,
aut ab honeſta defenſione magis abhorrens, quam hæc Eliphazi
in Iobum oratio improbisſimis, falſisſimisq. armata conuicijs?
Job.c.22. „ *Numquid* (his enim loquitur verbis) *timens arguet te, & veniet*
„ *tecum in iudicium? & non propter malitiam tuam plurimam, & in-*
„ *finitas iniquitates tuas? Abſtuliſti enim pignus fratrum tuorum ſine*
„ *cauſſa, & nudos ſpoliaſti veſtibus. Aquam laſſo non dediſti: & eſu-*
„ *rienti ſubtraxiſti panem: in fortitudine brachij tui posſidebas terram,*
„ *& potentisſimus obtinebas eam: viduas dimiſiſti vacuas: & lacertos*
„ *pupillorum comminuiſti: propterea circundatus es laqueis, & con-*
„ *turbat te formido ſubita.* Quæ ſane ſcelera in cuiuslibet alterius
potius, quàm in Iobi perſonam cadere poterant. Haud ergo mi-
rum videri debet: ſi Deus controuerſię iudex tantam verborum
indignitatem non ferens, poſtquàm Iuſto Iobo victoriam ad-
iudacauit; ad Eliphazum conuerſa oratione, eum, reliquosq́.
duos amicos haud leuiter quateſecit. Hæc enim ex ſeptuaginta
interpretatione ſunt verba Dei ad Eliphazum Themanorum Re-
Iob. c. 42. „ gem. *Peccaſti tu, & duo amici tui: non enim locuti eſtis coram me re-*
„ *ctum aliquid, quemadmodum ſeruus meus Iob. Nunc autem ſu-*
mite ſeptem vitulos, & ſeptem arietes; & ite ad ſeruum
meum Job; & faciet Sacrificium vobis. Iob autem
ſeruus meus orabit pro vobis; quia ſi non acce-
pero faciem eius. Si enim non propter
eum, perdidiſſem vos: non enim
locuti eſtis verum con-
tra ſeruum
meum
Iob.

IOBI EXECRATIONES, QVIBVS DIEM natalem ſuum, conceptusq. noctem proſequitur, ſanctas eſſe: illaq. verba, quæ ab eo dicta videntur aſperius, caritatis, & Religionis aduerſus Deum plena eſſe.

Cap. VIII.

MALIS precibus, quibus fatum, ortumq. ſuum Iobus inſectatur, quibuſdam etiam verborum generibus, quæ intolerantis hominis, & cum Deo belligerantis ſpeciem habent, plerique capiuntur; & quemadmodum ad probam, religioſamq. orationem traduci queant, cupiunt intelligere. Id nunc ipſi conamur, e Patrum ſcriptis, atque ſententijs, eorum omnium, quæ a Iob dicta ſecus videntur, comparata defenſione. Aureaq. illa vtemur regula; ad quam obſcuriſsimarum ſententiarum, quibus eſt ſacra ſcriptura referta, dirigendas eſſe interpretationes, Origenes, & Alexandrinus Cyrillus admonent; traditq. illam Cyrillus in octauo libro Theſauri cap. 1. Origenes autem 7. lib. in Ioannem pęne in extremo: Rerumq. trium prudenti obſeruatione conſtat. Prima eſt vt perſonę, quæ in diuinis ſcripturis loquitur: Secunda vt rei, de qua loquitur: Tertia vt rei, ob quam loquitur, ratio diligens habeatur. Harum trium rerum animaduerſione difficillimorum locorum explicatio continetur. Quis igitur diem natalem ſuum, quis conceptum deteſtatur? Iobus, nempe is, qui grauitate, modeſtia, religione, virtutis conſtantia humana uincente fuit incredibili; qui patientiam ad fortiter ferendum dolorem, cunctaq. aduerſa perpetienda diuturna animi intētione firmarat; qui tamquam miles inuictus in aciem prodijt; atque cum diabolo acerrime decertauit: nec ſolum miſſæ ab aduerſario plagæ acutiſsimos ſtimulos, verum etiam reliqua eius fulmina altiſsima quadam animi exaggeratione contempſit: quem Deus ampliſsimis verbis exornauit: ut ob ea, quæ elocutus eſt Iobus, in ſuſpiciónem aliquam culpæ eum uelle uocare hominis ſit diuinæ uocis teſtimonium faſtidioſius comprobantis. Sed quid tandem execratur? Non Deum (antiquus, & Chriſtianus quidam Doctor reſpōdet) non Angelū, non hominem, non aerem, non ventum, non rem quampiam, quæ natura conſiſtat; verū id dumtaxat, quod nuſquam eſt, quod

 ἀνυπα

ἀνύπαρκτόν ἐστὶ καὶ ἀνυπόστατον, præter quàm quod ipſe dies, ſi pro quattuor & viginti horarũ interuallo ſumatur, extra animi intelligentiam horarum ſpatia copulantis minime reperitur: ut execrationi haud ſubijci poſsit. Rei autem, cuius natura nulla cohærebat, male Iobum precatum eſſe docent hi omnes: Chryſoſtomus, Gregogorius, Polychronius, Olympiodorus, Seuerus, breuiumq. commentariorum in Iob gręcus Auctor non ineruditus. Verum huic explicationi Diui Gregorij aduerſa ratio intercurrit: ſic enim contortulam Gregorius rationem ſuam concludit. *Si* „ *ſubſiſtebat res, cui malediceret, pernicioſum maledictum intulit; ſi* „ *autem non ſubſiſtebat, ocioſum*. Hæc ille. Iſti autem rationi dupliciuia poteſt occurri. Primum enim dicere fas eſt, quamuis deteſtabilis ille dies per ſe ipſe nuſquam cohæreret, in malorum tamen euentu, triſtibusq. effectis, quæ ex illo manarant, tunc etiam, cum dira illi Iobus obnunciabat, manſiſſe: Deinde in iuſti Iobi cogitatione animo perſtitiſſe tamquam earum rerum omnium, quibus ille iure optimo ſuccenſebat, effectorem. Quæres, quod in ſuperiore obſeruatione tertium erat: quæres, quæue cauſſę Iobum ad ortus, conceptusq. ſui tam ditam deteſtationem impulerint? nimirum eæ, quæ uideri grauisſimæ debeant. Primum, quia tempus illud, quo eſt Iobus in vitam ingreſſus, cunctorum ſcelerum, omnium pęnarum, acerbitatumq. fontes continere non ignorabat: Nec diem illum ſuum natalem, uitalem ſibi, ſed luctuoſum, letalemq. fuiſſe intelligebat. Itaque, hoc iure, atque inſtituto quaſdam nationes fuiſſe accepimus; vt humanę uitæ initium mœrore, ac luctu proſequerentur, lętisſimæ uero ac prægeſtientes exitum expectarent. Nã multo ijs lætandi cauſſa verior uidebatur: quòd ab ortu malorum ad occaſum commearent: quàm quòd a nullo ærumnarum ſenſu ad infinitas moleſtias, acerbitatesq. delaberentur. Quocirca ad eum finem quorumdam veterum a noſtrę Religionis initijs ſacrisq. abhorrẽtium ſeſe iactauit amentia: vt nos ob aliqua ſcelera ſuſcepta in vita ſuperiore pęnarum luendarum cauſſa natos eſſe arbitrarentur. Nobilis vero inter eos auctor nonnullus; in quo plurima ſunt ingenij, doctrinæq. lumina, hoc etiam in diſputatione quadam reliquit: ſi cuncta malorum genera, quę a noſtro adſpectu in vitæ ortu oblitescunt, nobis infantibus, atq; in matrum utero pęne conſopitis, certo aliquo nuncio ſignificarentur, fore neminem, quin ijs tenebris, latebrisq. incluſus tot

impenden-

impendentium malorum ſtragem extremo ſpiritu a Deo optimo maximo deprecaretur: ac tunc demum certum interitum iamquam honeſtiſsimum prẹmium poſtularet. Tulit hoc natiuum commiſſum, communium inquam parentum prima labes, & corruptela; ut ad tantum, ac iam iuſtum odium noſtra viuendi primordia exardeſcerent; quibus non ſolum ſanctiſsimorum hominum, ac noſtrorum vatum funeſtę voces, ac lacrymę fuerunt infeſtę; uerum etiam ſeuera a Deo Iudicia, ęternaq; ſupplicia conſtituta. Nec igitur temere nec ſcelerate Iobus in ortus ſui lucem confert maledicta. Beda in explanatione tertij capitis huius libri ſcribit, ſententiam hanc Doctorum eccleſię eſſe omnium firmatam conſenſu; Iobum totius humani generis perſonam ſuſtinentem, mortis neceſsitatem, cui ob parentalem culpam ſumus addicti, flebilibus vocibus lamentari. *Quia per vnum hominem* (ut eſt apud Apoſtolum) *mors intrauit in mundum, & ſic in omnes homines pertranſiit, in quo omnes peccauerunt.* Quemadmodum enim Dauid Gelboe montibus male precatur; quia in eis ex Iſraelitico Populo ſtrenui milites ceciderunt: quemadmodum etiam ſerpentem Deus rationis expertem execratione multauit: quia ad decipiendam Euam callidiſsimo humanę ſalutis hoſti aſſeruiuit. Quẽadmodũ enim, ut ſimili Chryſoſtomi utar, hom. 7. in Geneſim, gladium, quo facta eſt cædes hominis, odimus, atq; perfringimus. Sic dies, quo naſcimur ad malorum omnium perpeſsionem, iccirco auerſamur, & execramur: quia per ſe ipſe cunctis mortalibus ad calamitatem, & exitium certiſsimum eſt inſtrumentum. Vide, ſi placet, Hylarium in expoſitione 119. pſalmi, Iobi uerba interpretantis, uide D. Gregorium, uide D. Thomam in 2. 2. q. 71. ar. 1. & 2. de ratione maledicendi ſubtiliter diſputantem D. Ambroſius in 4. l. commentariorum in Lucę Euangelium, uerba illa euoluens conſummata omni tentatione illius execrationis, qua uſus eſt Iobus, *Pereat dies in qua natus ſum*, hanc concinnam interpretationem excogitauit pereat dies ſæcularis, ut oriatur dies Spiritualis. Aliam quamdam cauſſam inuenit Chryſoſtomus cur ad illud execrationum genus deſcenderit Iobus. *Non igitur* (inquit ille) *utcumq; hæc uerba* „ *expendamus: ſed tamquam a mærente animo profecta conſideremus:* „ *ſi enim illa locutus non eſſet, communis expers naturæ uideri potuiſ-* „ *ſet. Quòd niſi in filiorum tam ſubita extinctione, niſi in ſeruorum* „ *uece, niſi in pecoris, commodorumq. vitę ammiſsione, niſi in plagæ*

Ad Rom. c. 5.

Luc. 4.

depaſcentis artus ſeuitie doloris ſenſum declaraſſet; dicere Diabolo licuiſſet, non cum homine, ſed cum lapide ſibi eſſe certamen: atq; ob id ipſum impium in Dei nomen maledictum ab ipſo nullum eſſe coniectum; quòd eidem Deus doloris ſenſum ademiſſet, erat igitur inſani hoſtis refutanda impudentia. Sequitur tertia ratio interpretandi; quæ eſt Olympiodori, Polychronij, atq; eius ſcriptoris, qui græca, copioſaq. explanatione tria prima Iobi capita illuſtrauit. Ad dolores maximos, quorum ei faces admouebantur, alleuandos, ad infinitum plagę cruciatum mitigandum ſtomachum omnem in conceptus, atq; ortus ſui tempus erumpit. Et quemadmodum, inquit Polychronius, qui a medicis vruntur, ſeu ſecantur, ad doloris ſignificationem veſtibus morſus infigunt; ita beatus hic illa omnia flebiliter lamentatur. Et quemadmodum, inquit Græcus ille ſcriptor Commentariorum, cui morbus vel oculorum, vel dentium, vel alterius partis corporis magno eſt dolori, muros ſcalpit, aerem verberat, magnitudine etiam doloris oppreſſus ſæpe carnes ſuas mordicus tenet; ita propemodum Iobo in illo ſuo calamitoſiſſimi morbi cruciamento accidiſſe credendum eſt. Quartam harum execrationum cauſſam Hieronymus docet libro 4. commentariorum in Hieremiam Prophetam, horrificam illam execrationem, quam in diem natalem ſuum intorſit Propheta, exponens. Locum enim illum cum hoc Iobi comparans ſentit magna ratione, vtrunq; virum ſanctiſsimum facere potuiſſe, quod fecit, cum ſit vitę amiſsio vitæ miſerę anteponenda. Hieronymum audiamus ad hunc modum verba Prophetę interpretantem. *Nos vero legentes illud beati Iob. Maledicta dies, in qua natus ſum; & nox illa, in qua dixerunt ecce maſculus, & maledictus homo, qui annunciauit patri meo dicens natus eſt tibi puer: huic teſtimonio coaptamus: quòd ſcilicet melius ſit non eſſe, quàm uiuere in ſupplicijs, iuxta illud quod ſcriptum eſt. Mors viro requies, cui clauſit Deus viam ſuam, & iterum. Quare data eſt miſero lux; & uita ijs, qui in amaritudine animę ſunt? & in Euangelio ſimpliciter dictum legimus, Melius ei fuerat, ſi natus non fuiſſet; non quòd ſit, qui natus non fuerit: ſed quoniam melius ſit non eſſe, quàm male eſſe. Aliud eſt enim omnino non eſſe, aliud cum ſit, abſque ulla intermiſſione cruciari, quomodo mortem quietam vitę miſerę præferimus.* Nec ſuperioribus contentus Hieronymus alia aggregat Diuinarum ſcripturarum teſtimonia ad hanc ſuam ſententiam perſuadendam. Haud ſum ipſe ignarus multa a D. Augu-

Lib. 4. Commen. in Hierem.

Iob. c. 3.

ſtino

ſtino in 3. lib. de libero arbitrio cap. 7. & 8. huic Sancti Hieronymi ſententię contraria diſputari. Tribus enim is argumentis diſpoſite, diſtincteq. probat, neminem recta, ſubductaq. ratione, neminem ſano, inſtructoq. conſilio optare poſſe, ut potius non ſit, quàm miſer ſit: habetq. ſuæ ſententię Auguſtinus multos auctores. Verum D. Hieronymi opinionem affirmāt maximi, doctisſimiq. viri, Chryſoſtomus, cuius verba in hac Catena recitantur. Gloſſa in ea verba Matt. *Melius erat ei &c.* Sanctus Thom. Sanctus Bonauentura, Scotus in 4. ſenten. diſt. 50. Quoniam igitur ærumnoſa vita haud optabilis eſt, ſed exitialis, ac deteſtabilis: iccirco tum Iobus, tum Hieremias dictis eam precibus exagitarunt. At ego in quincta & poſtrema cauſſa libentisſime acquieſco: quam a doctisſimo Olympiodoro, & Seuero Epiſcopo Antiochię accepi. Hæc enim eorum eſt commentatio. Cum ſciret, Iobus eſſe nonnullos; qui diuinam prouidentiam neſarie accuſabant: quòd hominem ſumma uirtute, ac pietate præſtantem malis omnibus urgeri pateretur: ijdemq. argumentarentur haud noſtra a Deo curari: Tantum ex hac impia illorum hominum cogitatione, probroſisq. in Dei prouidentiam uocibus doloris Iobus hauriebat; quantum crudelisſime plagæ ictus in eius corpore nequaquam ciebant. Atque hæc potisſima Iobo cauſſa fuit, uitę ſuæ primordijs tam dira precandi. Sentiebat enim ſi nuſquam hanc lucem is adſpexiſſet, fuiſſe nefarios illos diuinæ prouidentię obtrectationi temperaturos.

Deniq. ſi Hieremiæ dicere licuit, atque hiſce uerbis ortus ſui diei, ac nuncio indignari. *Maledicta dies, in qua natus ſum: dies, in qua peperit me mater mea non ſit benedicta. Maledictus uir, qui annũciauit Patri meo, dicens, natus eſt tibi puer maſculus, et quaſi gaudio lætificauit eum. Sit homo ille, vt ſunt ciuitates, quas ſubuertit dominus, & non pænituit eum: Audiat clamorem mane, & vlulatum in tempore meridiano: qui me non interfecit à vulua; vt fieret mihi mater mea Sepulchrum, & vulua eius conceptus æternus. Quare de vulua egreſſus ſum, vt viderem laborem, & dolorem? & conſummarentur in confuſione dies mei?* Hæc ſi loqui potuit Hieremias, multo magis Iobus, cuius etiam ſunt execrationes leuiores quandoquidem non in hominem aliquem, quod fecit Hieremias, ſed in tempus tantum conceptus, & exortus effunduntur. Pleraq. alia Iobi uerba in hoc uolumine ſparſa uageq. diſiecta, quæ dicta ab eo uidentur acerbius, ſuam item, tum propriam, tum *Hier. in c. 20.*

communem eamq. perappoſitam habent interpretationem: propria ſuis locis apud Gregorium, reliquoſq. huius catenæ Doctores quærenda eſt. Communem indicant Chryſoſtomus, Polychronius, Olympiodorus. Etenim in huius commentarij præfatione hiſce uerbis a Chryſoſtomo, Polychronio, atque Olympiodoro, eſt uerborum ſententiarumq. Iobi perſcripta defenſio.
» *Verum quæ a Iob dicta videntur eſſe aſperius, vbi cum Deo diſceptat,*
» *quaſi immerito diuexatus, hanc habent ſolatij plenam explicationem.*
» *Nam ſi quis iuſti veſtigia perſecutus, & perturbante metu ſuperato*
» *ad perfectam caritatem peruenerit; doloreſq. cum cruciatu fuerit ex-*
» *pertus, videre poterit, qua fiducia cum Deo ad eum modum loqua-*
» *tur, iuſto illius fretus iudicio, quo ſolo poſtulat iudicari. Quare &*
» *ipſum Deus complexus eſt; cum intelligeret, qua mente verba expro-*
Ezech.c.14. *meret.* Ex Ezechielis enim ore iniuſtorum ordinem uirum re-
digens effatus eſt: *Si ſteterit Noe, Iob, & Daniel, filios ſuos; &*
Iacobi.c.5. *filias non eruent.* Cum his, & illa Apoſtoli conſentiunt, *Patientiam Iob audiſtis; & finem Domini uidiſtis.* Olympiodorus in 9. capitis protheoria eamdem, ſed commutatis uerbis, iterat
» defenſionem. Sic enim ille. *Quoniam amicis perſuadere nulla*
» *ratione poterat nullas ſe ſcelerum pœnas luere: iccirco anxio metu*
» *poſito, & uehementi erga Deũ caritate incenſus apud Deum, qui iu-*
» *dex eſt integer, & incorruptus cauſſam dicit illius iuſto iudicio magno-*
» *pere fretus: cum illud intelligat nunquam paſſurum Deum, vt iniu-*
» *ſti quidquam loquatur. Hæc nec duri, aſperiue hominis verba ſunt,*
» *ſed quaſi filij oratione apud Patrem vtentis confidentius, & cum Deo*
» *ad hunc modum pœne ſermocinantis. Nimirum o Pater libenti ani-*
» *mo tuo experior iudicio: ſcio enim mendacium te ferre non poſſe.*
» *Quæ cum dicit, nempe Deum, vt verum, & perſonarum diſcrimina*
» *aſpernantem honore afficit perquam eximio. Hac ergo is mente Dei*
» *poſtulat iudicium. Quæ omnia iterum a Polychronio in extremo*
» *cap. 9. ſua expoſitione confirmantur.*

CVR IOBI VIRTVTEM DEVS TOT AERVMNARVM machinis tentari voluerit. Cap. IX.

QVAMOBREM Iobum Deus omnibus omnium
malorum generibus excruciari uoluerit, ab ijs,
quorum ſanctitas, atq; eruditio magno ęſtiman-
da eſt, rationes plurimę explicantur, nobis ſa-
tis ſit decem pręcipuas collegiſſe. Prima eſt, ut
uiri optimi innocentia orbi Terrarum clara foret, atq; inſignis,
cauſſam hanc Deus ipſe Iobo apertiſsime indicauit. Dixit enim
Putas autem me aliter tibi κεχρηματικέναι, *quàm ut iuſtus appareas?*
Verbo autem græco κεχρηματικέναι in latina lingua par eſt reſpon- Iob. c. 42.
diſſe, conſtituiſſe ex oraculo dixiſſe. Hoc Dei reſponſum, ſic
,, Chryſoſtomus interpretatur. *Non quo te condemnem, hæc loquor,*
,, inquit, *uerum ut iuſtum eſſe palam doceam.. Seu etiam ad ipſam met*
,, *tentationem decretum hoc, ac reſponſum refert, ut ſuum illum*
,, *permiſſum reſponſum appellet. Noli putare*, inquit, *aliam ob*
,, *rem mihi conſtitutum eſſe, ut illa tibi acciderent, niſi ut cun-*
,, *ctis mortalibus tua iuſtitia promulgaretur: & tibi quidem orna-*
,, *mento, ac glorię, orbi autem Terrę eſſet emolumento. Ac vide*
,, *quemadmodum non dixerit, ut iuſtus euaderes (iam enim ſe ad uirtu-*
,, *tem perfecte exercuerat) verum ut id quod eras, uiderere: ut alios*
,, *erudires, mea reſponſione tueor. Iuſtus tu quidem eras, ſed tamen*
,, *in operto eras. Patientia eras inſtructus, uerum ſeges præbenda erat,*
,, *ubi patientia illa tua eniteret. Animi virtute ac robore præſtabas: ſed*
,, *nimirum tanta uirtus iacuiſſet, niſi illę, quę in te incurſarunt ęrum-*
,, *nę, inſignem feciſſent.* Hactenus Chryſoſtomus. Tractatur idem
locus luculenter ab eodem Chryſoſtomo in 5. hom. ad Populum
Antiochenum: e qua multa in ſuam catenam contraxit Olym-
piodorus, ex ijs ipſi nonnulla ſumemus; & quemadmodum in-
terpretati ſumus, in hoc caput transferemus. *Qui gladiatorium*
,, inquit, *Chryſoſtomus, certamen experiuntur, vbi aduerſariorum ca-*
,, *put pręciderint, tunc ob uictoriam corona donantur: Iobi uero aduerſa-*
,, *rius ubi illius corpus conſcidit, atque omnis generis ulceribus pertere-*
,, *brauit, & languore confecit; tum demum ſuperatus eſt, fugęq. ſe de-*
,, *dit. Poſtquam autem latera undique perfodit; ipſe quidem nullum quę-*
,, *ſtum lucrũ ue fecit: nec enim Theſaurũ obrutum pręedari potuit: nobis*
,, *uero illum in clariore luce collocauit: fecitq. nobis vt ex ea laterũ ef-*
,, *foſsione eſſet in Viri interiora proſpectus; illiusq. opes uniuerſas cerne-*
remus.

» remus. Ac poſt aliquanto. *Pulchrum & ſanum corpus erat? mul-*
» *to eſt ampliorem dignitatem adeptum, uulneribus illis infectum. Nam*
» *lanę quoq; tametſi pulchrę ſint, prius quàm ſufficiantur, ubi tamen*
» *colorem nactę fuerint purpureum, pulchritudinem incredibilem, ue-*
» *nuſtatemq. haud mediocrem aſſequuntur. Niſi illum deſpoliaſſet,*
» *Victoris bonam habitudinem minime cognouiſſemus. Niſi corpus*
» *eius plagis perforaſset, qui intus latebant radij, minime enituiſſent.*
» *Niſi eum in fimo collocauiſſet, tantum diuitiarum acerum ignorauiſſe-*
» *mus. Neque enim tantus eſt Regis ſplendor ſedentis in ſolio, quan-*
» *tus Iob fuit in ſterquilinio commorantis.* Sed hęc prima Ratio in
Greg. præfat. apta illa Gregorij magni collatione conſidat. *Sicut enim* (is in-
In Iob. c. 2. » quit) *unguenta niſi commota redolere latius neſciunt; & ſicut aroma-*
» *ta fragrantiam ſuam non niſi cum incenduntur, expandunt: Ita ſan-*
» *cti viri omne, quod virtutibus redolent, in tribulationibus innote-*
» *ſcunt.* Secunda Ratio Iobi perpeſsionis fuit, eius beatitudo; ut is
difficillimę tentationis fluctibus iactatus tandem in amplioris fœ-
licitatis iucundiſsimum portum perueheretur. Rationem hanc
Iacob. c. 5. » Iacobus Apoſtolus in ſua catholica epiſtola reddit. *Ecce* (in-
» quit) *beatificamus eos, qui ſuſtinuerunt, ſufferentiam Iob audiſtis,*
» *& finem Domini uidiſtis.* Quamuis autem inficiari non poſſu-
mus Iobum, priusquam ad malorum Oceanum improbitate Sa-
tanę profluxiſſet, in bonorum omnium copia, affluentiaq. uixiſ-
ſe; dupliciq. cum felicitate potitum eſſe, tum ea, quę humana
eſt, ac ciuilis, in diuitiarum, in opum, in amicorum copia, in
honorum adeptione, in pręclara ſobole, & quod caput eſt, in
moralium uirtutum officijs poſita; tum ea, quę diuinior eſt prio-
ri infinitis partibus anteponenda; quę una & apud Deum nos in
gratia ponit; & ad illam ipſam, quę in conſequente æuo expe-
ctatur, poſtremam cumulatamq. felicitatem, uiam certiſsimam
munit: Dubitare tamen non poſſumus, quin Iobo ex illis miſe-
riarum paludibus emerſo, utraque felicitas altero tanto maior ac-
ciderit. Tertiamq. illam quę ſecretis malis in ſummorum bono-
rum omnium complexione conſiſtit, qua ſoli, qui uere in cœlo
beati uiuunt, fruuntur, ſit multo maximam conſecutus. Ter-
tiam rationem Tobię hiſtoria ſuppeditat. Vbi eſt his uerbis.
Iob. c. 2. » *Hanc autem tentationem ideo permiſit Dominus euenire illi, ut po-*
» *ſteris daretur exemplum patientiæ eius: ſicut & Sancti Iob.* Vt igi-
tur nobis illuſtre patientię exemplum propoſitum eſſet ad imitan-
dum, in illam tęterrimam ęrumnarum noctem Athletam ſuum

Deus

Deus ipſe coniecit. Exemplum uero in dandis conſilijs maxi-
mam partem obtinere ad perſuadendum ſcribit Ariſt. in primo
lib. de ratione dicendi. Iobi uero Tolerantia ad muliebrium
animorum, mollitarumq. mentium intolerantiam coercendam,
quę nullum preſſum ponderum, rerumq. aduerſarum nimbum
ferre poſſunt, quantum ualeat, eloquenter gręce oſtendit Chry-
ſoſtomus, cuius ſententias, ut potuimus, de gręcis ipſi ad hunc
» modum expreſsimus. *Atque hęc ipſa; quę a Iobo ſuppeditantur*
» *exempla, ad męrentium ſolandos animos haud mediocrem uim ha-*
» *bent, illa inquam vulnera, illud ſterquilinium quauis regali ſella ſplen-*
» *didius. Si quidem e regij ſolij adſpectu pręter leuem quamdam uolu-*
» *ptatem nihil pręterea manet intuentibus, utilitas nulla percipitur.*
» *Verum qui Iobi ſterquilinium contemplatur, nullam aut utilitatis, aut*
» *Philoſophię partem non aſſequitur: cum ad perferendam calamitatem*
» *certã habeat adhortandi rationẽ.* Ac non multo poſt *Illa ulcera cũctis* «
» *precioſis lapidibus erant precioſiora, nam margaritarũ ea natura eſt;* «
» *ut noſtrę uitę nihil prabeant vtilitatis, nulliq. ſatisfaciãt habentiũ ne-* «
» *ceſſitati. At vero vulnera illa ſunt omnis ęgritudinis alleuamẽtũ. Atq;*
» *ut hęc uera eſſe intelligas. Siquis filio legitimo, & unico orbatus ſit:*
» *atque innumerabiles ei margaritas oſtenderis, nihil tamen ad leniendam* «
» *ęgritudinem, doloriq. medendum attuleris. Quòd ſi Iobi ulcerum illi*
» *ipſi memoriam excitaris, facile hac oratione morbum depuleris. Quid* «
» *homo mæres? Nempe tu filium amiſiſti unum: beatus autem ille,*
» *poſtquam natorum omnium chorum extinctum uidit, ipſo corpore*
» *plagam excepit: Nudatus iacebat in ſordibus: corpus ſanie mana-*
» *bat vndique artus tabe ſenſim depaſcente. Atque is homo, qui iuſti-*
» *tia, ac religione commendatus eſt, qui ſuarum uirtutum teſtem Deum*
» *habuit. Hęc profecto uerba ſi dixeris, opploranti moleſtiam omnem*
» *exhauſeris. Vt iam illa Iuſti uulnera quibuſlibet gemmis præſtent*
vtilitate. Tertiam hanc ipſam rationem expoſuit Didymus, Ver-
» ba illa Dei ad Satanam interpretans. *Ecce tibi trado eum, tantum*
» *eius animam ſerua. Illius poteſtati* (inquit) *rem omnem permiſit,*
» *idq. ad noſtrum omnium vtilitatem. Ut Iobus charecter formaq. forti-*
» *tudinis tamquam in columna relinqueretur inſculptus: eſſetq. meta vir-*
» *tutis, non ſolum illius ętatis hominibus, verum etiam poſteris, qui à*
» *mentis pręſtantia degeneraſſent. Eamdem rationem agnouit Augu-*
» *ſtinus in Tractatu. 41. in Ioannem, ideo autem de Iobo loquitur,*
» *ille probatus eſt, non quia latebat Deum coronandus, ſed ut innote-*
» *ſceret hominibus imitandus.* Quarta ratio eruitur ex his omnibus
Doctoribus.

Doctoribus ex Chryſoſtomo in quarta orat. de laudibus Iobi, ex Polychronio in ſecundo cap. huius commentarij, ex Gregorio in pręfat. in Iob c. 7. & in lib. 16. moral. In principio, & ex eo ſcriptore cuius ſunt in Iobum commentarij Hieronymi nomine obſignati. c. 1. & poſtremo affirmanr hi omnes patientis, & cruci ſuffixi, CHRISTI typum Iobum ipſum extitiſſe. *Quoniam igitur*, ut inquit Apoſtolus, *Decebat eum propter quem, & per quem omnia* (quę Æterni Patris eſt periphraſis) *qui multos filios in gloriam adduxerat, auctorem ſalutis eorum per gloriam conſummare:* Decebat item Iobum, qui CHRISTVM IESVM pręſignificabat, ob rerum aſperrimarum perpeſsionem cruciamentorumq. magnitudinē ſempiternę glorię cōmendari. Quinta ratio eſt Diui Ambroſij lib. 4. comment. in Lucam, ubi loquitur de receſſu diaboli, in ea uerba, *conſummata omni tentatione, diabolus receſsit ab eo. Nempe Iob erat probatus à Deo: ſed licet probatus erat, victor tamen non erat, & ideo tentandus offertur, ut glorioſior redderetur.* Ex quibus Ambroſij uerbis intelligimus, Deū uelle ſuos pręliari, ut re bene geſta, uictrici laurea donentur. Eſt Sexta Gregorij lib. 9. mor. c. 12. ut Iobi merita augerentur. *Vt enim ſępe iam diximus* (uerba ſunt magni Gregorij) *nequaquam B. Iob percuſſus eſt; ut in eo percuſsio uitium tergeret, ſed ut meritum augeret.* Tantus enim eſt Dei in ſuos amor, ut niſi eorum gloriam, & uirtutem amplificet, minime conquieſcat. Suntq. illa de Iobi uirtute a S. Greg. in 28. mor. libro c. 1. enunciata uериſsime. Iob iuſtus fuit ante flagella, iuſtior poſt. Septimam Chryſoſtomus, Polychronius, & Olympiodorus docent, cum ea Domini uerba explanant: *Ecce omnia, quecumque ſunt ei, do in manu tua.* Ideo inimiciſsimi dęmonis crudelitati a Deo eſſe deditum Iobum, quoniam de eius uirtute, inuictoq. robore nequidquam dubitabat. Hinc diſcimus, eos, quorum Deus uirtuti magis confidit, durioribus ab eo certaminibus offerri. Octaua a Chryſoſtomo, Didymo, & Olympiodoro adfertur. Vt impudentiſsimus Satan e fraude, & mendacio compoſitus a Deo refelleretur: Mentitus enim erat apud Deum inſigniter: cum dixerat iccirco pietatis officia Deumq. ipſum a B. Iob coli, quoniam eius Deus uitam & felicitatem ſepſerat: cunctaq. illius bona circumuallarat. Quare ut ei omnis facultas pręcidatur impudenter mentiendi, omnia quęcunq; Iobo erant in bonis, importuniſsimi hoſtis poteſtati permittit. Vt nō armētis, nō famulis, non

Ad Heb. c. 2. *Luc. c. 4.* *Iob. cap. 1.*

nõ liberis, non dignitati, non famę, non corpori deniq. parceret. Nona ratio. Vt cum ipſi manus conſerentes, ſuccumbimus aduerſarijs, ac turpiter cedimus, non uim ullam aduerſariorum, non pugnam ipſam, ſed tantum nos ipſos, noſtram ſocordiam, muliebremq. mentem accuſemus. Quandoquidem Iobi animum, cuius corpus ſanie liqueſcebat, non modo nulla molitie fluxiſſe uidemus, uerum etiam conſtanter ſteriſſe in acie, fortiterq. dimicaſſe: nec aliquando illius ardorem aut recidiſſe, aut deferbuiſſe: ſed ex acerrima illa pugna, quę cum immaniſsimo hoſte illi pugnata eſt, ſuperiorem diſceſsiſſe, atque uictorię inſignia clariſsima reportaſſe. Eleganter, more ſuo, rationem hanc perſequitur Chryſoſtomus, tum in ea oratione, qua ſtoici Epicteti illud, *Nemo læditur niſi a ſe ipſo*, interpretatur, tum in hoc multorum Doctorum pręclaro commentario. Decima reſtat ratio Didymi, quę tum Chryſoſtomi ſuffragio, tum eccleſiaſticę Doctrinę auctoritate comprobatur. Vt cunctis ſit perſuaſiſsimum, ſine Dei nutu nihil aduerſum contingere poſſe hominibus. *Illud enim*
„ *(inquit) Didymus, Ecce dedi omnia in manu tua, prorſus perſua-*
„ *det ſine Dei permiſſu a Diabolo tentari neminem. Vt autem ſci-*
„ *mus ipſi etiam permiſsioni ſtatui modum, addit. Veruntamen eum*
„ *ne tetigeris. Unde planum eſt non fato, uel caſu, ſed Dei nutu acci-*
„ *dere calamitates.* Non ſum neſcius Gregorium Nyſſenum in ſecunda oratione de 40. martiribus ſcripſiſse a Diabolo Iobum expetitum fuiſſe, atque illum a Deo depopoſciſſe; propterea quòd ſplendore nominis, claritateq. uiri perſtringeretur. Virtutumq. illius fama laniaretur. Verum, ut hoc uere dicatur a Nyſſeno Gregorio, eſt illud quoque a D. Chryſoſtomo ſcriptum perſcienter. Dei uoluntate tentationi eſſe Iobum obiectum. Sic enim Chry-
„ ſoſtomus in ea Domini uerba, *Intendiſti cogitatione tua in ſeruum*
„ *meum Iob. Hinc perſpicimus uoluiſſe Deum, ut Iobus tentaretur,*
„ *ut is etiam, qui egregium habet Athletam, de cuius uirtute pericu-*
„ *lum fieri cupit: eaq. re percontatur Diabolum, ut luctę ipſi cauſſam ad-*
„ *ferat: occaſionem ei Iobus præbere haud quaquam volebat, ne ambitio-*
„ *ſus videretur.* Cum igitur tot de cauſsis, tamq. honeſtis & magnis illorum ſuorum temporum triſtitiam, incitatiq. Satanę uim, & iracundiam ſubijſſe Iobum audimus: cum nihil in nos moliri poſſe Diabolum ſciamus, niſi ſit per Dei clementisſimi Patris auctoritatem ſitus: cum nullam in nos petitionem conijcere poſſit aduerſarius, quam non ipſi protecti diuinitus leui declinatione effugere poſsimus: cum hoſti minitanti plagam nos repel-

lendo luculentam poſſimus infligere: quid eſt, quod tamquam
inexercitati pugiles contentionem, pugnamq. reformidemus?
& cum in acie armorumq. ſtrepitu exultandum erat, turpiter in-
gemiſcamus? An non Iacobi Apoſtoli cohortantis ad pugnam
Iacobi. cap. 1. ſunt illę notiſſimæ voces; *Omne gaudium exiſtimate fratres, cum in
varias tentationes incideritis?* Sane certe ipſas res aduerſas, ma-
lorumq. perpeſſionem Doctori gentium ſuæ gloriæ ſegetem, &
materiem fuiſſe norunt, qui in eius lectitandis epiſtolis ſtudioſe
uerſantur. Denique res perpeſſu difficiles, fortiter CHRISTI
cauſſa tolerare, eſſe in diuinis beneficijs numerandum, eximius
oſtendit Apoſtolus. His enim uerbis ab eo eſt in epiſtola ad Phi-
Ad Philip. c. 1. lippenſes ſcriptum. *Vobis donatum eſt pro* CHRISTO *non ſo-
lum vt in eum credatis, ſed etiam ut pro illo patiamini, idem certa-
men habentes, quale & uidiſtis in me, & nunc auditis de me.* Eſtq.
ea neceſſitatis lex ſancita diuinitus, ab eodemq. Apoſtolo hac uer-
borũ religione conſecrata. *Per multas tribulationes oportet nos in-
Act. 14. trare in Regnum Dei.* Namque a CHRISTO dictum erat an-
Luc. 24. tea, *Oportuit* CHRISTVM *pati, & ita intrare in gloriam ſuam.*
Vtinam in eandem ſit nobis introitus.

QVA AETATE IOBVS BONORVM OMNIVM naufragium ſubierit, atque in ſummum cruciatum datus ſit: quamdiu in eo vitam egerit, & quot annos vixerit.

Cap. X.

CVM Iobus bonis omnibus ſpoliatus eſt; atque a direptore, & vexatore Satana immaniter toto corpore ſauciatus; ita ut ex omnibus eius artubus uermium fontes redundarent, annum is agebat ſeptuageſimum: quemadmodum eſt apud Athanaſium in Synopſi. Vt autem uiſum eſt Olympiodoro octauum & ſeptuageſimum, quod tempus ratiocinatione ab illo conficitur perſubtili. Totius enim vitæ curriculum Iobo confectum uult Olympiodorus eſſe 255. annorum: Horum 170. poſt plagam uixiſſe, ſeptem in ipſa plaga: ergo 78. ante plagam reliqui fiunt. Verum de tempore plagæ eſt nunc quæſtio ponenda, & explicanda diligenter. Vberioris explanationis græcę in tria huius libri prima capita auctor, ſiue Origenes, ſiue quiſpiam alius is fuerit, narrat ſententiam quorumdam fuiſſe;

Iobum tres annos, ac dimidium acceptæ plagę atrocitatem tuliſſe. Huius autem affirmatę opinionis hanc iis etiam rationem inuentam quòd CHRISTI IESV, qui in laborioſa Euangelij promulgatione tantumdem temporis conſumpſit, perſonam geſſerit Iobus iacens in ſordibus. Sententia hæc tribus ab illo auctore rationibus reprehenditur. Prima ratio, quam ἀναντίρρητον putat, & cui minime poſſit obſiſti, ducitur ex ipſius Iobi uerbis, ad hunc modum de ſe loquentis. *Ego habui menſes uacuos, & noctes laborioſas enumeraui.* Non igitur annorum aliquod tempus, ſed menſium dumtaxat eſt in ſterquilinio Iobus commoratus. Verum tenuiculam hanc eſſe rationem hinc perſpici poteſt. Sumit enim tamquam uerum hic auctor, quod uix eſſe probabile ex hac ipſa Iobi hiſtoria multifariam demonſtratur: nam menſium numerum cum annorum numero nulla ratione pugnare, immo uero eumdem eſſe planisſimum faciunt hę: in eadem hiſtoria omnia loca. In tertio capite de nocte, cui male precatur, ſic loquitur. *Noctem illam tenebroſus turbo poßideat: non computetur in diebus anni, nec numeretur in menſibus.* Menſes ne hoc loco Iobus dicit, qui non explent annum, an omnium ſuperiorum annorum, quos uixerat, menſes? nimirum omnes annorum ſuperiorum, quorum interuallum interualla exęquabat annorum. In quartodecimo capite cum inquit, *Breues dies hominis ſunt, numerus menſium eius apud te eſt.* Num putare debemus hoc de Deo Iobum cogitaſſe. Deo ipſi menſium tantum, qui minores ſint anno, ac non potius menſium omnium, ex quibus uniuerſitas conſtat annorum, rationem eſſe ſubductam? Cum in altero, & uigeſimo cap. de impio dicit. *Quid enim ad eum pertinet de domo ſua? Etſi numerus menſium eius apud te dimidietur?* An non uitæ tempus omne impij Iobus intelligit? Cum uero in capite 29. ſic optat. *Quis mihi tribuat ut ſim iuxta menſes priſtinos, ſecundum dies, quibus Deus cuſtodiebat me?* Vel, vt græcum hominem magis premamus, quemadmodum eſt in editione ſeptuaginta. *Quis me poſuerit in menſe priorum dierum?* Tantum ne menſem prægustatæ felicitatis exoptat, an potius totum illud ſæculum, quod triſtisſimi temporis incommodis anteceſſit? Ita ſi e conſuetudine ſermonis, quo utitur Iobus, temporis eſt capienda coniectura, acerbitatum, quas is pertulit tempus, annorum potius quàm menſium, qui annum dimetiri non poſſint, cogitare debemus. Quare & ipſa illa uerba e capite 7. *Ego habui menſes uacuos,* non ad ærumnarum, quibus tabeſcebat, ſed ad florentis ſtatus,

Job. cap. 7.

Iob. c. 3.

ſtatus, quo beatus a cunctis prędicabatur, tempus nonnulli referunt: ut hæc ijs uerbis ſit ſubiecta ſententia: Et ſi prętcriti temporis, quo omnia humanitatis, ac pietatis officia egomet perſecutus ſum, menſes ipſi haud mihi uacui ſint ad Veritatem: ad multorum tamen opinionem iccireo inanes acciderunt, quia mihi pro præteritis benefactis contumeliam, infamiam, filiorum filiarumq. orbitatem, famulorum, famulatumq. interitum, extinctionem familiæ, rerum omnium euerſionem, corporis intolerandam luem reponi animaduertunt. Sequitur eiuſdem auctoris ratio Secunda; quæ multo quàm prima firmior exiſtimari debet. Etenim euentus ipſe, inquit, malorum, & conſecutio factis declarat breue menſium tempus in ſtercorum domicilio Iobum intabuiſſe: nam & malorum nuncij illi quattuor ferme eodem tempore ad Iobum conuolauerunt. Calamitatem enim quæ acciderat, Primo narranti, Secundus interueniebat: & narranti Secundo Tertius: & huic narranti Quartus. Hanc narrationem plagæ, quæ eſt ei a Satana facta, eſt diritas conſecuta. Vulneris autem immanitatem trium amicorum excepit aduentus. Quæ omnia non multorum menſium ſpatio geſta eſſe credit hic auctor. Verum non protinus Iobi calamitatibus & uulneribus occurriſſe amicos, ſed poſt multum temporis ſpatiũ interiectum, tamquam rem certam ad ſuam interpretationem atque ſentẽtiam aſſumit Olympiodorus: temporiſq. diuturnitatem maxime uerisimilibus colligit coniecturis. Illius uerba a nobis de græcis

,, expreſſa huiuſmodi ſunt in cap. 2. *Si quærat quiſpiam, quamobrem*
,, *longo interuallo poſt amici uenerunt: Intelligat: primum quidem*
,, *eos diuerſarum Prouinciarum incolas fuiſſe, ac multo poſt nuncium*
,, *fortaſſe accepiſſe. Calamitas enim ijs præter fidem, omnemq. opinio-*
,, *nem eſſe iudicabatur; ut Iobus omni ope deſtitutus iaceret in ſtercore.*
,, *Ergo priuſquam proficiſcantur, expectant dum res, quæ ad eorum*
,, *aures affluxerat, multorum ſermonibus confirmetur. Neque antea*
,, *certos homines mittendos, neque ſibi diſcedendum ſtatuunt ad facti*
,, *ueritatem explorandam. Interim conterebatur tempus. Adde, quòd*
,, *poſtquam de re ipſa dubitandi nullus eſt locus relictus, iidemq. Reges*
,, *eſſent, & de profectione cogitarent, fuerunt illis imprimis res con-*
,, *ſtituendæ domeſticæ, regendiſq. ijs, qui erant in Imperio, alij præfi-*
,, *ciendi, qui iuris ipſorum Vicarij eſſent. Quæ quidem omnia illis ipſis*
,, *moram iniecerunt. Quòd niſi tum caritatem, tum iuſtitiam magno-*
,, *pere coluiſſent, nunquam Prouincijs ſuis, Regniſq. relictis ad Iobum*
,, *uiſendi cauſſa properaſſent: ſed per alios potius ſuo muneri ipſi ſatiſ-*
feciſſent.

„ *feciſſent. Cogitare illud item poſſumus diuino factum eſſe conſilio, ut*
„ *diutius traheretur profectio; quandoquidem in amicorum diſceptatione ex diuino decreto certamen omne conquieuit: Deo iuſtum in*
„ *integrum reſtituente, & coronante. Ad Dei quoque decretum illa*
„ *procraſtinatio ideo pertinuit; ut morbi calamitas, & fama latius permaneret: Virtusq. certantis iuſti præconijs celebraretur.* Hac tam probabili Olympiodori oratione illius græci Doctoris ſecunda ratio non modo extenuatur, ſed prorſus euaneſcit. Poſtremam adfert Dei benignitatē ſubnixam, qua magnopere alienum uidetur; ut hominem ſibi cariſsimum tres ipſos annos, quarti etiam anni alteram partem in maximis doloribus eſſe, ac dies, noctesq. acriter torqueri uoluerit. Prę ſertim cum illud incendium, quod in uniuerſas Iobi fortunas, & opes a Satana excitatum eſt, illa cædes ſeruorum, illa filiorum clades, illa eius corpori allata pernicies eo tantum ſpectaret; ut importuniſsimi Diaboli mendacium coargueretur, Sanctiſsimi Iobi uirtutem, atque Religionem, tamquam mercenarij hominis criminantis. Verum enim qui decem illas rationes meminerit; quas ipſi in nonum caput congeſsimus; ad hoc poſtremum argumentum diluendum nihil amplius deſiderabit. Longinquitatem enim temporis, quo cum tęterrima bellua tot uulneribus cruentatus Iobus fortiter depugnauit, & eius, qui dimicabat, uirtuti ac glorię fauiſſe, & clementiſsimi Imperatoris Dei, qui ſuum pugnantem militem nunquam deſeruit, benignitati nihil obfuiſſe prorſus intelliget. Sed tamen gręcus ille explanator contrarię opinionis auctoribus repudiatis, ſic ſtatuit; omnino paucos menſes Iobum in cruciatu, ac ſordibus eſſe uerſatum: cui ſententię aſſentiri, aut certe parum repugnare uidetur Chryſoſtomus in homilia 5. ad Populum Antiochenum, e qua multa tranſtulit in ſuam catenam Olympiodorus. In quibus hęc ſunt. *Grauis quidem illi accidit amiſsio liberorum: ſed tamen Tragedię huic acerbę alia prę ſtolabatur atrocior:*
„ *nec ulla data reſpirandi facultate; en tibi uermium fontes tabifici humoris riuuli; ſeſsio in ſterquilinio; latus lacerans teſta; fœtor vlcerum, unde lues illa erumpebat: nec attingendi, qui oculis ſubiecti*
„ *erant, cibos, poteſtas fiebat: ipſaq. peſte erat ille fœtor moleſtior:*
„ *idq. non duodecim, non uiginti, non centum dies, ſed multos menſes.* Gradationem in ijs Chryſoſtomi uerbis unusquiſque ſua ſponte agnoſcit: cum autem ea uis huius oratorię exornationis ſit; ut, cum aliquid minutatim & gradatim additur augendo, non ante terminetur, quàm in ſupremo conſiſtat: nimirum in ea

oratione Chryſoſtomi ſatendum eſt multos menſes ab annus gradibus eſſe diuulſos; ceteroqui dictionis, quę paullatim aſsilit ad maiora, tum concinnitas, tum uis tota concideret. Verum enim ab hac ſententia, magno diſcrimine Olympiodori opinio ſeparatur: is enim putat, morbi uim, & cruciamentorum magnitudinem ipſos ſeptem annos Iobum tolerauiſſe. Omnium enim annorum, quos Iobum uixiſse ſcribit, rationibus diligenter circumſpectis, atque ſubductis non dubitat ſe tempus omne cruciatus eſſe permenſum. Cum enim in poſtremo capite ſumma ſit poſita annorum, quos Iobus uixit, a ſeptuaginta interpretibus, uel potius ab hiſtoriæ ſcriptore ad hanc modum confecta; *Vixit autem Iob poſt plagam centum ſeptuaginta annos. Omnes autem anni, quos uixit, ducenti, & quadraginta octo.* Continuo ſententiam ſuam his totidemq. uerbis attexit Olympiodorus. *Videtur magnus Iobus ipſos ſeptem annos plagę accerbitatem tuliſſe: quorum iccirco eſt numerus prætermiſſus, quia ex ea annorum ſumma, quos uixit Iuſtus, merito excerpendi uidebantur: cũ ærũnoſa uita, mors ſit potius, quàm uita exiſtimanda. Etenim ſi poſt detractam calamitatem Iobo duplicata omnia fuerunt, quin anni quoque duplicati ſint dubitari non debet. Vixit igitur poſt depulſam ærumnam centum ſeptuaginta annos. Summa autem annorum uniuerſa ducenti quinquagintaquinque, e qua quidem ſumma detracti ſunt ſeptem, ut arcanam temporis rationem, quo eſt mala perpeſſus intelligeremus.* Eſt igitur Olympiodoro tota annorum ſumma ducentorum & quinquagintaquinque. Græca Biblia de hac ſumma Olympiodori ſeptem detrahunt, quos annos ærumnæ fuiſse arbitratur Olympiodorus. Latina Biblia annorum, quos poſt ægrotationem uixit numerum minorem oſtendunt: ſuntq. ad centum & quadraginta. S. Athanaſius in Synopſi perbeato Iobo, antequam in eum, atque in opes eius Vniuerſas impetum faceret Satanas, ſeptuaginta tribuit annos, qui ſi ad 140. latinorum bibliorum addantur 210. efficiunt: ſi ad ſummam annorum. 170. quos poſt afflictam ualetudinem Iobo concedunt græca Biblia, accedant, ducentos, & quadraginta conficiunt. Maiorem credo conficerent; ſi morbi & afflictationis tempus, quod fecit Olympiodorus in eamdem ſummam conijceretur. Is enim optimus ratiocinator annorum fuiſſe uidetur, quia in tria tempora illos partitus eſt, in eos, qui præcucurrerunt, in eos qui comitati ſunt, in eos qui plagam ſunt ipſam conſecuti. Qui præcucurrerunt octo ſunt & ſeptuaginta: qui comitati ſunt, ſeptem: qui conſecuti, centum, & ſeptuaginta.

POLY-

POLYCHRONII HYPOTHESIS, SEV ARGVMENTVM IN IOB

DE IOANNIS VINCENTII PINELLI, græco Codice expreſſum.

DE *Hypotheſi in Iobum ab ijs,qui commentaria ediderunt,non eſt eadem explicata ſententia. Nam nonnulli a Genealogia,quę in extremum librum coniecta eſt,du cto argumento, ante legem ipſum fuiſſe confirmant; quoniam in ea Genealogia quinctus ab Habraamio ponitur. Quidam vero aly legis eum temporibus ſucceſsiſſe tradunt: quòd, & ſi Iſraelita non eſſet, eius tamen vita fuerit legis conformatione perfecta: cumq. Iſraeliticæ nationi finitimus eſſet, fuerit ijs rebus,quas auditione acciperet, eruditus. Genealogiæ vero illi fidem abrogant, quòd codicibus abſit Hebraicis: in quibus verba hæc leguntur extrema.* Mortuus eſt Iob ſenex, & plenus dierum. *Cognationem autem nominis, quod in Eſau exſtat Genealogia errorem creaſſe; illic enim Iobab nomen vſurpatur:eaq. ex re ſcholion elimatum eſſe,quod cum extra lineam eſſet, temporis interuallo in verſuum ordinem immigrarit. Sed ſiue ante, ſiue poſt legem Iobus extiterit, nequaquam volunt in ſacris libris id enucleatum eſſe. In quibus tempora commemorari ſolent, vel ad prædictionis veritatem confirmandam, vt in Propheticis, euangelicisq. voliminibus, vel ad pertexēdæ hiſtoriæ rationem, quemadmodum in Regnorum libris. At, in ijs, qui ad cohortationem dumtaxat, comparati ſunt, e quo genere Prouerbia ſunt & Eccleſiaſtes, aut in quibus dogmatum doctrina, & præclaræ contentiones continentur, cuiuſmodi ſcripta ſunt Apoſtolica, in ijs rerum ipſarum, de quibus perſcripti ſunt, indicari tempora nihil attinebat. Atque ob id ipſum huius ipſius voluminis ſcriptor de tempore tacuit: quia cum ſcriptionis ſit finis certaminis huius viri expoſitio, atque ad virtutem cohortatio,ad ipſam hypotheſin haud magni nota temporis referebat. Fit etiam illis ipſis veriſimile ab Iobi amicis librum eſſe conſcriptum, ſiue earum rerum, quæ coram diſputatæ erant, repetita memoria, ſiue diuini radij gratia eos illuſtrante; maxime quòd & in votis Iobo ea res fuerat,cum diceret,* Quis det ſcribi verba mea, poni autem illa in libro in æternum? *Et illud quærunt; fuerit ne genere Iſraelita Iobus. Ac ſi fuit, cur nobiliſsimus incolarum Orientis appelletur: quandoquidem in* Iob.c.19.

dem in duodecim Tribubus, quæ ab vno Habraamo fluxerunt, nulla ſit generis diſpar conditio? Qui per ſe ipſe immolator extiterit, cum immolandi ius in vna Tribu leuitica reſideret? Sacrificium autem illum feciſſe, ex huius libri poſtremis verbis prorſus apparet. Vbi Dominus eliphazum eiuſq. amicos, qui fraudem conceperant, his verbis compellat. Sumite ſeptem vitulos, & ſeptem hircos, & ite ad puerum meum Iob, & faciet ſacrificium pro vobis, & orabit pro uobis, niſi enim per eum, perdidiſſem uos. Additq. Soluit peccatum eis propter Iob, deprecante, *inquit*, eo pro amicis ſuis. Et hæc quidem ij, quibus placet Iobum poſt legem, ethnicumq. fuiſſe. Quamuis ſic iſthæc ab ijs dicantur: ipſi tamen eum legis temporibus anteiſſe exiſtimamus: non ex ipſa modo Genealogia, quam huius libri, tamquam legitimam partem, & ipſi recipimus, & Patres talem indicauerunt, ſed etiam ex annorum, quos Iuſtus vixit, numero ratiocinantes. Neque enim eſt quiſquam poſt legem inuentus, qui eum numerum exæquarit annorum. Quamobrem hiſtoriam a Moyſe ad mœrentis populi animum ſolandum, excitandumq. litteris mandatam eſſe credibile eſt: id quod e forma dictionis perſpici poteſt. [a] Alijs veteribus Salomonem ſcriptionis auctorem fuiſſe uiſum eſt: idq. Gregorius Nazianzenus affirmat. Illudq. ſciri oportet. In Eſau, qui Iacob frater fuit, familiam, ac naturale genus Iobum inſitum eſſe: quod non ſolum ex ijs, quæ in Geneſi ſcribuntur, verum etiam ex ipſius amicis, atque ex eorum Prouincia plane conficitur. Nempe igitur tempus, quo Iobus vixit, eius amicus Elius, qui fuit Iſraelita demonſtrat. Etenim in Paralipomenis talis ipſius recenſetur Proſapia. [b] Iudæ filius Phares. Eſron ipſius Ieremiel, & Aram, a quo Elius. Liber autem ipſe, cum tantum Athletam in medio proponit, eiuſdemq. certamina, & virtutis compendia, quæ e laboribus gignuntur exponit, ſcilicet ad patientiam magnum habet incitamentum. Veruntamen & CHRISTI omne myſterium in hoc ipſo libro ſparſum eſt. Iamuero ſæuę, quæ in Iobum incubuit, calamitatis quadripartita ratio fuit: namq; in re familiari, in filijs, in corpore, in nominis exiſtimatione uerſata eſt. Quòd ſi quidpiam aſperitatis in verbis Iobi ineſſe videtur, teſtimonium diuinũ, quo ſumma uiri pietas eſt comprobata, Deiq. minatio, qua ad extremum territi ſunt Iobi amici, cum audierunt: Niſi per eum perdidiſſem utique uos. Nimirum admonet ſcopum orationis eſſe perueſtigandum: neque Pictorum more, qui niſi fingendis corporibus res ipſas imitari non poſſunt, eſſe in huius Hiſtoriæ verba incidendum. Hebræo verſu, qui Poetarum à noſtris ſacris abhorrentium Tragœdiæ reſpondet, liber eſt ſcriptus, qui & ſumme eſt vtilis, & prati omnibus omnium florum generibus conueſtiti, e quo ſuo quiſque

Iob.c.42.

[a] Confer locũ hunc cum ea parte præfationis Olympiodori, in qua de huius libri diſſerit auctore.

[b] Nomina, quæ hic à Polychronio ponũtur in Iudæ proſapia, haud parum diſtant ab ijs, quæ in impreſſis libris recitantur in 1. lib. Paralip. c. 3. id quod nemini uideri debet admirabile. Namque Romæ cum operam nauaremus græcæ ſeptuaginta interpretum editioni corrigendæ, in propriorum nominum apellatione codices manu ſcripti, & impreſſi mirifice diſcrepabant.

ſuo quiſque arbitratu, quem maluerit florem decerpſerit, perquàm ſimilis: nec enim vlla eſt medicina, vllum ſubſidium, quod non in hoc libro occurrat optanti: Siue Rex, ſiue Sacerdos, ſiue Princeps, ſiue priuatus, ſiue egenus, ſiue locuples, ſiue plaga affectus, ſiue rebus aduerſis infinitis pulſatus, & agitatus, ſiue fortunis euerſus, ſiue liberis orbatus, ſiue maledictis vexatus, ſiue a Diabolo exulceratus ſit is, qui curationis, ac medicinæ indigeat, perfugium, remediumq́. hic reperiet ſalutare. Perſcienter igitur ſunt ſingula pertractanda: ne, ſi quid forte in præteritis relinquatur, damnum in eo fiat maximum.

OBSCVRITATIS, QVAE INEST in ſacris litteris, decem cauſſæ ex ijs quę in Iobum eſt Polychronius elucubratus, erutę; quas ipſi ante eius hypotheſim in gręco Commentario Ioannis Vincentij Pinelli inuenimus, atque in latinum conuertimus.

PRIMA *cauſa, quæ diuinis voluminibus latebram adhibet obſcuritatis, eſt Structura, iunctioq́. verborum: quam alienæ linguę coagmentata verba peræque imitari non poſſunt: Secunda Nomina, & vocabula, quæ in res varias, longeq́. diſtantes accomodantur; id quod interpretes rapuit in errorem: Tertia Verborum hebræorum certa vis, quæ in peregrinam linguam migrare non poteſt; ita videmus à ſeptuaginta interpretibus, non pauca verba ſine interpretatione relicta: Quarta Interpungendi ratio, quam non ſunt omnes eandem ſecuti: Quincta Vocis, ſeu accentus diſcrimen: diuerſi enim toni, qui in eodem verbo collocari poteſt, non eamdem ſententiam, rationemq́. gignere apertum eſt: Sexta Nominum multitudo numeri diuerſitate carentium: Septima Perſonarum confuſio, cum vna pro altera uſurpatur, cuiuſmodi illud*
eſt. Nunc noui, quod times Deum, *noui dictum eſt pro noſti: Octa-* *Geneſ. c.22.*
ua Quod longe alijs generibus, atque in alijs linguis fieri ſolet, res multæ efferatur: maris enim articulum tribuunt Hebræi tum Lunæ, tum Mari: Nona Quòd loquendi genera ſæpenumero imperfecta ſunt, atquę præ-
ciſa: quale eſt illud. Aſcendunt montes, & deſcendunt campi: *De-* *Pſal. 103.*
ſideratur enim, ſicut, vt plena oratio ſit. Aſcendunt ſicut montes, & deſcendunt ſicut campi: eſt enim dę fluctibus ſermo, qui inſtar montium tolluntur, ac more camporum depreſſi æquantur: Decima Quòd

quo

quo tempore ſunt Iudæi a Chaldæis Babylonem in ſeruitutem abducti, incenſionem ſunt illorum ſacri libri perpeſsi, qui vero libri ab Hieroſolymitanis Hebræis ad ſuos in Chaldæam mittebantur, ab inſidiatoribus uiarum intercipiebantur: Ita certis notis, quæ inter eos conuenirent, excogitatis, inter ſe ipſi ſcribebant, id quod ad ſacros libros obſcurandos non valuit parum: viguitq́. ea ratio, quoad Eſdra perdoctus diuinitus, veteres codices, qui plane interciderant, renouauit. Quæ quidem cauſſæ a Polychronio Apameæ Epiſcopo ſanctiſsimo, eruditiſsimoq́. collectæ proprie ueteris teſtamenti libros attingunt.

EXTANT ETIAM IN VINCENTII Pinelli Catena græca fragmenta nonnulla Hypotheſis, quam Olimpiodorus Diaconus in Iobi librum edidit. Nos ea tantum latine vertimus, quæ in Codice Cardinalis Caraffæ nec uidimus, nec interpretati ſumus.

OLYMPIODORI DIACONI DEO CARISSIMI ARGVMENTVM IN IOB.

DE huius ſcripturæ genere multa ij, quorum eſt memoria antiquior, opinati ſunt. Quidam ſancti viri patrocinio ſuſcepto, aiunt dolorem ac laniatum, quo eius animus cruentabatur, iccirco a iuſtæ reprehenſionis culpa abeſſe, quòd gratiæ tẽpora præcucurrerit. Quod eorum bonorum, quæ deguſtamus in vita nullum ſperauerit morienti comitatum. Quod rerum omnium, quæ cernuntur, felicitate amiſſa, bonis omnibus, ac liberis ſpoliatus, morbo iactatus ſit inſanabili. Aegrotatio autem, atque ægritudo ea re cum primis ingraueſcebat, quoniam cum rei nullius iniuſtæ conſcientia, illius animus torqueretur; nequaquam tamen iuſta ſe perpeti intelligebat. Neque hæc apud eum tanti fuerunt, vt impium verbum aliquod aduerſus Deum ex ore eius elicerent: quod ipſum in Diaboli optatis erat primum. Nimirum qui ad hunc modum commentantur, Iuſto Iobo virtutis denegant abſolutionem. In illo tamen illuſtris exempli imitationem reliquis proditam eſſe confirmant. Quandoquidem adeo ſtrenue ante Gratiam decertauit: Idq́. vt nos, qui gratia ipſi potimur, ad perfectionem contendamus: illiusq́. Apoſtolici dicti memoriam referamus, quod in eos qui in diuinis iudicijs hæſitant, valet. O homo tu quis es, qui reſpondeas Deo? *Rom.c.9.*

Numquid

Numquid ſigmentum dicit ei, qui finxit ſe, quid me feciſti ſic. *Ac poſt alia quædã. Quando autem hic magnus vir ſit verſatus in terris, inter eoſdẽ auctores minime conſtat. Cũ nonnulli eum legem ante greſſum, alij conſecutum eſſe pugnent; illiusq. ætatẽ in Regum Iudę, Iſraelisq. tẽpora incurriſſe. At ego Dei oraculis plane aſſentior. Is enim Iobum in Iuſtorũ hominũ, & Prophetarum retulit claſſem, eſtq. de ipſo per Ezechiels perſonam ſic prorſus effatus*. Si ſteterit Noe, Iob, & Daniel, filios ſuos, & filias non eruent. Ezech.c.14. *Ei quoque credo, qui dixit*. Suſtinentiam Iob audiſtis, & finem domini uidiſtis. *Ex quo hominem illum quemdam mirificum, atque Apoſtolicum, nec non gratia dignatum eſſe prophetica mihi prorſus perſuadeo; ſiue eam gratiam ante certamen, ſiue poſt fuerit aſſecutus. Sane certamen fuit nullum, quod ille uitauerit. Fuit igitur Iobus homo uirtute perfectus, Deiq. teſtimonio dignus.* Iac.c.5. *Tertium Hypotheſis fragmentum omittimus: Nã commendationem dumtaxat habet editionis ſeptuaginta interpretum, a quibus factum ait eſſe diuinitus, diuineq. prouidentiæ partem eximiã fuiſſe; ut omnes veteris Teſtamenti libri Ptolomæis in Ægypto regnãtibus, tot ante annis, quàm in Terris* CHRISTVS *naſceretur in græcum conuerterentur; ne quiſpiam eorum religioſam induſtriam criminaretur: quòd ſtudio Chriſtianis gratificandi ſcripturas diuinas interpretati eſſent. Perhonorificum Olympiodori teſtimonium de ſeptuaginta interpretibus, eorumq. interpretatione quære in huius ipſis Commẽtarij Præfatione. In quarta Hypotheſis ſuæ particula probat ex ea Genealogia, qua liber cluditur a ſeptuaginta Interpretibus, lege Iobum prouectiorem extitiſſe. Ipſam uero Genealogiam, & quæcumque in hoc libro ſunt, profitetur ſe recipere Olympiodorus.* ὅλην γὰρ, inquit, τὴν συγγραφὴν οὕτω γεγραμμένην ἄνωθεν ἐκ τῶν ἀποστόλων ἡ ἐκκλησία παρείληφε. *Ideſt uniuerſam ſcriptionem, hac ratione confectam ab Apoſtolis Eccleſia ab initio accepit. Quæ uero in Olympiodori Hypotheſi conſequuntur, uerba hæc ſunt. Eſt illud item mihi perſuaſum illius amicos Iuſtos fuiſſe. Nec rationem habet ullam, iuſtum hominem nõ iuſtos ſibi amicos quęſiuiſſe. Et quoniam ſtrenuus Iobus erat Athleta, iccirco cum Diabolo, earum, quæ defecerunt, Poteſtatum Principe in aciem, campumq. deſcendit. Fecitq. Deus ut in illum omnium malorum tela improbi dęmonis manu contorta ferrentur: quo nulla aduerſario venia excuſationis daretur. Atque ob id ipſum amici, qui eius doloribus, atque ærumnis conſolationem, medicinamq. adhibere debuiſſent, diuino permiſſu verba quæ accerbiora, quàm illius uulnera eſſent in Iobũ intorſerunt. Derelictionis autem, & vexationis ſunt cauſſæ permultę. Aſſlictantur enim nonnulli ob ſuas culpas; vt is, cui Saluator dixit:*

Ecce

Ioan.c.5. Ecce ſanus factus es, noli amplius peccare. *Quidam implicantur ærumnis, ad Dei gloriam magis illuſtrandam: Horum numerum is, qui*
Ioan.c.9. *cæcus erat natus, obtinuit, de quo teſtatus eſt Dominus.* Neque hic, neque parentes eius peccauerunt, ut cœcus naſceretur: ſed ut glorificetur Deus. *Alij alio quodam Dei conſilio rebus exercentur aduerſis; vt inſontes infantes, qui ab Herode trucidati ſunt. Alij vel vt ab nequitia auocentur, ad virtutemq́. reuocentur. Atque vt ſimpliciter dicã, cum diuinæ Prouidentiæ, caſtigationisq́. diuerſę ſint rationes, omnes noſtræ ſeruiunt utilitati, quamuis earum ſint nobis cauſſæ ignoratæ. De multis item hæc vna eſt cauſſa, cur malis iuſti dilanientur. Vt, quæ eorum uirtus latebat, magis illuminata foras emineat, atq; appareat. Hãc ipſam ob rem patientiæ ſimulacrum Iobus, direptori, vexatoriq́. Dęmoni traditus eſt. Tametſi huius cauſſæ tantiſper is fuit ignarus, dum eius eximia virtus à Deo eſt declarata: ignari etiam fuerunt illius amici; quoniam mortis appetẽtem eſſe, de illo ipſo audierunt. Eidemq́. cũ ſolatium, ac perfugium, vt iam dixi, præbere deberent, peracerbam orationem adhibuerunt, ſiue eius rei iuſta aliqua cauſſa ſubeſſet, ſiue clam in eorum mentibus, ſementem faceret dæmon, ad Deiq́. patrocinium minime iuſtum incitaret. Etenim cum dicere Iobum audirent ab ſe optari interitum, verba erga Deum impietatis plena eſſe ſuſpicabantur. De quo quã turpiter aberrarent, uel ex hoc uno intelligere potuerunt. Quòd cum vitã exhaurire ſibi facile poßet, id tamẽ conari minime eſt auſus: ne Deo, qui animum cum corpore copularat, iniuriam faceret. Si quis igitur magni Iobi veſtigia fuerit perſecutus, perturbãteq́. metu abiecto, perfectam erga Deum caritatem fuerit aſſecutus, ſane qua is fiducia colloquatur, intelliget. Hæc & quæ ſequuntur verba Olympiodori ad verborum quibus vſus eſt Iobus, excuſandam aſperitatẽ, ſumpta ſunt ex commentatione Chryſoſtomi, & Polychronij, quæ tibi huius collectitij commentarij præfationem legenti occurrent. Tergit in ſua Hypotheſi Olympiodorus loqui his verbis. Sed veniendum eſt tandem ad verborum expoſitionem. Additq́. ea omnia, vna excepta Protheoria, quibus Præfatio, quæ toti libro præponitur, expletur, atque concluditur.* Poſt has ambas Hypotheſes gręcam admonitionem incerti Auctoris in Vincentij Pinelli libro reperi; quam & latine interpretari, & hic attexere libuit. *Verum enim qui in librum hunc incidet, Interpretationes has uarias, e varijs auctoribus depromptas, quaſi ſupernacaneis ſententijs redundent, improbare minime debet. Semper enim diuina ſcriptura cum ijs qui aſcendunt, vna aſcendit.*

COMMEN-

COMMENTARIVS IN IVSTVM IOB.



PROPOSITVM nobis eſt, conſilijq́; ratio, Iobi multorum certaminum viri librum euoluere; cuius memoriam qui vſurpare debent, eos nonniſi loto ore illius mentionem facere oportet. [a] Purum enim impuris labris contingere nefas eſt. Igitur operæpretium eſt, ante

[a] Par ſententia-tum apud Grego. Nazianz. in prima oratione Theologica, tum apud Platonem in Phædone.

ingreſſum ueſtibula contemplari, certoq. numero, quę dignam habent diſquiſitionem, complecti, ſummatimq. perſequi. Sciendi enim auidus fortaſſe quæres, Quis, & unde, & quando Iuſtus hic extiterit, & quis parens libri, & ad quænam liber utilis. Vt hac ratione utilitate perſpecta, libenti, alacriq. ſtudio legamus.

CHRYSOSTOMI.

a Ergo ab Arabia Beatus hic oriundus fuit, ab Habraamo quinctus: cuius per inuiſum Eſau ducitur genealogia. Genuit enim Patriarcha ille Iſaacum, hic uero Eſau, atque hic Raguel; hic autem ipſe Zara, a quo ortus eſt Iob. Quòd uero poſt legem minime extiterit, id quod uiſum eſt nonnullis ob eius uiuendi rationem ad legis normam expreſſam, ſed potius ante legem fuerit, naturaq́. duce, quæ legis ſunt, expleuerit, notitia, quam a docente nemine acceperat, uſus, tum ex genealogia perſpicuum eſt, tum ex maxime diuturna, quam hic uixit, vita. Plus enim ducentos uixit annos. Atqui poſt legem, qui tam diu vixerit, de nullo memoriæ eſt proditum. OLYMPIODORI. At de ſcriptione libri eorum qui Commentarios ediderunt, non vna omnium eſt ſententia, affirmantibus nonnullis, e ſapientibus hebræis hominibus quemdam extitiſſe, qui auditione, quæ ad iuſtum hunc pertinent, primum acceperit. Deinde ad ſuæ eruditionis ſpeciem hæc litteris mandaſſe;

a In Eſau ſtirpe, ac gẽtilitate Iobum floruiſſe ſcribit idẽ Chryſoſtomus in 2. hom. de patiẽtia Iob. & in 80. hom. ad Pop. Antioc. Theodor. in q. 92. in Geneſ. Olymp. in hac ipſa Catena. Polychronius in Argumẽto in librũ Iobi. Hieron. in ep. ad Euagrium, Ariſteus auctor antiquiſſimus, de quo Euſeb. in hiſt. Eccleſiaſtica. Auguſtinus Iobum Idumæũ cẽſet in lib. 18. de Ciuit. Dei c. 47. Athanaſius in Synopſi. et quod caput eſt, in extremo hoc libro e Genealogia, quam 70. pertexuerunt, eſt idipſum quammotiſſimum.

mandaſſe;

mandaſſe; ita nec diuinitus afflatam ſcriptionem hanc eſſe confitentur. Quæcumque autem verba iuſti aſperiora iactantur, ſcriptoris errata hæc eſſe conſtituunt, neque illa eſſe Iobum elocutum, cuius erga Deum pietas, perfectioq. teſtata ſit. Alij ab amicis Iob librum conſcriptum eſſe tradiderunt, ſiue temporis, cum adeſſent recordatis, ſiue, quod verius eſt, gratia illuſtratis: maxime, quod id fuerat Iob precatus, cum diceret.

Iob. c. 19. *Quis det ſcribi verba mea, poni autem illa in libro in æternum?* Voluminis auctorem Moyſem quidam alij inſcribunt, e charactere orationis ducta coniectura.[a] Sed nimirum Diuino theologo Gregorio Salomonis ſcriptum hoc iudicatum eſt. Cum enim hinc teſtimoniũ depromſiſſet in ea oratione, quæ ab eo[b] εἰς τὸν ἐξισωτὴν ſcripta eſt,

Iob. c. 3. *Paruus, magnus illic eſt, & ſeruus vna cum Domino.* ſubiunxit; id quod Salomonis eſt, dicam. Valeant igitur, qui ſcripturam hanc tamquam confictam, atque ab humana cogitatione profectam, nec inſpiratam diuinitus criminantur. Ij quoque ablegentur, qui ſeptuaginta illos mirificos homines, quaſi minus recte hebraice ſcirent, perſtringunt, vel quod uocabulorum homonymia decepti ſint, uel quod multis locis alia pro alijs interpretando reddiderint, cum, quæ hebraice ſcripta erant, in græcum conuerterent. Diuinis Patribus habenda potius fides eſt, qui librum ab Apoſtolis ex ſeptuaginta editione acceperunt,

a Polychronius Apameæ Epiſcopus Moyſen, aut Salomonẽ ſcriptorem libri credidit explanans caput 19.

b Extat oratio hæc Greg. Nazianzeni ad Iulianũ familiarẽ ſuũ: qui idcirco exæquator appellatur, quia tributis exæquãdis præfectus erat. Niceta vero Gregorij interpres in ſcholiis, quibus orationẽ illã illuſtrauit, eamdem ſententiam Gregorio affingit, quã hic Olympiodorus.

Opinionem Greg. de auctore huius libri confirmãt Vaticana biblia uetuſtiſſima maioribus litteris cõſcripta, quæ librum hunc Cantici Canticorum ſubiungũt, quod etiã in ſua ſynopſi facit Athanaſius.

quam ceteris interpretationibus prætulerunt, ut quæ a Spiritu Sancto manaſſet. Namque reliqui interpretes poſt CHRISTI Aduentum extiterunt, qui quod Chriſtiani minime fuerunt, ſuo quiſque aptam ſcopo, ac pro ſua libidine interpretationem fecerunt. Septuaginta vero ante CHRISTI Aduentum, & ſeorſum ueterem omnem ſcripturam interpretati ſunt, a Ptolemæo [a] bini a binis ſeiuncti. Fuitq. eorum tanta conſenſio, quaſi vno eſſent ore cuncti locuti, interim nec ad gratiam, nec ad odium cuiuſquam hebraica transferentes. Itaque interpretationem illam, tamquam ab omni ſuſpicione vacuam, atque adeo a multis, ſenioribusq. nationis Iſraeliticæ effectam illi Principes ſacrorum Eccleſiæ tradiderunt. Vt ſuperuacaneæ iam ſint fabulantium Hebræorum prauæ interpretationes. Quod ſi raro dictione aliqua, quæ apud alios interpretes reperitur, utimur, id perſpicuitatis cauſſa dumtaxat facimus, nequaquam illud teſtificantes eos his noſtris melius fuiſſe interpretatos. Apage, Iudaicę, & Samaritanę audaciæ iſthæc eſt contentio POLYCHRONII, & CHRYSOSTO. Verum, quæ a Iob dicta videntur eſſe aſperius, vbi cũ Deo diſceptat, quaſi immerito diuexatus, hãc habent ſolatij plenam [b] explicationem. Nam ſiquis iuſti ueſtigia perſecutus, & perturbante metu ſuperato, ad perfectam caritatem peruenerit, doloresq. cũ cruciatu fuerit expertus, videre poterit, qua fiducia cum

[a] Septuaginta interpretibus non ſingulis ſingulas cellulas attributas eſſe, verum binis ſingulas, tum Epiphanius in lib. de menſ. & ponder. confirmat, tum Iuſtinianus Imperator in ſua quadam conſtitutione, quam Romæ græce uidimus.

[b] Olympiodori, & Polychronij conſule interpretationem in noni Capitis explanatione.

Deo

Deo ad hunc modum loquatur, iuſto illius fretus iudicio, a quo ſolo poſtulat iudicari. [a] Quare & ipſum Deus complexus eſt, cum intelligeret, qua mente uerba expromeret. Ex Ezechielis enim ore in iuſtorum ordinem uirum redigens effatus eſt.

Ezec. c. 14. *Si ſteterit Noe, & Iob, & Daniel, filios ſuos, & filias non eruent.* Cum his & illa Apoſtoli conſentiunt; *Iac. c. 5.* *Patientiam Iob audiuiſtis, & finem Domini uidiſtis.* Ex quibus omnibus colligitur, hunc ſexcentorum certaminum uirum cum perfecta uirtute, tum Dei teſtimonio dignum extitiſſe.

[b] Perſuaſum etiam mihi eſt, illius item amicos iuſtos fuiſſe. Nam a uiro iuſto alienum erat, non iuſtos adeptum eſſe amicos. Inſultabant autem illi, conuicioq́. exprobrabant, non ideo quòd inuiderent ei, ſed ob id fortaſſe, quoniam Dei permiſſu Diabolus ſuperſeminabat in eis. Cum enim arcanam plagæ rationem omnes ignorarent, Dei patrocinio ſuſcepto, acerbiores huic iuſto, quàm ſuæ calamitates fuerunt. CHRYSOSTOMI. Vtilem uero eſſe librum cuiuis in omni uitæ genere, & condicione, uiris, mulieribus, ſenioribus, medijs, diuitibus, pauperibus, ſecundis, aduerſisve rebus utentibus, facile eſt oſtendere. Hic enim uir magnus, atque admirabilis, qui ubiuis gentium clarus eſt; qui Pietatis athleta fuit, & corona donatus; qui cuncta certamina exantlauit; qui innumera aduerſus Diabolum trophęa conſtituit; hic, inquam, opulen-

[b] Hoc item magno Gregorio perſuaſum fuit in præfatione in Iob. Et Olympiodoro in hypotheſi in hunc librum.

[a] Hanc omnem explicationē ferme totidem uerbis in ſuā hypotheſim tranſtulit Olympiodorus.

tus fuit, & inops; glorioſus, & contemptus; liberiſ abundans, & orbatus; in Regijs aulis, & in ſterquilinio; in ſplendida ueſte, & poſt hanc in uermiũ fonte; antea ſexcentis cultus obſequijs, poſtea infinitas pertulit contumelias, inſultãtium ſeruorum, exprobrãtium amicorum, inſidiantis uxoris. Omnia illi quaſi e fonte fluebant, copia pecuniarum, principatus magnitudo, gloriæ amplitudo, pacis ſecuritas, honos, & famulatus, & corporis valetudo, & felicitas liberorum. Nihil denique illic triſte erat; aderant ei diuitiæ a metu exploratæ, felicitas caſum ignorans; idq. merito: Deus enim eũ undique obuallabat, ſed poſtea cuncta illa abierunt, ac mille tempeſtates in illius domum impetum fecerunt, promiſcuę uniuerſæ, neque ullã intercapedinem facientes. Nam quę ei erant, confeſtim abrepta ſunt omnia; filij uiolento, atq; immaturo interitu oppreſſi ſunt, in menſa atq; conuiuio iugulati, non enſe, & gladio, ſed ab improbo ſpiritu ędes conquaſſante. Poſthęc vxor armabatur, iuſtoq. machinas admouebat. Serui etiã & amici, illi quidẽ os conſputabant; hi uero imminebãt, atq; inſultabãt; & omni domo extrudebatur, & pro hoſpitio illi ſterquilinium erat, & uermium fontes ex omni parte ſcatebant; & ſanguine, ac ſanie defluebat Adamas; & teſtula ſaniem radebat, ſibi ipſe factus carnifex. Dolorem dolor excipiebat, eumq. intolerabilem, nox die erat acerbior; & dies nocte ad perferendum difficilior;

& omnia præcipitia erant, ac ſcopuli; qui ſolaretur, nemo: qui inſultarent, mille: ſed in tanta nihilominus procella, & fluctibus, qui oratione explicari nequeunt, nihil immutatus, ſtrenue conſtitit; cuius rei ea cauſſa extitit, quòd rerum naturam præclare æſtimabat, earumq́. conuerſionem cum non ignoraret, proſpiciebat in poſterum. Nam præclare cum ageret, calamitatem minime deſperabat. Nec ſolum laborum tolerantię & patientiæ, verum etiam ceteræ virtutis hic multarum perpeſſionum homo, ijs, qui mentem adhibent, propoſitum eſt exemplum. Fortitudinis atque conſtantiæ, ut in tentationibus iniurias ne intentemus, ſed placidi, ac moderati ſimus: in opulentia, ac poteſtate, vt cum alijs communicemus: Temperantiæ vero in uoluptatibus: Iuſtitiæ in iudicijs, atque comercijs in cunctis rebus concordiæ, & quod caput eſt, Caritatis, reliquarum virtutum omnium numeros omnes abſolue. Verum hăc informatam imaginem ſume, & in conſcientia tua defige. In animi contractione ad hunc confugito. In diuitijs hinc medicamentum pete, ne aut obruaris inopia, aut diuitijs efferaris. Si filios amiſeris, hinc ſolatium habes. Hic enim ærumnarum, & purgantis medicinæ vim ingentem reperies. Si in morbum incideris, ad fontes vermium refer cogitationem, atque ita cuncta leuiter feres. Si amicus fuerit inſidiatus, rurſus hunc Sanctum in medium produc; ſic enim mor

bum viceris, ſi plebeij te male acceperint, cogita, quæ a ſeruis perpeſſus ſit, & magnam tibi aſciueris medicinam. Si improba quis ſuſpicione te perſtrinxerit; quæ in eum dicebant, quòd nondum pœnam ſuis ſceleribus dignam luerat, quibuſque eum probris inceſſebant, cogita. Nam hac ratione morbum hunc ſuperaris: Nec enim eſt vlla apud mortales calamitas, quam non hic, quouis ſolidior Adamante, ſuſtinuerit, famem, & egeſtatem, & morbum, & orbitatem filiorum, & tantã, ac tam repentinã iacturam pecuniarum; a coniuge inſidias paſſus; ab amicis cõtumelioſe vexatus, a ſeruis oppugnatus, in omnibus rebus quolibet ſaxo maiorem ſoliditatem oſtendit, atque id ante legem, & gratiam. Nobis autem haud erit expedita defenſio, ſi poſt legem, & gratiã, tanto ornati munere, pauciora, quàm hic, qui humani generis initia, ac primordia attigit, tantamq. pręſeculit Philoſophiã, minora perferamus.

Quòd igitur magnam hic liber præbeat vtilitatem, ſatis planum factum eſſe arbitror. Nunc ad ipſam uerborum interpretationem veniẽdum eſt. Quæcunque vero Hiſtoriæ congruunt, atque allegoriæ, quæ hiſtoriam minime lædant, omnia perſequemur. Sic enim nos Patres docuerunt, neque ad hiſtoriam cuncta eſſe torquenda; neque in Iudaica ſolum littera commorandum, ſed quædam hiſtorię, nonnulla theorię concedenda eſſe; ac ſi id, quod dicitur, rem, vtramque ferat

hiſtoriam,

hiſtoriam, & allegoriam, vtraque vtendum eſſe. Sin autem hiſtoriam ſolam, in littera tantūmodo hærendum: Sin uero vnam ſpectet intelligentiā, ad allegoriam orationem traducendam eſſe. Verum enim a Beata Iobi anima contendendum eſt precibus, vt id a Deo nobis impetret; vt uiri huius magnanimitate dignum aliquid excogitare, ac dicere poſimus. Vt autem facilius percipiamur, recteque poſſimus ea, quæ dicuntur, perſequi, protheorijs[a] in Capita ſingula vtemur.

[a] *Quod apud Latinos ualet ſententia, & argumentum, & apud græcos ὑπόθεσις ſeu περιοχή. apud hunc Catenæ auctorem eſt Protheoria.*

OLYMPIODORI PROTHEORIA IN CAP. PRIMVM.

ERGO [b] in hoc primo Capite Iuſti nomen, ac regionem ſcriptura indicat, atque animi illius pulchritudinem deſcribit, ipſumq; auditorem præmunit, vt vel ex ipſa viri exiſtimatione, nulla re perturbatus, ſed de eius innocentia nihil dubitans, quæ ab eodem differuntur, audias. Ad hæc, quemadmodum multa, & præclara ſobole ornatus, cunctiſq; rebus, quæ ad humanam pertinent felicitatem, circumfluxerit, commemorat. Docet etiam filiorum eius concordiam, fraternamq; beneuolentiam; Patris item curam, atque aduerſus Deum religionem; & quanta ſollicitudine ea, quæ ſibi erant cariſſima, educarit, magna eius rei ratione habita, ut quæ ab illis cogitatione, ſed non uoluntariè peccabantur, ſacrificijs, Deoq; precibus adhibitis, expiaret.

[b] *Olympiodori Deo cariſsimi magnæ Eccleſiæ Alexandrinorum Diaconi. Protheoria. ſic eſt in Cat. Pinelli.*

CAPVT I.

HOMO quidā erat in regione Auſitide [a], *cui nomen Iob.*

a Aquila et Theodotio in Terra Vs. ex Cat. Pin. quos ſecutus eſt Hieronymus.

CHRYSOSTOMI.

QVID ſibi vult procemium, & quid cauſſæ fuit, cur ſic ſcriptor exordiretur? Vitam illuſtrem explicaturus erat, noſtra viuendi ratione longe ſuperiorem: Nequis igitur certaminum, ac patientiæ ſpectata magnitudine incredibili, peregrina quadam, & non humana cum natura præditum arbitraretur, naturam a primo ponit in conſpectu; vt hominis inſtitutum mirere; qui licet natura homo eſſet vnus e multis, virtute tamen multis, antecelluit. Communem naturam ſcriptor indicauit, vt quod proprium electionis fuit, oſtenderet. Quoniam qui communis naturæ particeps fuit, is quæ natura, atque homine maiora ſunt, geſsit. A regione quoque illius ducitur laus; vt id quoque tibi admirationem faciat, quòd ex ſpinis huiuſmodi roſa extiterit. OLYMPIODORI. Auſitis enim prophani, & flagitioſi Eſau regio erat, à quo etiam nomen inuenit, nimirum ab Aus vno de filijs Eſau. Itaque vult dicere, quem uirum ad pietatem tulerit impuri, atque iniqui prouincia Eſau, ad cuius poſteritatem iuſtus pertinebat. Auſitidem regionem quidam Seon eſſe dixerunt, Aus hebraice appellatam. Alij Idumæā. Euſebius uerò profert Ariſtæum in libro de Iudæis teſtantē aliam quandam hanc eſſe in Idumææ, & Arabiæ finibus poſitam. Pater autem is, cuius eſt aurea eloquentia, ipſam Arabiam eſſe affirmat, ubi, & huius generoſi hominis ſepulchrum extat, atque ſterquilinij palæſtra, ubi ſpecioſas coronas adeptus eſt, anniuerſarijſque honoribus, ut ſermone percelebratum eſt, illum indigenæ proſequuntur. Igitur quem locum habitauerit, & ubi decertarit, ex ijs, quæ adhuc inſpeximus, planum eſt. CHRYSOSTOMI. Inprimis laudationem intuere, quòd tale germen produxerit Auſitis; Eiuſmodi enim quendam uirum frugi in Arabia reperiri, ubi omnes corrupti erant; ubi nullum non extabat exemplum improbitatis, eſt admiratione perquam dignum. DIDYMI. At ſublimiorem Auſitis habet interpretationem. Nam Auſitis conſilium ualet, in quo iuſtus domicilium conſtitutum habebat. Is enim qui facilis eſt ad excandeſcendum, temere agit. Quare, ut canibus, ſic illi cæca naſcuntur tùm dicta, tùm facta. Hic autem iuſtus nihil non ex conſilio adminiſtrabat, in quo ſapientis præcepto obtemperabat.

Cum

Eccl. *Cum conſilio omnia fac*. Iobi uero nomen, patientiæ nomen eſt,
c.32. atque intelligitur, ut id iam fuerit, quod antea uocatum erat, aut uero id uocatum ſit, quod quidem fuit.

Et erat ille homo verus, irreprehenſibilis, iuſtus, pius, abſtinens ab omni re mala.

Chrysostomi. Externi Philoſophi cum hominis explicant definitionem, aiunt, Homo animal eſt rationale mortale. Diuina autem ſcriptura eum definit eſſe hominem, qui id, quod Dei ſimilitudinem imitatur, cuſtodiuit, & qui ex uirtute cognoſcitur. Qui uero diuinos typos, ac notas confundit, atque corrumpit, hunc ne hominis quidem nomine dignatur. Etenim ſiquis naturę charactere inſignitus, ob flagitioſam electionem eundem typum
Pſal. iniuria afficit, a Propheta audit: *Homo cum in honore eſſet, non*
48. *intellexit, comparatus eſt iumentis inſipientibus, & ſimilis factus eſt illis*. Quare hoc item loco ſuo vtens inſtituto diuina ſcriptura, docensq. nulla re alia ita diſtingui, hominem, vt irreprehenſibili, iuſto, pio; his ipſis, Iobum illuſtrans pronunciat, ac dicit. *Erat homo verus*. Improbi enim falſi ſunt homines, non ſecus, quàm picti:[a] Idipſum confirmat. Eccleſiaſtes. *Cuncta perfice mandata*: atque ad Dei timorem, tanquam ad caput cum redigit om-
Eccle. nia; Abſolutio, inquit ſermonis, *Audi omne, Deum time, & man-*
c.12. *data eius cuſtodi*; *Quia id eſt omnis homo*. Quidam etiam alius, qui Hieroſolymis vaticinabatur, vbi, qui audiret, vidit nemi-
Iere. nem, *Veni*, inquit, *& locutus ſum, & non erat homo*. Nos quo-
c.4. que à quotidiani ſermonis nihil recedentes conſuetudine, cum ad negocium aliquod conficiendum, aut ſeruum, aut filium mittimus, ei dicere ſoliti ſumus. Vt homo rem adminiſtrato: Vt mente, & ratione prædiτus, cogita atque age: muneris functione hominem te eſſe oſtende. Nec enim a figura, ſed ab actione, quod eſt vnumquodque, intelligitur: ceteroqui communione nominis dũtaxat, dicitur id, quod dicitur. Solus ille verus eſt homo, qui conſeruata imagine, a Deo conceſſam pulchritudinem minime obſcurauit. Talis Iob fuit, verus, non fictus; qui rebus ipſis hominis virtutem declaranit, non habitu eſt ementitus, nec tanquam hiſtrio
Geneſ. hanc ipſam ſimulauit. Quod vero antea ab Habraamo Deus fla-
c.17. gitauit, cum diceret. *Tu vero place in conſpectu meo, & eſto irrepre-*
ex edi *henſibilis*; id nunc de Iob ſcriptura teſtatur. Nam cum dixiſſet eum
tione eſſe uerum, addidit, ſine querela, & reprehẽſione. Vocabulum mi-
70. hi expende, cur non dixit, expers criminis, ſed a reprehenſione vacuus?

[a] *Ex Catena Vincentij Pinelli Origenis. Improbi enim non ſecus quàm picti falſi ſunt homines. De hominis natura et definitione uide Euſebium in 7. lib. de Præpar. capite 3. idem, quod hoc loco Chryſoſt. ex Hebræorum decretis docentem, & Philonem in. 1. de Habraamo Hominis definitionem perinde vt hic Chryſoſtomus facit, explicantem.*

vacuus? Nimirum quia crimen in maximis ponitur peccatis: Reprehenſio vero in paruis, & minimis. Non ſolum igitur inquit, a grauiſsimis abſtinuit culpis, verum nec leuiſsimis ſe teneri paſſus eſt. Maius eſt, reprehenſione vacare, quàm crimine: Nam reprehenſio facti improbationem habet, non ſupplicium. Aquila pro irreprehenſibilis, ſimplex; Symmachus, innocẽs reddidit, cum ille animum iuſti ab omni improbitate, ſimulandiq. artificio alienum, hic vero ad ſummam etiam virtutem inſtitutum indicaret. Innocens enim eſt, qui nullo bono caret; qui vitam ab omni improbitate remotam degit. Poſt irreprehenſibilem, addit &, *iuſtus*; Namque rerum omnium, quæ honeſtæ, bonæq. ſunt, complexio, & vinculum eſt Iuſtitia. Etenim ſi aliquid ſuapte vi, ac natura laudandum ab reliquis virtutibus ſeiũctum in vno aliquo reperiatur, imperfectum, atque inutile id futurum ſit; quinetiam ſæpenumero contrarium, vitupetationeq. dignum deprehendatur. Verbi cauſſa; Intelligentia quis, & ſollertia pollet? niſi iuſta quoque meditetur conſilia, præceps ad mala, perditiſq. moribus, nequaquam prudens hic ſit. In hos enim dictum eſt. *Sapientes ſunt, ut faciant mala; Facere autem bene non nouerunt*. Ruſus, ſtrenuo quis eſt animo ad contentiones, & pericula? niſi etiam quæ iuſta ſunt, adminiſtrare velit, crudelis iam erit, ac vim adferet. Quemadmodum illi loquuntur. *Sit noſtrum robur lex iuſtitiæ*. Quod enim imbecillum eſt, inutile coarguitur. Corporis quis cohibet voluptates? Nimirum temperans non ſit, ſi auarus fuerit, ſi pecuniæ appetens; ſi nepos; ſi non liber; ſi ob cupiditatem non parcens pecuniæ. Denique pars quęlibet Iuſtitiæ ab reliquo quaſi corpore auulſa nihil eſt. Ac nimirum bonorum omnium concentus, ac cœtus merito ſit, & nuncupetur Iuſtitia. Quòd ſi earum rerum, quæ admirationem habent, quæpiam abſfuerit; ob id ipſum claudicet, ac mutilata ſit, falſoq. Iuſtitiæ nomen præſeferat. Principio enim qui iuſtus eſt, eundem ſapientem eſſe neceſſe eſt: qua enim ratione ſuis perſungatur muneribus, & quomodo oportet, in cunctis rebus ſe gerat, ſi cuiuſque rei diſpoſitio, & vis non ei fuerit explorata? Deinde temperantem; intemperantia enim iniuſtitia eſt. Deo carum; Qui enim pij ſunt, inquit, iuſta cogitauerunt. Sedatum, humanum, beneficum, &, vt ſemel dicam, rerum omnium agendarum, quæ cum recta ratione congruunt, conſpiratio iuſtum abſoluit. Id quod præclare nos Ezechiel docuit; per cuius perſonã inquit Deus. *Homo autem, qui fuerit iuſtus, qui facit iuſtitiam*. Deinde vniuerſam perfectamq. virtutem e ſingulis complexus iuſtum deſcribit,

Iere. c. 4.

Sap. c. 2.

Ezec. c. 18.

deſcribit, cum dicit; *In montibus non comederit*; In montibus enim Idolis cultum adhibebant. Deinde Téperantiam eidem ineſſe ait; *Et uxorem proximi non contaminauerit, & ad mulierem ſangume fluentem non acceſſerit*. Deinde manſuetudinem,& facilitatem illi adſcribit; *Et hominem non oppreſſerit*. Adhęc rebus ſuis contentum eſſe pronunciat, cum inquit, *& rapinam non rapuerit*. Eundem alieno incommodo commoueri,& ſua in ceteros conferre confirmat, quando ait, *Panem ſuum eſurienti dederit, & nudum operuerit ueſtimento, & pecuniam ſuam ad uſuram non dederit, & amplius non acceperit*. Facile vero placari, & pacis amantem eſſe enunciat, vt inter eos,qui controuertunt, verſari poſsit; *Et ab iniquitate*,inquit, *auerterit manum ſuam, & iudicium iuſtum fecerit inter uirum, & inter proſelytum*. Hoc enim eximium eſt, & pręclariſsimum, ſi cum reliquis iuſtitiæ officijs conferatur, iuſte inter ciues poſſe iudicia exercere,& vnicuique,quod conducibile eſt,tribuere, quare a iure nomen eſt adepta iuſtitia. Numeratis ijs omnibus, quæ uel agenda, vel non agenda ſunt, normam quandam ac typum ad omnia accommodauit, in quo ſi obtutum quiſpiam fixerit, erratum omne vitauerit; *In pręceptis meis*, inquit, *ambulauerit, & iuſtificationes meas cuſtodierit, ut faciat eas*. Atque ex omnibus his copulatis ac temperatis vnum quaſi corpus e multis membris coagmentatum, ſuauiq. conſtans harmonia, ac robſtum iuſtus efficitur. Vbi vero eum tantis bonis abſoluit, eiuſdemq. definitionem, & circumſcriptionem quandam contexuit, cuncta in vnam ſummam his verbis concluſit. *Iuſtus hic uita uiuet*. Poſteaquam igitur,quæ iuſti notæ,ac proprietate ſint audiuimus,age illas ipſas in Iobo intueamur. CHRYSOSTOMI. Deo pietatem pręſtat iuſtus? Quid tandem Iob? An non Deum victimis quotidie
Iob. placabat? caſtus, ac temperans? at hic *pactum*, inquit, *pepigi, cum*
31. *oculis meis, vt non conſiderarem virginem*. manſuetus, & facilis? quid homine hoc mitius? cuius etiam ſerui ob incredibilem illius benignitatem ita ſuſpenſi erant, vt deuorare illum concupierint.
Iob. Nam aiebant. *Quis det nobis carnibus eius ſaturari?* Miſericors, &
c.31. ſua cum alijs communicans? quis hac una de re cum Iobo certauerit? cuius ianua venientibus cunctis patuit? nec quiſquam inani ſinu eſt vnquam egreſſus? inter eos, qui digladiantur, iuſtus com-
Iob. morabitur? hic etiam Iobo licitum eſt gloriari, & dicere *Iudicium,*
c.29. *quod neſciebam, inueſtigaui, & contriui molas dentium*. Nulli facit in-
Iob. iuriam iuſtus? Verum Iob etiam male ipſe ſibi precatur. *Si leuaui*
c.31. *ſuper pupillum manum, abſcedat a clauicula humerus meus*. Quoniam igitur

igitur Iobus virtutis partes omnes excellenter explicuit, idcirco homo ſine querela, & iuſtus nominatur. BASILII. Non qui ſolam actionem ſuſcepit iuſtam, is iuſtus, verum is qui habitu iuſtitiæ præcultus iuſte agit. Quemadmodum dictum eſt. *Iuſta iuſte perſequeris.* Sicut enim homo quiſpiam rudis aliquid facit ad medendum aptũ, ſed non medice, quia non ex arte, & ratione facit; ſic par eſt, iuſtã edi actionẽ, ſine ratione tamen iuſtitiæ. Tunc vero a reprehenſione alienum aliquid eſt, cum actio iuſta iuſtitiæ habitum comitem adſciuerit. CHRYSOST. Non ea Iobus iuſtitia pręſtabat, quę vnam aliquam formam virtutis, ſed quæ omnem, ac ſolidam complecteretur, neque ſic ab vna quadam re mala abſtinebat, vt ad aliã adhæreſceret. Nam ipſi pondus iuſtum dicimus, quod ubique & in cunctis rebus æqualitatem tuetur; non ſi aurum quidem iuſte, plumbum vero ſecus librauerit. Verum illud iuſtum eſt pondus, quod materiæ cuiuis æqualitatem præſtat, æquamq. menſuram. Non aliter Iobus iuſtus erat, cuius ſemper fuit in omni vita æquabilitas. Neque enim in pecunijs tantum æqualitatem retinuit, ſed etiã in rebus alijs omnibus, nuſquam a modo menſuraq. recedens. Nec eũ quiſpiam dixerit in pecunijs quidem æqualitatẽ adamaſſe; in hominum vero conſuetudine modum tranſiliſſe, perinde quaſi aut ſperneret ceteros, aut faſtu eſſet arrogantior: immovero id multo maxime fugiebat, cum diceret; *Si contempſi iudicium famuli, aut famulæ, cum ipſi mecum diſceptarent; an nõ ſicut ego ſui, et illi fuerunt?* ſumma igitur iniquitas eſt, elatum eſſe, ac ſuperbum. Quemadmodum enim auarum eum dicimus, qui aliena interuertit, nec ſuis contentus eſt; ita ſuperbum eum vocamus, qui plus ab altero exigit, quàm ſibi debeatur; cum ſibi aliquis cunctis in rebus honores conſtituit, ceteros vero deſpicatui ducit, nempe hoc ipſum non aliunde, quàm ex iniuſtitia erumpit. Deus enim vnam naturam omnium fabricauit; omnia peræque alijs eſt impartitus. Quanam igitur ratione ipſum illum abijcis, & ſpolias? nec eius honoris, quo eſt a Deo ornatus, conſortem eſſe pateris? ſed cum tua facis omnia, non ad pecuniarum, verum ad gloriæ egeſtatem alterum redigis? Vnam utriq; Deus naturam eſt elargitus, atque vnam ambobus naturæ dignitatem, ac principatum. Illud enim. *Faciamus hominem*; eſt vniuerſi generis commune. Cur ergo illum patria poſſeſsione deturbas, atque ad extremam demittis humilitatem? atque id quod commune eſt, ut proprium tibi uſurpas? Diſpar profecto Beati Iobi ratio erat. Quo circa eius illæ voces; *Non contempſi iudicium famuli, vel famulæ.* Eaq. re ſcriptor cum dixiſſet

Deut. c. 16.

Iob. c. 31.

Geneſ. c. 1.

Iob. c. 31.

ſet iuſtum eum eſſe, non priuatam iuſtitiam, quæ in commercijs & litibus ſpectatur, ſed eam, quæ eſt uniuerſa uirtus, propalam collocauit. Ad hominem, qui ex hoc genere iuſtus eſt, pertinet illud. *Iuſto lex non eſt poſita*. Addit. *Et religioſus*, ut oſtenderet tàm cum hominibus, quàm cum Deo perfectum extitiſſe: nam iuſtitia ad homines, religio ad Deum refertur. CHRYSOSTO. Ac uide, quemadmodum uirtuti uirtus comitetur, atque alteri altera plaudat. Recta enim uiuendi ratio facit, ut Deum cognoſcamus, Dei uero notitia uitæ cuſtodia eſt. Ideo igitur quia Iob iuſtus, Deum religioſe colebat; & quia Deus illi ſemper ob oculos uerſabatur; ob id ipſum, quod iuſtum erat, iuſte perſequebatur, atque id honeſti ſolius cauſſa; nullius rei præterea. Nec fieri poteſt, ut iuſtus ſit quiſpiam, niſi prius reprehenſione, & querela uacet. Idcirco cum ante eſſet poſitum. *Verus homo*, ideſt, nullo inuolucro pietatis, & ſimulatione tectus, ſed uere, ac reipſa uirtute præſtans, atque informatus; huic illud alterum comitatur, *irreprehenſibilis*. Nam legitimus uirtutis operarius, uel quæ uidentur exigua cauebit. Illi uerò conſequens eſt, Iuſtus. Quod uerbum eſt perfectæ iuſtitiæ paronymum. Is enim Iuſtus eſt, qui partibus eſt uirtutis omnibus abſolutus, atque perfectus [a] His autem ſuccedit ille, qui Deum religioſe colit; illuſtrior alijs, recteq. factis, rectiſq. dogmatibus exornatus. Ad hos adiungitur; *Abſtinens ab omni re mala*. Quod ipſum nihil quod emineat, non amplectitur. Neque enim dictum eſt, hac quidem illum improbitate abſtinuiſſe, illa uero minime; ſeu multa ab eo mala ſuperata eſſe; ipſum uero paucis ſuccubuiſſe; ſed prorſus nullius ſceleris labe tangi ſe uoluiſſe. Sed operæpretium eſt noſſe [b] Ponon nomen interdum eſſe uitij, alias, uero doloris, atque perpeſſionis malorum. Pro flagi-
Pſal. tio uſurpauit Dauid, cum caneret, *ſub lingua eorum labor, &
9. ponos*, atque iterum. *Concepit ponon, & peperit iniquitatem*.
Pſal. Pro acerbo uero dolore, difficiliq. labore idem uocabulum a
7. Iobi uxore uſurpatum eſt, cum dixit. *Vteri mei dolores, & poni*. Quare, & duo hæc, quæ à pono oriuntur, uocabula, πονηρόν, & πονῆρον, differũt. Prius enim improbitatẽ, & ſcelus ſignificat; alterum ærumnam acerbitatemq. declarat; cuiuſmodi eſt
Iob. illud; *Vulnerauit Iob vlcere acerbo*, ideſt, grauem difficulta-
c. 2. tem, cruciatumq. adferente. Videri cuipiam fortaſſe poſſit, nihil intereſſe inter eum, qui ab omni re mala abſtinet, & eum qui iuſtus eſt. Verum longe aliter res ſeſe habet. Nam qui ſe abſtinet

a *In diuinorũ dogmatum certa notitia, recteque factis ueram ſitã eſſe pietatem Cyrillus docet Hieroſolymitanus initio quartæ catecheſis.*

b *Quid ualeat apud græcos πόνος unde fluxit πονηρός, & πονῆρος.*

ſtinet ab improbitate, non continuo iuſtus eſt, quamuis ille qui iuſtus eſt, longe abſit ab improbitate. Principium quidem percipiendorum bonorum eſt mala dediſcere; Idcirco dictum eſt; *Declina a malo, & fac bonum*; Faciliorq. eſt mali fuga quàm *Pſal. 33.* boni aggreſsio. CHRYSOSTOMI.[a] Non eſt ſatis a rebus malis ſe remouere, niſi bonæ quoq; agantur; cum non modo mali adminiſtratio, ſed etiam uirtutis ceſſatio ſupplicio coercenda ſit. Quandoquidem, & ij, qui fame eiectum non aluerunt, & ij qui miſericordiam minime tribuerunt, ſupplicijs addicuntur ſempiternis. Ex quo intelligimus, abſtinere a malis non initium nobis eſſe ſalutis, niſi bonorum item poſſeſsio adſit, actioq. uirtutis. Atque mihi conſidera, in quàm pauca diuini ſpiritus conſuetudo huius uiri laudem contulerit. Nam cum eum uerum prædicauit; Patriam, ac maiores quodam modo deſcripſit; reprehenſionis uero, & querelæ expertem dixit propter actionem; Iuſtum ob iuris æquitatem, bonorumq. ſuorum largitionem, atque etiam ob iuſta in iudicando ſuffragia, & in cunctis rebus decretum, atque approbationem. Pium autem erga Deum ob fidem, & Idolorum odium; Abſtinentem uero ab omni re mala propter incenſas aduerſus omnia flagitia inimicitias. Breui præcidam; nihil gesſit aliquando accuſatione, ſeu querela dignum. Sed, & humana iura cuſtodiuit; & quæ ad religionem pertinent, incorrupta mente procurauit; & quæcunque ad Deum ſpectant adminiſtrauit, diuinumq. numen legitime coluit.

a Grego. Nazianzenus in oratione de baptiſmo. Pari, inquit, in uitio ſunt promptitudo ad vitium, & procraſtinatio ad virtutem.

Facti ſunt autem ei filij ſeptem, & filiæ tres.

CHRYSOST. Primum uirtutem expresſit; deinde illa, quæ Dei munere conceſſa ſunt. A uirtute enim hæc olim proficiſcebantur, copioſa, beneq. inſtituta ſoboles: *Non erit in te* (inquit) *infecunda, nec ſterilis.* Sed tamen Habraam ideo ſine liberis erat, ut di- *Deut. c. 7.* ſcas reuera non iſthæc, ſed quædam alia eſſe pręmia uirtutis. Illa nihilominus indulgens pollicitus eſt Deus. BASILII. Quamobrem abundaſſe Iob liberis ſcriptura demonſtrat? ob eos, qui filios cauſſantur, ſpecioſamq. arripiunt occaſionem ad peccatum. Neceſſariæ inquiunt pecuniæ ſunt propter liberos; nec intelligunt filios ijs ſæpenumero ſegetem, & ſcopum eſſe theſauri coaceruandi. Illud item accidere poteſt, ut quæ ab illis comparata ſunt, aut a latronibus rapiantur, aut a ſycophantis exhauriantur, aut ab hoſtibus capiantur. Quos ego ipſos libenter percunctatus fuerim, cum a Deo prolem peteretis: quid tandem ad precationem

cationē addidiſtis? Ideo ne Filios concede nobis, ut eorum cauſſa iuſſa tua uiolemus? atque gehennæ tradamur? nempe non iſthæc tunc dixiſtis: uerum filios, qui ueſtræ uitę ſubſidio eſſent, poſtulabatis. Quando igitur illos ipſos uitæ conſortes, & adiutores accepiſtis, honeſtis diſciplinis, atque exemplis erudite, & cuiuſmodi in rebus ad Deum pertinentibus eos eſſe oporteat docete. Hæ namque ſunt diuitiæ multis pecunijs præſtabiliores. Hæc pręclara hæreditas a Patre liberis tranſmiſſa. Hæc liberum educandorum ratio Iobo inſtituta erat. Hinc filiorum dignitate erat inſignis. Multos enim fratres exiſtere ex ijſdem parentibus ortos, neque in ijs plures iuſtos, pauciores iniuſtos eſſe, ſed cunctos uirtute, & genere nobiles, hæc uero non obſcura laus eſt eorum, a quibus nutriuntur. DIDYMI. Honeſtum hoc loco catalogum filiorum adfert ſcriptura myſticis rationibus congruentem. Quis enim ignorat numerum ſeptem eſſe, ſeptem chariſmatum indicem? ſicut trium appellatio ad id, quod eſt perfectius atque diuinius, referri ſolet? Nimirum ut ſciamus Trinitatis fidem ſeptem donorum opificem, ceterarumq. uirtutum caput eſſe. CHRYSOST. Hinc colligimus nuptias uirtuti nequaquam eſſe impedimento, aliter Iobo quoque fuiſſent. Sed nimirum eiuſmodi uinculum rectum iuſti curſum minime retardauit. Fruſtra igitur ob eam rem nonnulli defenſionem pętexunt. ATHANASII. Quod quidem dicit ſcriptura, facti ſunt illi filij, contra furentes Arianos præſidio nobis futurum eſt, qui tamquam magnum aliquod hæ-

Heb. c. 3. reſis ſuæ ſubſidium illud Apoſtoli quod de unigenito dicitur, amplectuntur. *Qui fidelis eſt illi, qui fecit eum;* Deiq. filium facturam eſſe contendunt, quod eorum firmamentum calamus eſt confractus. Quando enim ſubſtantia ipſa, aut factura, aut creatura fuerit, tunc Verbum fecit, & creauit, proprie dicitur facturaq. ſignificatur. Quando uero ſubſtantia proles fuerit, ac Filius, tum fecit, factum eſt, & creauit, non proprie ſumitur, neque facturam ſignificat. Nam ſine delectu quis uerbo, fecit, progenuit, uſus fuerit. Vt iam ſua ipſorum ſententia ſe condemnaturi ſint Ariani, ſi ſcripturæ propriam conſuetudinem diſcere uoluerint. Parentes enim eos, qui ab ipſis orti ſunt, tum fa-

Eſai. c. 38. ex editione 70. ctos, tum genitos, tum creatos dixerint, nec ideo naturam pernegarint. Ezechias, ut eſt apud Eſaiam, cum, precaretur, dicebat uidelicet: *Ex hac die filios faciam;* Faciam, dixit, pro generabo, & a ſe ortos factos enunciauit. Nec dubitet quiſpiā Ezechiam de naturali prole locutum eſſe. Adhæc Eua poſt Cainum editum

dixit. *Poſſedi hominem per Deum*; ubi profecto poſſedi, pro peperi dixit, nam cum antea partus meminiſſet, deinde extulit, *poſſedi*. Nec quiſquam propter uerbum poſſedi, tanquam externum quempiam coemptum Cainum, nec ab Eua editum eſſe exiſtimauerit. Nec non Iacob Patriarcha Ioſepho filio dicebat, *Nunc igitur duo filij tui, qui tibi facti ſunt in Aegypto, priuſquam ego venirem ad te in Aegyptum, mei ſunt, Ephraim & Manaſſe.* Hoc item loco de Iobo dictum eſt, illi ſeptem filios factos eſſe. Quemadmodum Moyſes etiam in lege dicit, *ſi facti fuerint alicui filij, & ſi fecerit quis filium*. En quemadmodum rurſus eos, qui geniti ſunt, tanquam factos, & effectos pronunciarunt, cum intelligerent, quamdiu certum eſt eſſe filios, ſiue quis, facti ſunt, ſiue feci, ſiue poſſedi dixerit, nihil referre, Natura enim, & ueritas ad ſe ipſa allicit intelligentiam. Quare ex ijs, qui ſciſcitantur, ſit ne CHRISTVS factura, ſeu creatura, an non, quęrendum prius eſt, ſit ne filius. Nam hoc perſuaſum cum erit, facturæ & creaturæ cogitatio profligabitur. Ergo palam factum eſt, dictione illa, qui fecit eum, non ſolum eorum hæreſim non adiuuari, ſed etiã multo magis confutari. Quandoguidem eſt oſtenſum uerbum fecit, de legitimis, & naturalibus filijs in ſacris litteris dici, ex quo germanus, & naturalis filius CHRISTVS declaratur, quamuis de illo diceretur, factus eſt, fecit; quod certe tamquam de factura, & creatura minime diceretur, maxime quòd Sancti Patres promiſcue ijs uocibus uſi ſunt. Gen. c.4. Gen. c.48.

[1] *Et [a] erant pecora eius, ouium ſeptem millia; Camelorum tria millia; Iuga boum quingenta, Aſinæ fœminæ ſequentes paſcua quingentæ; & miniſterium multum valde, & opera magna erant in terra.*

OLYMP. In habendis liberis narrat felicitatem, & poſſesſionem percenſet; ut duplicem ex ea re utilitatem capiamus, quandoquidem nec diuitiæ ad uirtutem illi impedimento fuerunt, qui tanta felicitate, & filiorum gloria apud homines florens, diſciplinam tamen non reſpuebat, neque a pietate animum abducebat: inde eſt etiam haurienda vtilitas, quod tantis bonis ſpoliatus, tàm commodos ſermones vſurparit. Quamobrem hinc diſcant diuites, non ob ſatietatem, alterum iniuria lædere, & pauperes gratias agant, ſiue opes nunquã adepti ſint, ſiue adepti amiſerint. Hinc etiã qui liberis orbati ſunt, ſolatiũ ſibi parent in admirabilẽ

[1] Pro miniſterium multum ualde Amb. in primo lib. de interpellat. Iob. famulatus multus nimis. [a] *Huius ditionis omniũ et boũ fit mẽtio: quod tunc res erat in pecore, & in locorum poſſeſsionibus: ex quo pecunioſi, & locupletes uocabantur. ut uerbis utar Ciceronis ex 2 lib. de Rep. quæ uerba legũtur apud Nonnium.*

Iuſti huius imaginem intuentes. *Miniſterium*, quod prę**ſ**tabatur a ſeruis. Aquila * ſeruitium multum valde. Symmachus, familia dilucidius expreſſerunt. *Opera uero magna.* Quæ quidem ſpectant ad animum, opera ſunt pietatis, quæ uero ad externam rationem, agri, domus, conſitiones, prata, horti, contubernia, ædificia. CHRYS. Vide hominem agreſtibus diuitijs affluentem, neque enim mutui rationes ac fœnora numerauit, neque auratis laquearibus ornatas domos: ita nihil ei deerat ad bene merendi facultatem. Oues, & boues, & quæ ex anni temporibus & agricultura percipiuntur, recenſuit. Quibus rebus indigentibus opitulabatur. Nam, quemadmodum dixi, non in pretioſa materia gloriabatur; ſed in ijs rebus, quę indigentiæ modice ſubuenirent, contentus erat. Hunc nobis regem ſcriptura proponit, non equorum mentionem facit, non auro conglutinatorum curruum, non argenti atque auri theſauros meminit, non lapides precioſos, non ceteras res, quibus hominum diuitijs inhiantium morbus inflammatur; ſed illa enumerat quæ ad uitæ neceſſitatem ſunt accommodata. Nam cum filios haberet, a pecunijs vulnus nullum tamen accepit, rerum abundantiam ratus grauitatis pleniſſimam tolerantiam, & copiam cupiditatis inopiam, & honoris cõtentionem non ſeruire perturbationibus. Et quoniam eſt in obeliſco, *Miniſterium multum valde.* [a] Sciendum eſt quæ obeliſco notantur hebraice non haberi, verum perſpicuitatis tantum cauſſa a ſeptuaginta poſita eſſe. Horum uero animalium, genere diſcrepantiũ ad ſpiritualem theoriam velle transferre deſcriptionem, ſuperuacaneum eſt, atque ad artem interpretandorum ſomniorum pertinet.

δουλεία οἰκετία.

a Hoc ipſum confirmat Hieronymus in epiſtola ad Auguſtinum de reprehenſo Petro, et Paulo. ait enim obeliſcis ſignificari id, quod additum eſt a 70. Aſteriſco, quod ab Origine additum eſt ex Theodotionis editione.

Et erat homo ille nobilis inter Orientales.

Eximio & Habraamæo genere ortus erat, uereque erat Habraæ filius, ut in cognatione, ſic in pietate ac uirtute ei ſuccedens. Porro Habraamus, atq; huius maiores Orientis prouincias coluerunt. CHRYS. Symmachus *Maximus omnium Orientalium* reddidit. Cunctis erat, inquit, clarior atque illuſtrior. Potuiſſet illius maiores inſignes, ac nobiles enumerare: ſed nihil horum eum ad animi elationem deduxit. DIDYM. Genere clarus inter Orientales prædicatur, quoniam ſecundum carnem ex Habraamo ducebat originem. Quantum uero ad anagogiam pertinet, lucis, Deiq. filij a lucidis actionibus nuncupatur. Hi ad Orientem ſolem pertinent; neque enim iuſtus ab hominibus, ſed a ſplendore ſolis iuſtitiæ ſplendeſcentem aſſequitur nobilitatem.

Conuenientes autem filij eius, adinuicem faciebant conuiuium per ſingulos dies, vna ſumentes, & tres ſorores ſuas, vt manducarent & biberent cum ipſis.

OLYMP. Omnes, inquit, ſuo quiſque certo die uiciſſim inter ſe inuitabant: ſic enim Aquila interpretatus eſt. Atque id erat fraternę beneuolentię & concordiæ munus, ac paternæ inſtitutionis argumentum. Summæ uero admirationis eſt, quod de maribus dixit, *Conuenientes inter ſe*, id eſt, nullam ob rem de principe loco erat illis contentio, maximum uero quid unuſquiſque arbitrabatur ad alterum properare. De feminis autem enunciauit quod *vna aſſumebant*: neque enim harum rerum curas ab ijs requirebant, verum ſodales eas tantum in conuiuium adhibebant, ſoliquè mares obeundo munere occupari erant, feminæ uero honorifice duntaxat & quiete fratribus aderant. CHRYS. Conſpirantem uirtutem cum haberent, externum nullum erat inter eos diſſidium, una incedebant, nec longe digrediebantur, neque ſe in aliorum conſuetudinem dabant, ſuæq. ſobrietatis teſtes ſorores ſumebant, neque enim alienas feminas ad pocula, cœnasq. accerſebant, ſed ſuas tantum ſorores euocabant. Id quod ſignum erat minime obſcurum eorum temperantiæ, ac modeſtiæ. Verum horum concordem amicitiam atque conuictum ad repentinas inſidias inuenit Diabolus, ut una ruina cunctos intra fratris natu maioris domum opprimeret.

Et poſtquam conſummati eſſent dies conuiuij, mittebat Iob, & mundabat eos ſurgens mane, & offerebat pro ipſis victimas iuxta numerum eorum, & vitulum vnum pro peccato pro animabus ipſorum, dicebat enim Iob; Ne forte filij mei in corde ſuo mala cogitauerint contra Deum. Sic igitur faciebat Iob cunctis diebus. A

CHRYSOST. Videte purgationem non quidem Moſaicam, ſed apoſtolicam: mentem enim illorum non corpora precatione expiabat.[a] Aiunt nonnulli priſcos illos ſacerdotes more Melchiſedecis per ſeipſos creatos fuiſſe. Hoc ergo ſignificat, *mittebat*. OLYMP. Attende, quemadmodũ uel ipſo ſacrificio animorũ conſenſionẽ illos docebat. vnicũ enim uitulum pro omnibus tanquã pro anima una offerebat. Nã *mittebat* patris curã non quamlibet, ſed

a Quanta pernicies ſit improbarum cogitationum, uel ex hoc loco intelligi poteſt. Grauem autem illarum culpam docet Salomon prouer. cap. 6. cap. 15. Iſaias c.1. Ierem. cap. 4. Zachar. c.1. Hieron. in cap. 4. Zachar. et lib. 8. ſuorum comment. in Iſaiam. explanans ea uerba, ego autem opera eorum, et cogitationes eorum uenio ut congregem cum omnibus gentibus, & linguis. Auguſt. in pſal. 118. Chryſoſt. hom. 17. in Matth.

ſed inſomnẽ declarat. *Mundabat* autẽ aquis purganti bus adhibitis, quibus natura homines, & ex lege Iudæi utuntur. Illud autem, *cum conſummati eſſent dies conuiuij*, hoc oſtendit, aut quod id quotidie factitaret ad exacti diei expiationem mactata hoſtia, aut poſt ſeptem dierum anfractũ per hebdomadam pro illorũ ſalute ſemel ſacrificium faceret. *Vitulum* pro peccatis cogitationis & mentis. Verebatur enim intelligentiæ perturbationem, quæ cœnis atque conuiuijs comitari ſolet. Cum uero ad gratiã euangelij legitimis [a] iuſſis interim prætęritis animum attenderet, facinora illa ſacrificijs procurare ſtudebat, quæ uni Deo erant explorata. Animaduertis ne exquiſitum cultum euangelicum? Cum enim ſit in Euãgelicis iuſſis, neque mente fornicandum eſſe, neque temere iraſcendum, Sanctus Iobus ad illa expianda, quæ mente a filijs peccabãtur, hoſtias Deo præbebat. POLYCHRO. Cum intelligeret ea quæ aſpectui ſubiecta erant, labe carere, ſuſpicabatur ne qua forte prolapſio interior in illis ipſis lateret incluſa, atque eam ob rem pro occultis peccatis ſacrificabat, propheticam illam ſententiam ſecutus. *Ab occultis meis munda me*, id eſt ab ijs, quæ *Pſal.* 18.
ob ignorationem in uita contingunt. DIDYMI. Quemadmo-
Iſai. dum ille dixit, *de nocte ad te, de mane vigilat ſpiritus meus, o Deus.*
*c.*26. Et *Deus, Deus meus, ad te de mane vigilo*, ita Iob nullam aliam
Pſal. ob rem niſi propter Deum de mane ſurgebat, vt illi ſacrificium
62. pro liberis factitaret. *Iuxta numerum eorum*, hoc eſt pro unoquoque, & ſingulis ordine. Nihil enim perturbate homo ſanctus agebat. Ad hæc uitulum pro omnibus immolabat, tum more inſtitutoq. ſuo, tum vt ad eam rationem filios quoque ſuos aſſuefaceret. Ergo ad hunc modum purgabat eos poſt conuiuium, tam ea quæ ſenſus tangit uſurpata purgatione, quàm illa, quæ ad mentis procurationem affert vtilitatem. Prophetice porro, tum ex lege, tum ex gratia ſacrificare videbatur. Ex lege quidem, cum diuerſa; ex gratia uero, cum uitulum unum pro peccato offerret. Tale enim ſacrificium gratiæ veritatem præmonſtrabat, unigeniti Dei Filij ſacrificium in carne adumbrans. Vitulum autem pro cunctis filijs oblatum CHRISTI, qui pro omnibus crucem pertulit, typum fuiſſe haud mirabere, ſi illud conſideraris, Iobum myſterijs aduentus CHRISTI initiatum fuiſſe, ut qui dixerit, ab illo cere magnum in poteſtatem redigendum eſſe. POLYCH. His verbis, ne forte cogitatione conceperint quæ Deo diſpliceant, magna liberorum puritas oſtenditur. Neque enim quod peccatum ullũ notũ ſenſibus cerneret in filijs pro ijs quę cogitatione peccan-

a *Legitimis, id eſt quæ legibus Moyſi reſpondent: quæ iuſſa non tam interioris, quàm exterioris hominis diſciplinam deſcribunt.*

tur, faciebat ſacrificiũ; ſed quia ſecũ ipſe ratiocinabatur humanam infirmitatem in iuuenili præſertim ætate labi ſæpenumero. Proinde obſeruandum eſt, non propter peccata, eiuſmodi interitui illos obnoxios fuiſſe. OLIMP. Quapropter admiratione digni ſunt filij. Sed admiratione dignior horum pater & magiſter; illorum enim nullũ apertum peccatum apparebat. Quare nec anxia pater cura angebatur. Huius vno tanta in Deum liberosq. ſuos caritas erat, vt illum placatum efficeret, ac mitigaret; hos vero purgaret; peccatorum etiam quæ mente concipiuntur, curam ſuſciperet. Papæ. Quanta ergo Deum pietas & quam incitatum ſtudium. *Sic*, inquit, *faciebat Iob cunctis diebus*. Vnde mentis conſtantia ac firmitudo intelligitur. Neque enim interdum quidem actiones uirtutis ſuſcipiebat, aliquando uero prætermittebat, ſed iuſti uita e Deo ſemper apta erat. Summa uero hæc eſt laus, omniumq. prædicationum exitu terminata, pietatis munera nullo vnquam tempore non obijſſe. Virtutum enim bonarumq. rerum ceſſatio reditus eſt ad improbitatem. Atque hoc loco diſcimus uitanda eſſe conuiuia, ut quæ peccandi cauſſam adferant: ſiquidem ubi expleta fuerint, indigent expiationis: tametſi ob fraternam beneuolentiam, amoremq; mutuum ea filij Iob celebrarent. Illud recte omnino, *Ne forte mala cogitauerint*, non quòd eiuſmodi eſſent filij Iob, ſed quoniam erant homines. Quare & illud magnum de occultis etiam ſollicitum eſſe, ac metuere, quod profecto Iuſtus hic præſtabat, eaq. re pro ipſis ſacrificium faciebat, peccatisq. illos liberabat, atque hac ratione in eorum prouidentia uerſabatur. Non, quemadmodum multorum ſermo eſt, Iob loquebatur; bona ac facultates eis relinquam, claritatem ac gloriam tradam, emã principatum & agros: ſed quæ illius erat uox? Ne quid cogitauerint in corde ſuo. Quæ nam utilitas etiam ſi illa omnia hic maneant? ſcilicet, id, inquit, perficiam, ut eis propitius ſit Rex omnium. Sic enim fiet, ut nihil ijs deeſſe poſſit.

BASIL.[a] Merito hic iuſtus de peccato, quod eſt in latebris ac receſſu, uerebatur. Nam quæ hominis eſt condicio, ad mentis errata ſumus procliuiores. Quę enim corpore adminiſtrantur, tempore atque opportunitate opus habent, mentis uero cogitationisq. motiones momento efficiuntur, ſine labore abſoluuntur, improuiſo & abſque negocio conformantur, nullum eſt eis tempus importunum. Vbi ergo unus aliquis eorum qui pudicitiæ, ſanctimoniæq. nomine gloriantur temperantiæq. uelo obteguntur, in medijs honeſtorũ hominum beatum illum prædicantium cœtibus conſederit,

[a] *Sumpta ex hom. eiuſdem Baſilij*, attende tibi ipſi.

conſederit, ſed ad peccati domicilium mente peruolarit, atque obſcuro cogitationis motu quæ illi cordi ſunt, peruiderit, & congreſſum aliquem minime decorum animo informarit, ac demum in abdita cogitationis officina certam ſibi uoluptatis illecebram fabricarit, nimirum hic peccato fide teſtimonij carente, ſeſe intus obligauit. Quoniam igitur corporis actiones multifariam intercidunt; qui uero ex animi propoſito peccat, ipſa cogitationum celeritate peccatum perficit: Vbi autem ſubitus eſt caſus, & obſcurus, illic metum & cautionem maiorem eſſe oportet, nempe id cum Iobus intelligeret ad hoc peccati genus expiandum ſacrificijs utebatur. Atque in his primum Caput ſitum eſt. Nunc ad Capitis ſecundi protheoriam aggrediendum.

PROTHEORIAE SECVNDI CAPITIS AD RATIONEM PARTIENDI, quam ſecutus eſt Auctor Catenæ.

OLYMPIOD. Communis mortalium peſtis diabolus, cum præſtantem Iuſti virtutem ferre haudquaquam poſſet, nec vllum in eum imperium obtineret, quod ipſum nec in porcos, niſi Saluatoris conſenſu habere potuit, Iuſtum hunc apud Deum criminatur, quod non virtutis ergo, ſed vt accepta diuinitus beneficia ratione quadam remunerari videretur, quæ decebant, adminiſtraret. Ideo dicit: Spolia ipſum felicitate, et moris improbitatem cognoſces. Simul enim vt ei externarum rerum copiam ademeris, in os aduerſus te iaciet maledictum. Sed tamen Deus, cum Iuſti inuictum animum perſpexiſſet, velletq́ eum ob haſce contentiones illuſtriore præconio efferre, poteſtatem aduerſus Iobi opes diabolo permittit, ad quas ille perdendas ita bacchatus eſt, vt funditus cunctas euerterit, nuncijsq́ ſolis calamitatum pepercerit, qui eum ſemper nouis, acerbiſſimisq́ nuncijs percellerent. Cumq́ pretioſiſſima patrum ſupellex ſint liberi, optima filiorum decade intercepta, diabolus ſimul eos conuiuantes repentina domus conquaſſatione omnes contriuit, ita e domo ſepulchrum effecit, ac domum, quæ multorum filiorum comitatu erat inſtructa, puncto temporis viduauit,

 duauit,

duauit. Tunc adamas ille Iobus, quod ſuum erat, naturæ reddens, veſtem diſcidit, nec propterea quicquam aut animo ſui ſplendore alienum, aut mentis celſitudine indignum loquitur, immo vero in grauiſsima illa, & maxima plaga has voces miſit: Dominus dedit, Dominus abſtulit; ſicut Domino placuit, ita factum eſt; ſit nomen Domini benedictum. *Quæ quidem voces, cum mortiferum vulnus diabolo inflixiſſent, vehementesq́; Iuſti laudibus illi a Deo delatis exulcerarentur, is tamen nihil reueritus eſt; (Siquidem bellua impudens eſt) contra Iuſti corpus certamen inſtituit, rogatq́; Deum, vt ſibi in Iobi corpus faciat poteſtatem: ſed Deus, quæ eius eſt benignitas, cum ſuos familiares non magis in hominum, quàm in angelorum conſpectum palam dare velit, rurſus id quod diabolus contendit elargitur. Poſtquàm vero inſanabilem plagam Iuſtus accepit, nec ideo animo deiectus, aut immutatus eſt, ad veteratorium ſuum artificium refert ſe draco, perfugiumq́; nactus vxoris Iuſtum his verbis hortatur,* Dic verbum contra Deum, & morere. *Verum in facie iterum vulnus accepit, cum audiuit:* Si bona ſuſcepimus de manu Domini, mala non ſuſtineamus? *Hac ratione cum ab athleta diabolus ſæpius varijsq́; oppugnationibus in fugam coniectus, ac profligatus eſſet, tres quidem Iobi amici perinſignes, loca omnia calamitatis fama peragrante, cum quæ illi acciderant, auditione accepiſſent, ad eum viſendi cauſſa accedunt. Verum propter malorum vim incredibilem nullo ad conſolandum inuento remedio, propter eum taciti aſsidebant, ipſa confeſsione communem ſenſum doloris ſignificantes. Atque hæc eſt ſecundi Capitis ſententia. Deinceps verba ponenda ſunt, ſubtiliterq́; expendenda.*

B *Et factum eſt quaſi dies hæc, & ecce venerunt angeli Dei, ut aſsiſterent coram Domino; & Diabolus venit cum eis.*

Deus qui nulli creatæ naturæ eſt adſpectabilis, qui quantitatis ac molis expers, qui vbique præſens, qui rerum uniuerſitati præeſt, cuncta complectitur, nec locus eſt ullus extra illius ditionem

atque imperium. Hic; inquam, Deus rebus ſingulis, qua decet ratione præſens, adeſt angelis quidem ut pote ſanctis, arcanis uocibus præcipiendo, diabolo uero, ut qui improbus eſt, hominis tentandi facultatem tribuendo. Nec enim quicquam ſine Dei permiſſu, atque conceſſu moliri poteſt diabolus, neque cœleſtes illas regiones, unde eſt deturbatus, ſubit. Abſit. *Quomodo enim,*
Iſai. c.14. inquit, *cecidit de cælo lucifer, mane oriens?* Cum angelis aſsiſtere tamen dicitur, quoniam is quoque in diuinæ ditionis atque imperij locis conſiſtit, expectatq. dum ſibi mortalibus inferendarum tentationum poteſtas detur, non ut obſequium ullum præſtet Deo, ſed ideo quod ob ingenij improbitatem atque peruerſitatem ad tantam inſaniam, & aduerſus nos furendi libidinem deductus eſt. Deus autem, qui rationibus noſtris ſapienter moderatur, illa tantum ei permittit, ut nobis intentet, quibus ferendis pares eſſe poſſimus; atque hæc ipſa ut facilius ipſi perciperemus, typo quodam & quaſi figura expreſsit. Illud uero: *Et factum eſt quaſi dies hec*, pro illo eſt, dies aduentauit, quo theatrum patefactum eſt, atque in arenam athleta deſcendit: & quoniam nos angeli tuentur, & curant, contra ſaluti noſtræ diabolus aduerſatur, atque de una eademq. re, id eſt, de homine inter ſe pugnant atque decertant; hac de cauſſa ſimul aſsiſtere dicuntur, Deo interim cuncta quæ geruntur, contuente. Nos porro uincimus aut uincimur, non propter uel aduerſariorum uires, uel angelorum ſuppetias nobis ferentium infirmitatem, ſed propter noſtram electionem uoluntatiſq. libertatem. Cum enim utrique ad ſe nos alliciant, ſanctis angelis bona, execrandis uero dæmonibus mala ſuadentibus, in poteſtate eſt noſtræ uoluntatis, quæ libero arbitrio ornata eſt in utram maluerit partem ſe dare. Nam neq; ab eo qui nos liberi arbitrij honore affecit, cogimur, neque diabolus nobis ipſis uim ullam afferendi adeptus eſt poteſtatem. Verum noſtra electione ab angelis & dæmonibus inclinati, tum recte agimus, tum male. DIONYSII & BASILII. Ij uero angeli, qui ſuum ac domeſticum, immobilemq. ordinem acriter, conſtanterq. complexi ſunt, ignorant ea quę ſuam aliqua ex parte imminuere poſſunt dignitatem. Verum naturalis ac deiformis proprietatis firmitudinem maxime ſynceram & lapſu mutationeq. carentem ſeruant, atq; in bono manentes tuentur dignitatem, in electione quidem liberum arbitrium habētes, a ueri autem boni aſsiduitate nūquam recedentes: uel fortaſſe quod eodem ſpectat, & a ueritate pronunciatum eſt, quia honorum paruulorum angeli, quantum

ad nequitiam ſpectat, in uitæ ratione infantes pueros imitantium, ſemper in diuinam pulchritudinem acrius intuetur. Quod ſi ſemper, nunquam uidelicet cadunt. Verum qui ſcelere irretiti ſunt, iam e diuinarum mentium harmonia ceciderunt, in eorum qui defecerunt cœtuum obſcuram ruinam coniecti, ſeu potius ad defectionis principem aggregati. Qui ſane princeps non ſtatim eſt procreatus diabolus; ſed cum angeli poteſtatem accepiſſet, in dæmonis migrauit naturam, effectusq. eſt improbus eaq. improbitate vt charactere ac nota inſignitus. Atque a Dei familiaritate, amicitiaq. diſtractus, & ad defectioné conuerſus, ubi hominem paruum animal uidit omni eſſe condita natura præſtantiorem, inuidit; & nimirum, quamdiu homo ſolus fuit, oblatam ſibi occaſionem non uidit. Poſtea uero quam mulier molle animal atque humanum (ut ab eo quod hominum amans eſt, facile alerentur infantes) fabricata eſt ei quod tenerum eſt, libenterq. cedit oculum adijciens, diabolus quæ facilitas erat ad uirtutem, in uitij facilitatem conuertit, & qui antea cum Deo bellum gerebat, cum hominibus inimicitias poſtea exercuit; ſed uel ipſum bellum, quod nobis infert, certo argumento eſt, ſceleratum hunc Deo prius inimicum fuiſſe, atque cum eo conflixiſſe, ſed cum inuadere Deum non poſſet, uirus in nos ſuæ improbitatis euomuit, neque a Deo, ſed a ſua electione nequitiam habet diabolus, qui in ſua poteſtate uitam haberet eſſetq. illi integrum tum Deo hærere, tum a bono diſcedere. Gabriel Angelus Deo ſemper aſsiſtit, Satanas uero angelus e ſua claſſe prorſus excidit: & illum in ſuperis regionibus electio retinuit: huncauté ſententiæ liberæ poteſtas præcipué egit. [a] Poterat ille quoque deficere, atque hic poterat non cadere; ſed tamen illum Dei amor inſatiabilis ſeruauit, hunc uero abiectum & inuiſum a Deo diſceſsio declarauit. Satanas autem uocatur, quod aduerſarium ſignificat. Diabolus uero propterea, quòd is noſtri peccati adminiſter eſt, idemq. accuſator, & noſtro quidem interitu lætatur, ac de nobis ob noſtra facinora triumphum agit: uel etiam diabolus nominatur, quia apud hominem, Deum, quaſi noſtro bono inuideat, calumniatur; apud Deum uero hominem, tanquam uirtutis mercenarium criminatur. Primæ mulieri dixit; Quia deus uobis inuidit, ideo cibo interdixit: Deo auté quòd non a lobo gratis, ſed ob accepta beneficia coleretur. GREG. NAZIANZ. O impudentiam eius qui talia audeat; Iam inde a principio in paradiſum ille contra figmentum irrepſerat, nuncq. inter angelos medius cóſiſtit, ut Iobum ad ſupplicium depoſcat.

a Quid certius ad humanæ voluntatis libertatem comprobandam, quid planius poteſt adferri?

Poly. *Venerunt*, inquit, *angeli ut aſſiſterent domino, & diabo-
lus venit cum eis*. Ipſum aſſiſtere & coram Deo ſtare angelos,
& in medium prodire diabolum, noli ad corporum conſuetudi-
nem traſferre: ſed quoniam illi in tuendis, curandisq. homini-
bus legitimis muneribus perfunguntur, quæ in Iobi quoque ra-
tione, ac prouidentia explebant; Diabolus uero angelis infen-
ſus homines lædere, atque in fraudes inducere nititur, ideo
Zach. iſthęc diuina exponit ſcriptura, quarum rerum notitiam apud Za-
c. 3. chariam quis inuenerit illuſtriorem: *Oſtendit mihi*, inquit, *Ieſum
ſacerdotem magnum ſtantem ante faciem angeli domini*, nempe mune
re ab eo ſibi iniuncto dignum effectum: *& diabolus ſtabat a dextris
eius*. Cauſſam deinde affert, cur ei obſiſteret: quæ quidem pla-
ne oſtendunt, angelorum id proprium eſſe, ut eam opem & mo-
tionem optent hominibus quam illi ipſi ſolent afferre: Diaboli
uero; ut contra pugnet. Aliter uero, angeli, atque diabolus ſe-
ſe ad Deum recipiunt. A materia enim illæ ſecretæ naturæ, ui-
tijq. ignaræ propter dignitatem familiaremq. uſum, Deo ſunt
3. Re. propinquiores. Id quod Elias teſtatur, *Viuit dominus, cui adſti-
c. 17. *ti in conſpectu eius*. Satanas uero, qui Deum maledictis, atque
ex edi odio inſectatur, aſſiſtere Deo dicitur, quia Deus locis omnibus
tione adeſt, uitium coarguens, uirtutem præmio afficiens. Quocirca
70. angeli ita in conſpectum Dei ueniunt, ut ad eius obſequia erecto
ſemper ſint animo, alacriq. ſtudio ſilentij occaſione ex admira-
tione arrepta, & purgatos quidem oculos non audent niſi ſtantes
in diuina illa pulchritudine defigere. Verum diabolus furit au-
dacia, & contumelia tumidus fit obuiam, [a] ſtatq. coram Deo,
non ut angelica conſortione dignus, ſed ad flagitioſe tantum con-
tradicendum paratus, Deoq. dicitur ſe dare in conſpectum, non
idcirco quod uitæ propinquitatem æquo animo ferat, ſed quo-
niam eum, qui loco circumſcribi nequit, latere non poteſt. Om-
nia enim ſunt nuda oculis eius, nec ulla eſt creatura occulta coram
illo. Spirituales etiam eorum qui nullum cum corpore commer-
cium habent, nouit cogitationes. Verum ſcriptor ad dialogorum
conſuetudinem orationem traducit, ac ſenſibus obſequens noti-
tias effingit, ut ex ijs quæ familiaria nobis ſunt atque cognita,
pręſtantiorem rerum ſcientiam aucupemur. Atque ea ratione
intelligentiæ ui quaſi dentibus quibuſdam, id quod in uerbis craſ-
ſius eſt, diuidamus, & rationalem panem, quo uno alitur animus,
palam ſumamus.

a Non ſecus, quàm Polychronius, hoc loco magnus Gregorius ait, in Domini conſpectum Satanã veniſſe.

Et dixit dominus diabolo, vnde venis?

a Quot modis loquatur cum Diabolo Deus; & quot viciſsim cum Deo diabolus, vide apud Gregoriũ in ſecundo lib. mor. cap. 4.

OLYMP. [a] Angelos cum diabolo diſceptando ſermocinari, tum ex ijs quæ apud Zachariam leguntur, perſpicuum fieri poteſt: *Zach. c. 3.* Sic enim angelus diabolo, *Imperet tibi qui elegit Hieruſalem:* tum ex epiſtolis catholicis, ubi eſt his uerbis, *Cum Michael contenderet de Moyſis corpore cum diabolo, non eſt auſus iudicium inferre blaſphemiæ: ſed dixit, imperet tibi dominus.* *Iud. ep.* Itaque exiſtimare poſſumus angelum quempiam diuina mandata exhaurientem cum diabolo colloquutum eſſe. Et quemadmodum principis cuiuſpiã ſatelles, cum reſponſa defert ad aliquem, principis illa reſponſa eſſe non dubitamus, ita angelorum uoces, quæ Dei uoluntate expromuntur, nimirũ eiuſdẽ eſſe creduntur. Ergo per ſanctos Angelos Deus loquitur diabolo: neq; enim ſuo ſermone dignatur Deus diabolum, ſed vel propter eum qui tentatur, ea collocutio contingit; uel etiam quia Deus cum iuſti hominis recte factis, officijsq. delectetur, contra vero diabolus contabeſcens inuidia hominis frugi tentandi poteſtatem nitatur extorquere, idcirco ſcriptura figurata utitur dictione. Illud autem *vnde uenis?* exprobrandi cauſſa dicitur diabolo: propterea quod ordinem miniſtrantium ſpirituum deſeruit, ſicut Adam, cũ dictum eſt, *vbi es?* *Gen. 3.* pro illo eſt, e quibus in quas res decidiſti? fortaſſe etiã eadẽ uerba ualent ad ſtultam ac temerariam agitationem diaboli coarguendam, ac ſi diceret; Angeli qui mihi obſequuntur, qui diuina mea iuſſa capeſſunt, eadem cum perficiũt, vere mihi aſſiſtunt, hoc illis eſt aſſiſtere, uoluntati meæ ſatisfacere omnino. Neque enim eorum aſſiſtendi ratio natura aliqua loci definitur. Tu uero unde? Neque enim meus es adminiſter. ATHANA. Hinc planum fit, cunctis rebus, quæ effectæ ſunt ſua eſſe certa loca diſtributa. Nam luminaria domicilium habent in firmamento, nubes in aere, hominibus conſtituit terminos populorum, angeli ad muneris functiones mittuntur, & per ſcalam aſcendunt, atque deſcendunt. Hoc item loco dicitur. Et uenerunt, ut ſtarent coram domino, & rogatur diabolus, unde uenis? Quare in loco ſunt, & huc mittuntur, illic adſunt. Solus Deus nequit circumſcribi: ita non quaſi in loco eum, qui ſua præſentia complet omnia, quęrunt; vt tamquam regione quapiam concluſum inueniant eum, qui definiri non poteſt. Verum aſſiſtere, nihil aliud eſt, niſi diuinæ voluntatis typis informari, omniq. conatu ad eum contendere: in Dei enim conſpectu omnis eſt creatura, ipſa etiam

quæ

quæ defecit, eſtq. improbiſsima. Id enim ei natura conuenit, quæ circumſcriptionem prorſus reſpuit; nihilominus angeli ob inſatiabilem diuinæ caritatis amorem Deo coram adſunt. CHRYS. Cur tandem cum angelico cultu, atque obſequio vna adeſt diabolus? & in medio ſanctorum choro ſpirituum impurus licenter verſatur? Nempe igitur, neq; angeli, neque Satanas ratione corporea Deo aſsiſtunt, uerum quæuis muneris functio, aſsiſtendi ratio nuncupatur. Diabolus etiam cum Dei creatura ſit, quæ opus ſunt facere iubetur. Ac licet uoluntate, diuini imperij frænos mordeat, iugum nihilominus ſuſtinet ſeruitutis, & tanquam tortor & carnifex imperata facere iubetur. Et quemadmodum apud nos, principes quando cum honore quempiam acceſſunt, honeſtos homines mittere conſueuerunt; quando uero cum ignominia abſtrahunt, crudeles quoſdam ſatellites immittunt: ita Deus ad ſanctos quidem angelos mittit, miniſtros ad ſalutem; quando uero pœna coercere uult, facinoroſis præcipit poteſtatibus. Ita Paulus eum, qui Corinthi ſcelerate egerat, ſatanæ tradit in interitum carnis, itemq. alios ne blaſphement.

Et reſpondens diabolus Domino dixit; Cum circumierim terram, & ambulauerim eam, quæ ſub cælo eſt, adſum.

CHRYSOSTOMI. Interrogandi & reſpondendi vicibus vſurpatis, illuſtrius quæ vera ſunt, ſcriptura deſcripſit, omnemq. purgandi facultatem impudentibus præcidit. Porro quæ narrat diabolum Deo dixiſſe, non ea quidem dixit, ſed tamen cogitauit, nec enim tantũ in eo audaciæ eſt atque licentiæ.[a] In eo vero quod ait, omnia ſe loca peragraſſe, primum ſeipſum accuſat, quod nullum fixum habeat domicilium, nec vſquam conſiſtat, ſed cunctas regiones perluſtret, aduerſus cunctos mortales pugna ſuſcepta. Deinde illud diſcimus, orbem terrarum tum angelis, tum dæmonibus refertum eſſe, & angelos quidem venire ad Deum, vt ab eo mandata accipiant, diabolum vero non permittente & concedente Deo, nihil pro ſua libidine efficere poſſe. Quamuis enim defecerit, atque extra Dei ſit obſequium, eſt ei nihilominus metus, tanquam frænum iniectus, neque eum ſinit Deus ſua abuti poteſtate, ſed neque vno eodemq. tempore, ſed conficiens periodum, locis omnibus adeſt. *Eam, verò, quæ ſub cælo eſt*, dixit, vt ſolitudinem indicaret, ac quicquid demum, quod eſt cęlo ſubiectum, aeriamq.

a Hanc ipſam explanationem reperi in Cat. Pinelli factã a Dydimo, a quo veriſimile eſt petiiſſe Chryſoſtomum.

regionem

regionem. Luſtrat autem regiones item inhabitabiles diuino quodam fortaſſe conſilio, vt ne ſit noſtro generi ſemper infeſtus. DIDYMI. Animaduertendum eſt, non eadem loca eſſe, terram & eam, quæ ſub cœlo, cum terra ſub cœlo ſit, loca vero quæ ſub cœlo ſunt, non continuo terra ſint. Igitur terram percurrit, vt intelligas de quonam homine periturus ſit. Eam vero, quæ ſub cœlo eſt, ambulat, nequitiæ ſpiritibus, qui ſibi ad res turpiſsimas præſto ſunt, gratulans: neque vero mirandum eſt, cum ſit tenuis ſpiritus, loca quæ commemorata ſunt, peruaſiſſe, quandoquidem nec mendacij eum Deus inſimulauit. Tanto vero terrarum anfractu ac circuitione feritatem, immanitatemq́. ſuam ſceleratus teſtatur: ſiquidem inſani, & præ furore circumcurſantis ſunt illa eius verba. Alibi quoque dictum eſt, *quia aduerſarius veſter diabolus, tanquam Leo rugiens, circuit quærens quem deuoret*. Nullam enim partem capiés quietis, præliatur & circumit, amicis quidem ſubducendis, inimicis vero ad exitium poſcendis: neque enim nobis dominatur. Ac verba eius talem quamdam hoc loco ſententiam habent; Cum terrena & aeria ſubegerim, ſolus mihi Iobus aduerſatur. Ergo illius depoſcendi cauſſa venio. 1. Pet. c. 5.

Et dixit ei Dominus, intendiſti cogitatione tua contra ſeruum meum Iob?

CHRYSOSTO. Hinc perſpicimus voluiſſe Deum, vt Iobus tentaretur, vt is euam qui egregium habet athletam, de cuius virtute periculum fieri cupit, eaq́. re percunctatur diabolum, vt luctæ ipſi cauſſam aderat. Occaſionem enim Iobus ei præbere nequaquam volebat, ne ambitioſus videretur. Ac vide quemadmodum mos paulatim ſeſe diſputationis oſtendit. Verborum enim renunciatione intermiſſa, in illo, *Intendiſti cogitatione tua*, tamquam uocem quãdam proponit hiſtoriæ cogitationem. Deus igitur id largitur diabolo, ut abſq; uoce etiã cognoſcat, quãdo improbi hoſtis ſceleratũ conſilium & actionem nõ ignorat, neq; cum eidem loqueretur ac diceret; *Vnde venis?* ad improbi explorandum ſtudium id dixiſſe credendum eſt. Qui enim? cum præſens eius notitia cuncta complectatur? uerum interrogandi tropo, mores iis quæ dicuntur, affingere ſolet. Ita in Euangelijs, vbi de Cleopha mentio fit, interrogationes adhibet Dominus. *Qui nam ſunt hi ſermones, quos confertis ad inuicem*? Quis auté dicere auſit eũ, qui finxit ſigillatim corda noſtra, interrogatione egere? Eodé pertinet illud alterũ: *Quot panes habetis?* atque alibi cum ſuam reſurrectionem comprobare vellet, dixit; Luc. 24. Pſal. 32.

Luc. c.24. let,dixit; *Habetis hic aliquid,quod manducari poſsit?* Ac de Lazaro ſciſcitabatur; *Vbi poſuiſtis eum?* cum & auditum præcucurriſſet, illiusq. obitum prædixiſſet. Hanc eamdem retinens conſuetudinem *Ioan. c.11.* hoc loco cum dicit diabolo, *vnde venis? & conſideraſti ſeruum meũ?* non inſcitiæ verba prætexit, neque mens efferati aduerſarij, cuiuſmodi ſit,doceri optat. Verum illum ipſum ſuæ crudelitatis accuſatorem palam conſtituit. Sic enim natura comparatum eſt,vt a ſeipſa improbitas uulneretur.Emphaſim autem habet illud, *Cogitatione tua.* OLYMP. Nimirum peruerſa prauisq. artibus imbuta, qua ad rectas hominum mentes peruertendas ſemper abuteris. Illud vero, *intendiſti*, non magis cum interrogatione quàm cum affirmatione intelligi poteſt,ac ſi diceret;Scio uidelicet, te animum aduertiſſe.Nam ob uirtutes quæ ei inſunt,ei inuides. Crebris vero laudibus Iuſtum effert, iactatq. Deus,vt ad ineundum cum athleta certamen laceſſat aduerſarium.

Quia non eſt ſecundum ipſum, aliquis eorum qui ſunt ſuper terram.

Id eſt,nemo eadem ætate,ijſdem temporibus. Quemadmodum *Gen. c.6.* in Geneſi de Noe dictum eſt, *quia iuſtus erat in generatione ſua.*

Homo ſine querela, verus, colens Deum, abſtinens ab omni re mala.

CHRYSOST. A cunctis hominibus,omniq. terrarum orbe contemni ac deſpici, quid tãdem obfuerit,ſi is qui angelorum Dominus eſt, noſtrarũ rerũ laudator ac præco fuerit? Contra quid iuuerit, a terrarum & maris cunctis incolis prædicari de noſtris laudibus, Deo ſilente? Id igitur ipſi ſemper ſpectemus, vt de nobis prædicet Deus,id quod ſi nacti erimus, quamuis in nos uniuerſa, quę ſenſu hauriuntur, mala ſeſe effundant, cunctis tamen erimus ſuperiores. Quandoquidem Iobus,qui reſidebat in ſtercorum domicilio, qui ulcerum ſanie circumſeptus erat,e cuius corpore ſexcenti uermium fontes erumpebant, qui intolerabilia perferebat, qui ſputo à ſeruis fœdabatur, qui ab amicis, ab inimicis, ab uxore inſidijs petebatur, qui egeſtate, fame, morboq. inſanabili conflictabatur, felicitate cunctos ſuperabat. Quidni Deo illum efferente, vocesq. illas vſurpante? *Homo iuſtus, a querela & reprehenſione vacuus, verus, Deum colens.* Qui tandem non fuerit cunctis mortalibus excellentior, Deo ipſi teſtimonium dante? Quòd enim alienus a querimonia, ac reprehenſione, verusq. homo erat,

nimirum,

nimirum haud vulgarem virtutem præferebat. Huc accedit,quod ea, quæ cum hominibus tranſiguntur, iuſte; quæ uero ad pietatem erga Deum referuntur, ſtudioſe perſequebatur. Quæ quidem diabolus conſpicatus, non mediocriter admiratus eſt. Verum cur laudationis eſt hoc loco ordo commutatus? An quia ordinis uerborum non eſt certa ulla habita ratio? An quia cum primum Iobi laus inſtrueretur, pro rerum ipſarum natura atque harmonia inſtituta eſt. Primum enim, omnis homo uerus eſt, idq. ex opificij ratione; deinde ſine reprehenſione eſt,& ſine querela ex uitæ conſuetudine, atque inſtituto. Sed hoc loco propter conflictum cum diabolo,irreprehenſibilem uero præponit. Virtus enim cum uitio pugnare ſolita eſt, morumq. æquitas acutiſsimum eſt aduerſus inuidum iaculum.Ad irreprehēſibilem autē attexit verum,ut naturę & moris conſpirationem oſtendat, atque electione naturæ cohoneſtet nobilitatem.

Reſpondit autem Diabolus & dixit coram Domino.

Olymp. Hæc diaboli impudentiam peruellunt. Illud enim, coram Deo dixit, mentis illius impudentiam, ijs quę probantur Deo, uſque aduerſantis prorſus oſtendit. Deus enim iuſto uirtutis teſtimonium dabat: hic contra criminatur, quod non ob uirtutem,ſed opulentiam pietatis religione defungeretur.

C *An gratis*, inquit, *Iob colit Dominum?*

Verba profecto diaboli.non uirtutem, inquit,tibi reddit,cum te pietate colit, uerum acceptorum beneficiorum mercedem perſoluit. Mercenarius eſt, non uerus: ſiquidem is gratuito erga Deum pius eſt, qui nec ob ſupplicia, nec ob promiſſa illi ſeruit. Animaduerte etiam improbitatem: cum ea quæ dicta erant, inceſſere non poſſet, animi ſententiam inſectatur, & ad ea quæ latent, ſe idcirco refert, quia, quæ aperta & explorata ſunt, illi elabuntur. Didymi. Proprium eorum eſt qui uirtuti ſunt inimiciores, ceterorum bona minime uera eſſe exiſtimare, ſed potius per calumniam dicere; hic quidem ob ereptam ſibi nocendi poteſtatem, iuſtus eſt; ille uero frugi ac temperans propter ſtoliditatem; ille alter pecunijs, opibuſq. caret, quia ijs parandis haud eſt idoneus. Denique nemo improbus cuiuſquam uirtutem, ut legitimam ſolidamq. admittit. Basilii. Magna uis eſt horum hominum peruerſa uocabulorum commutatione ad contemnendam uirtutem abutentium; & quia uitium eſt uirtuti finitimum, ad uirtutem ipſam iniuſta accuſatione uexandam. Ita

audaci

audaci, nomen fortis impoſuit ei, qui ſtupore quodam ſenſus oppreſſus eſt temperantis; iuſto crudelis; aſtuto prudentis; magnificum etiam quaſi ſordidis uilibusq. operibus occupatum inſectātur; atq; eum qui liberalis eſt, ut prodigum; & qui rem curat familiarem, ut parcum exagitant. Formas denique uirtutis omnes e contrario uitio fabricato nomine appellare ſolent. Huius improbitatis architectus eſt diabolus, talia quædam de Iobo commentatur, cum addidit.

Nonne tu ſepſiſti quæ externa ſunt eius? & quæ intra domum ſunt eius, & omnia quæ ſunt illi in circuitu?

Qua occaſione & hypotheſi diabolus uſus ſit ad Iobo inſidiandum exponit, aiebat enim; Si qua ſeptus eſt, ope ſpoliatus fuerit, facile deiectū iri. Deus autem ad hominis gloriam illuſtrandam, atque ad diaboli ignominiam, certamen conceſſit. Scopum hunc hiſtoriæ ſcriptor collineans perſonarum loquentium inductione totius rei argumentum pertractat: nec enim ad perſuaſionem par momentum habet, ſiquid ſimpliciter enuncietur, & ad illud ipſum formata & ſcripta diligentius adhibeatur oratio. Quare genus dicendi ſimplex ad hiſtoriam accomodandum eſt. POLYCHR. Admiratur ſceleſtus diabolus Iuſti ad ſummum perductam uirtutem, ſegetem autem tantæ aduerſus Deum pietatis, bonorum affluentiam eſſe ſuſpicabatur, atque eius copiæ Deum eſſe auctorem probe nouerat; eaq. re Iobum erga Deum gratum eſſe arbitrabatur, ei pro mercede reddita pietate. Etiam nunc, inquit, mutuorum officiorum gratiam experitur. OLYMP. Quæcumque ille habet, omnia ab iniuria defendis: pace fruitur infinita; bella nec domeſtica, nec externa ſunt illi infeſta; mercedem ac præmium tulit præſentem fortunarum felicitatem; cultus ei nequaquam deeſt diuitiarum. Hinc demum ſuam ſimulatam oſtentat religionem; omnem acerbi ſenſus cauſſam ab eo Deus ſemouit; eum quaſi quodam uallo ac muro firmisſimo communiuit, periculisq. liberauit. Vide, quemadmodum non ſemel diabolus ad Iobum perdendum adortus ſit. *Nonne tu*, inquit, *cuncta eius exteriora, atque interiora circumuallaſti?* quibus uerbis, agrorum & armentorum diuitias ſignificare uolebat. Sed tamen, o ſceleſte, unde noſti Iobum ſeptum eſſe atque munitum? niſi quia ſæpius te id faciendi libido inceſſit? quod poſtea poteſtatem nactus facere non dubitaſti? nimirum tūc res illius omnes uallatas eſſe intelligebas, cum prohibebaris, ideoq. dicis. *Tu res eius muniſti undique.* Hactenus

nus enim Deus noſtra obuallat, ut diabolo haudquaquam poteſtatem facit.

Opera manuum eius benedixiſti.

Polych. Quęcumque ad agricolationem pertinent, magnopere ſuppeditant ei, copioſos fructus terra progignente, innumeras fruges præſignificante, racemos uberes in palmitibus oſtendente, exuberantis oleæ fructum præbente, atque omnem, quæ ex omni fructuum, pomorumq. genere percipitur, uoluptatem pollicente. Nempe a te iſthæc Domine proficiſcũtur, ſoli fertilitas & commoditas, cœli temperatio, ſementis exagerata copia, boum opera, ceteraq. omnia, quibus agricultura recte gubernatur.

Et pecora eius multa feciſti ſuper terram.

Chryſoſtomi. Viden Iobo diuitias Deum elargitum eſſe? Viden non contra ius illas fuiſſe adeptum? tu, inquit, circumuallaſti, tu benedixiſti, tu bona eius amplificaſti. Quantopere Iobo laborandum erat, non malis artibus partas ſibi eſſe diuitias, ſi quidem id hominibus uoluiſſet perſuadere? En diabolus, quamuis non noſſet, id illi teſtificando largitur.

Sed mitte manum tuam, & tange omnia quæ habet, ſi non in faciem te benedixerit.

Didymi. Sciendum eſt, manum Dei eſſe multiplicem. Quædam enim eſt uindex, & ultionis adminiſtra poteſtas, quæ uas iræ dicitur, de qua ſcriptum eſt, *Manus tua gentes diſperdidit.* Pſal.
Alia uero poteſtas eius eſt, quæ munit & protegit, ad quam illud 43.
pertinet; *Protexiſti me, & poſuiſti ſuper me manum tuam* igitur hoc Pſal.
Pſal. 138. loco, *Mitte manum tuam* pro illo eſt, Male illum accipe & affli- 63.
Pſal. 104. ge. *Tange* autem pro, manus inijce, poſitum eſt, illum, inquam,
Et 1. Paralipo. c. 16. attere. Huic ſimile illud eſt; *Nolite tangere chriſtos meos.* Neque enim utcumque eos uetat attingi, ſed id tantum prohibet, ne quis mala inferre hominibus ſanctis audeat. Ac uide, quàm ueteratorie, quàmq. ſimulate non dicat; Mihi permitte, ſed tu facito. Imbecillitatis enim ſuæ probe ſibi conſcius eſt, & tamen inſanit, eſtq. arrogans & contumax, quod ipſum extremæ eſt dementiæ. Tu uero mihi aliam attende improbitatem, ac diabolo dignam cæcitatem. Nam eum, qui ſolus bonus eſt, ad male agendum nititur prouocare. Chryſoſt. Facit nimia eius crudelitas, vt cuiuſdam partis fortunarum amiſſione minime contentus ſit, neque

neque quotidam liberorum orbitate eius odium ſaturetur: immo vero eum ſubito bonis omnibus penitus euertere cupit. Quare non ex parte, ſed omnino uirum iuſtum poſtulat ad ruinam, cum ait; *Tange omnia quæ habet.* Fac ut illi ſpes omnis erepta ſit, acerbitatum & dolorum ſit ſimulachrum ſingulare; namque tunc illius grati animi ſignificatio fuerit admirationi, cum tẽporum rerumq. inclinationibus haudquaquam coargui potuerit. *Si non in faciem tibi benedixerit.* Id eſt, ſi non te maledictis inceſſerit, & incitatus aduerſus te, linguę mucronem ingentis calamitatis impatiens exacuerit. CHRYSOSTOMI. Hoc enim eſt, in faciem tuam palam, impudenter, nihil reuerens. OLYMP. Ac ne ſcriptura diceret, Blaſphemabit, honeſto uſa uocabulo dixit, Benedicet. Sic in Regnorum libris de Nabutho ſcriptum eſt, *Benedixit Deum & Regem.* DIDYMI. Hoc item loco pro diris precationibus & maledictis proſequetur, benedicet a diabolo poſitum eſt, in quo uerbum adhibuit ſpecioſius, ne Deum uerbo aſperiore figere uideretur, ne ue diceret, quod ex aduerſo ſteterit coram Deo. *3. Reg. c. 22.*

Tunc dixit Dominus diabolo; Ecce omnia quæcunque ſunt ei, do in manu tua, ſed eum ne tetigeris.

OLYMP. & POLYCH. Cum futuri ignarus ſit diabolus, neque in hominum corda inſinuare ſeſe penitus poſſit, fruſtra ſibi Iuſti cladem pollicetur: eiuſmodi enim ipſius erat oratio; Si mihi res illius attingendi, & hac, qua fruitur abundantia, & gloria, ſpoliandi erit facta poteſtas; nempe ego uerborum maledictis hominem aduerſus Deum concitaro. Verum Deus, qui multo ante proſpicit, cum de Iuſti victoria minime dubitaret, ut pro ſua libidine in uirum frugi impetum faciat, diabolo largitur; illud vnum excipit, ne malo corpus afficiat. CHRYS. Ita mei, inquit, athletæ uirtuti confido, ut, quamuis ipſe dixeris; Mitte manum tuam, contra ego dicam; *In manu tua do omnia, quæcunque ſunt illi.* In manu, inquam, tua puſilla, inſatiabili. Quid ais? quid poſt teſtimonium a te dictum noua opus eſt probatione? Verum ut diaboli os, inquit, obſtruatur, ut Iuſtus fiat inſignior, ut poſteris patientiæ & ęrumnę medicamenta relinquamus. OLYMP. Ac uide. Nec dicente ſceleſto, hominem mihi concede, Magnus agonotheta, cui ſui erat uirtus athletæ perſpecta, eidem aduerſario eum condonat: ut illo ipſo, utcumque collibitum fuerit, utatur: Sed quoniam uniuerſi noſtri generis hoſtis furorem numquam expleri poſſe intelligebat, eius libidinem infinitam certis

 finibus

finibus circumſcribit. Rebus, inquit, illius tua uoluntate & arbitratu utere, ipſum uero ne attigeris. APOLLINAR. Hic quaſi nutu ſignificatur noluiſſe diabolum, ut in Iobi tantum filijs uulneris acerbitas hæreret: ſed etiam, ut ad ipſum Iuſtum permanaret: ſed quod cupiebat, non eſt auſus, niſi permittente Deo. Ex quo intelligimus nullam eſſe diabolo aduerſus nos poteſtatem, niſi ea ex occultis quibuſdam prouidentiæ rationibus, quibus noſtra gubernat Deus, permittatur. DIDY. Illud enim. *Ecce dedi omnia in manu tua* prorſus perſuadet ſine Dei permiſſu a diabolo tentari neminem. Vt autem ſciamus, ipſi etiam permisſioni ſtatui, modum addit. *Verumtamen eum ne tetigeris*. Vnde planum eſt, non fato, uel caſu, ſed Dei nutu accidere calamitates. OLYMP. Attende eius, qui certamini præeſt, ſapientiam. Nam primum externis bonis, & in quibus minus periclitabatur athletam ipſum ſpoliari ſinit, ſed ubi uictorem eum declarauit, tunc deinde aduerſus corpus certamen proponit, eumq. bono animo eſſe iubet; quæ autem illius ſunt, aduerſario tradit. Quid enim mali hinc capiat uir ad ueram philoſophiam inſtitutus, qui nullum ijs deferre ſolet honorem, quæ interitu ac riſu excipiuntur?

Et egreſſus eſt diabolus a Domino.

OLYMP. Nimirum locus eſt nullus a diuina ditione ſecluſus. Hac nihilominus ratione ſcriptura loquitur, quia a Deo impetratis poſtulatis, diabolus nihil in agendo cunctatur. Quia etiam intra eum, qui bonus eſt, nihil mali, aut ineſſe, aut admitti poteſt, quæ enim mala ſunt, extra bonum ſunt. Ergo meo quidem animo illud, *egreſſus eſt a Domino*, pro eo eſt, arrepta occaſione, impetrataq. uenia, ad illa, quæ ſibi permiſſa ſunt agenda, digreſſus eſt. DIDYMI. Quibuſdam eſt opinio, niſi extra Deum fuiſſet diabolus, contra Iobum nihil cum molliturum fuiſſe. Ac de diabolo magis proprie, quàm de Caino dicitur; *Exiuit a facie domini:* Gen. c. 4. cui par eſt, in Dei cogitatione ac mente nequaquam verſari. Diabolus autem in ijs eſt, a quibus diuina mens ſemper eſt alienata, & ſi una cum ijs qui Deo asſiſtunt, ſimulate inſolenterq. uenire dicitur. Cum ergo dicit, ueniſſe diabolum, negocij occaſionem, aggresſionemq. ſignificat. Quando autem egreſſus eſt a facie Domini, diuinum permiſſum exponit, & quam a Deo contra Iuſtum acceperit poteſtatem. Vti etiam illud; *Egreſſus eſt autem Cain a facie Dei*, id eſt a mandati diuini ſanctione, quę de Caino erat accepta. Hinc docemur diabolum ad hoſtiles inſidias, quas homini

ſtruit,

ſtruit, conuerſum egredi a Domino: Quod item ipſum de Iſcario-
Ioan. ta dictum eſt, cum proditionem meditaretur; *Egreſſus eſt Iudas,*
13. *Erat autem nox*: nec ea nox tantum, quæ in ſenſus incurrit, ſed
etiam illa, quę menti tenebras obducit, uidelicet tum nocte ijs
malorum circumfuſus erat, cum ſeſe a luce auertit.

Et erat ſicut dies hæc.

Olymp. Vt ſi dixiſſet, dies aduenit, qua theatrum apertum
eſt, ac certamen initum, atque ad luctationem athleta deſcendit.
Illud quoque conſidera, quemadmodum uno die in unum malo-
rum, acerbitatumq. omnium aceruum diabolus Iobum coniece-
rit, ut eum ad amentiam, ad indignationem, & ad congerenda
in Deum maledicta inflammaret. Id enim ſibi pollicebatur, cum
diceret *ſi non in faciem te benedixerit*. Chrysos. Vt igitur ſcriptor
doceret, quantas machinatus ſit inſidias, eo uerborum genere tē-
pus expoſuit. Nondum enim meridies erat, cum pręliandi fa-
ctum eſt initium. Didymi. Conſecutionis ratio petebat, ut
diei, ut filiorum conſeſſus meminiſſet, ut illorum interitui fides nō
deeſſet: ſiquidē una die una ædium ruina derepente extincti ſunt.

Et filij Iob, & filiæ eius bibebant uinum in domo fratris ſenioris.

Polych. Quamobrem in mentionem filiorum conuiuij inci-
dit, cum mox de bobus abactis dicere pararet? An ut ſubitam re-
rum omnium iacturam, & inſperatum atq; improuiſum malum,
unoq. die cunctarum ærumnarum tragœdiam excitatam eſſe in-
dicaret? rationem item exponeret, quemadmodum poteſtate ac-
cepta, rem ipſam tranſegerit diabolus? Itaque cum dies pugnæ
& congreſſus inſtaret, filij quidem una epulabantur, nullius gra-
uioris mali territi expectatione: quod ſane certe ad repentinam
illorum extinctionem diabolo, qui eoſdem omnes ſociatos inue-
nit, cecidit perquam commode; quandoquidem militari aſtu cer-
tam euentus ijs ſcientiam ademit.

Et ecce nuncius uenit ad Iob, & dixit ei. Iuga boum arabant, & aſinæ feminæ paſcebantur iuxta ipſos, & uenientes captiuantes captiuauerunt ea, & pueros interfecerunt in gladijs: ſaluatus autem ego ſolus ueni nunciare tibi.

OLYMP. Potuit diabolus a Deo poteſtate data & inimicorum animos irritare, & ignem e cœlo deducere, ac calamitatum ſolos nuncios ſeruare, & uentum angelicis uiribus, quas a primo ortu a Deo acceperat, utens ad diſturbandas ædes impellere. Poterat etiam omnia hęc ementiri, & falſa quadam effigie conformare, ut & ſui ſatellites prædantium inimicorum adſpectum opinionemq. præberent, & quaſi homines calamitatum nuncios adferrent, & tamquam ueri ignis e cœlo ruentis forma cerneretur, ac uenti domum euertentis quaſi uera ſpecies uideretur: etenim in angelum lucis transfiguratur, atque ad eam rem ab opifice nactus eſt poteſtatem. Siue igitur hac, ſiue illa ratione pugnauerit, profecto acerbe, aſtute, ac flagitioſe conflixit. Par autem eſt cognoſcere, quos nuncios ſe dignos diabolus, & quàm improbo artificio, ut grauiora ſemper nunciarent, inſtruxerit. Vt enim Iobi animus permoueretur, non ſimpliciter dicunt, *Iuga boum*, ſed addunt, *arabant*, id eſt, quæſtum ex ijs quæ terra reddit, faciebant: neque dixit, aſini, ſed, *aſinæ fœminæ*, e quibus fœtus & propagatio. Ad hæc mulorum amisſione expoſita, ſeruorum, qui armentis præpoſiti erant, cædẽ addunt, ad uulneris acerbitatẽ. CHRYSOSTO. Cum rerum amisſione cædes miſcetur, ut maior hoſtium immanitas uideatur: mira enim crudelitas atque inhumanitas eſt, duplex hæc calamitas abductionis & cædis. Nam eius cuius uitæ pepercerunt, ſeruata ſalus, malorum extitit additamentum. Idcirco enim ſeruatus eſt, ne malorum tempeſtatem Iobus ignoraret. OLYMP. Non humanitate aduerſarij ſeruatus eſt is, qui hæc nunciaret, ſed eo ut triſtium rerum dumtaxat, nuncius exiſteret: fortaſſe; etiam agreſtis & ferus aliquis homo erat, qui nuncios huiuſmodi perferebat, aut etiam ipſe dęmon nunciorum perſonam ac formam potuit præſeferre. CHRYSO. Vidiſti, quàm celere & improuiſum uulnus, quàm nouum, quàm inuſitatum? Is qui rebus omnibus circumfluebat, qui nihil mali fuerat antea expertus, continuo rerum omnium poſſesſione priuatur, neq; ei quidquam ad ægritudinem leniendam reliquum eſt. Nam qui relinquitur nuncius, ad tragœdiæ ſolum narrationem relinquitur. DIDYMI. Prorſus animaduertendum eſt, quemadmodum quæ repente contigerunt, uel ex ipſa renunciatione pondus, atque ad ſummam animi moleſtiam uim habeant. Verum, etſi propter ſubitum caſum perturbare Iobi mentem hæc ipſa poterant, nequaquam tamen Iuſtum permouerunt. Namque pſalmus quidam de homine iuſto his uerbis loquitur, *Ab auditione mala*

Pſal. *mala non timebit*. POLYCHR. Pro eo, *venerunt qui captiuauerunt*.
111. *Inciderunt Sabatæ*, codex habet hebraicus; Sarraceni uidelicet. Illud uero alterum, *Seruatus ſum ego ſolus & veni nunciare tibi*, in hebræo eſt, *vt nunciarem tibi tantum*. Mens autem diaboli ex ijs, quæ dicta ſunt, illuſtrior apparet. Siue enim ille ipſe, qui aderat, nuncij habitum ementitus fuerit, ſiue de ſeruis quempiam ſeruauerit, certum eſt, ad augendum dolorem, rei euentum ab illo crudeliter fabricatum fuiſſe.

Adhuc hoc loquente, venit alius nuncius, & dixit ad Iob, Ignis cecidit de cœlo, & cremauit oues, & paſtores deuorauit ſimiliter, & ſeruatus ego ſolus veni nunciare tibi.

OLYMP. Vbi primo audito nuncio, non ſolum Iuſti animus conſternatus non eſt, uerum etiam tulit æquiſsime, atque imminentis aduerſarij impetum propulſauit; confeſtim alius quidam diaboli ſatelles ſeſe proripit, dicitq. non amplius ſibi ab hominibus bellum inferri, uerum oues ac paſtores de cœlo tactos eſſe, ut minime dubitari poſſit, uel Deum ipſum, quem ueneratur, ei eſſe infenſum. POLYCHRO. Ignem e cœlo delapſum eſſe commentus eſt diabolus, ut non cum hominibus ſolum, uerum etiam cum Deo, quem colebat, bellum ſibi eſſe arbitraretur, eaq. ratione Iuſto ſpem omnem præſidij eriperet, atque in laqueos eundem deſperationis indueret. CHRYS. Penituit diabolum primi nuncij, quod minus recte res geſtas expoſuerit. Male, inquit, iaculatus ſum; haudquaquam collineaui; ſagitta prorſus aberrauit. Ab hominibus aſinas & boues abactos eſſe dixi. Poteſt ita ſecum ipſe Iobus ratiocinari: Homines iniuria me affecerũt, Deo ne poſſim iſthæc aſcribere? Ergo ut eius cogitatio ab hominibus ad Deum traducatur, ait, *Ignis decidit e cælo*. Aquila autem & Teodotio, *Ignis Dei* dixerunt: hoſtes iam cauſſari non potes, quaſi illi e ſupernis locis ignem proiecerint. Inflige contumeliam ei, qui tibi iniuriam intulit, eum qui te oppugnauit, maledictis inceſſe: cur illi ſeruis? cur eum adoras, qui tuas opes euertit? noli putare ab hominibus tibi infligi uulnera, cum audis *capta. abduxerunt*. E ſupernis regionibus, atque adeo e cœlo facit tibi bellum Deus. Id uero certo eſt argumento, quod ignis e cœlo demiſſus oues conſumpſit. Vide quanta diaboli ſit potentia, quantaq. uis. Quemadmodum tot nationes concitarit, ſeu

etiam in dæmones hoſtium formam habitumq. contulerit, quantâ hæc omnia facilitate adminiſtrarit, conſidera. Ignem vero illum, quo conſumptæ ſunt oues, ne credas verum eſſe ignem (illius enim fabricandi caret poteſtate) ſed nimirum quicquid illud fuit, quo deflagrarunt vniuerſa, ignis ſpeciem oſtentabat. Quod ſi verus exitit ignis, ex eo, qui in rerum natura reperitur, ſumptum commouit, idq. Deo minime repugnante. DIDYMI. Nec enim poterat diabolus ignem e cęlo deducere. Quamuis enim ſanctus dogmata veritatis pernoſſet, nec de tentationibus, quin Dei permiſſu inciderent, quicquam dubitaret; tamen ob eam rem vehementisſime angebatur, quòd in eo ipſo, quod ſibi accidiſſet, offenderentur, ideo quod Deum in ipſum irruiſſe arbitrarentur. Etenim quod prædantes aduerſarij pecus abegiſſent, quod pueros interfeciſſent, id non a Deo, ſed ab hoſtibus hoſtiliter inuadentibus, & per odium illa perturbare molientibus factum eſſe, ij, qui minus intelligerent, credere poterant. At vbi ignem nunciatum eſt a Deo delapſum eſſe, ſane periculum imbecillis mentibus creabatur, ne forte crederent nihil eſſe in ipſa uirtute admirabile, quando is, qui virtutem erat adeptus, uſque eo a Deo cruciabatur. Sed tamē neque hoc euentum Sancti animum, qui in Dei contemplatione totus hæreret, potuit permouere. Neque enim ea eſt poteſtas permiſſa diabolo, vt ignem deducat e cœlo. Verum iudicio id diuino perfectum eſt, vt is, qui aduerſus Iobum poteſtatem diabolo fecerat, ipſi illi diabolo perſuaderet, licet is multas machinas adhiberet, nihil tamen in rebus humanis reperiri, de quo Beatus nimio opere laboraret.

Adhuc hoc loquente, venit alius nuncius, & dixit ad Iob, Equites fecerunt nobis tria capita, & circumdederunt camelos, & captiuauerunt eos: & ſaluatus ſum ego ſolus, & ueni, vt annunciarem tibi.

POLYCHRO. *Etiam hoc loquente*, vt nullum a laboribus luctatori daret reſpirandi ſpatium, ſumma crudelitate ignem finxit e cœlo deferri, vt non ab hominibus, ſed a Deo putaret ſe oppugnari, quem Iobus ſtudioſe uenerabatur. Et hoc item loco, cum dicitur. *Adhuc hoc loquente*, intelligimus, quid diabolus egerit, ut Iobum aſſiduis nuncijs perturbaret, & moleſtijs, atque ægritudinibus tamquam numquam intermittentibus fluctibus obrueret. OLYMP. Belli narratio erat huiuſmodi, tam Deo quàm hominibus

nibus contra illum bellum eſſe ſuſceptũ. Illud autem κεφαλὰς τρεῖς huic par eſt; Triplici aduerſarij inſtructa acie, tribusq. ducibus creatis, irruptionem fecerunt. Sic enim Aquila expoſuit. Chaldæi diſpoſuerunt contra nos tres præfecturas, additq. narrationi ſolum calamitatis nuncium fuiſſe ſeruatum: nec uero de interfectis ſilet hominibus, quorum nece uiri probi magnopere mærent. DIDYMI. De puerorum nece audire, idq. conſtanti animo ferre, ſcilicet ea res iuſti uirtutem animiq. robur inuictum teſtatur. [a] Atque iſthæc omnia Iobi filijs imprudentibus, nihilq. ſcientibus ſimul geſta eſſe, illud plane perſuadet, quod ſcriptura confirmat, apud fratrem natu maiorem illos prandiſſe.[a] Magnam uim hæc habent ad eorum mentes conturbandas, & ſtupore conſternandas, qui perpetuas rerum humanarum conuerſiones minime meditantur; qui bona adnituntur tueri ſua: quorum moleſtior ſolet eſſe poſſeſſio, quàm ijs antea caruiſſe. Iam enim nonnulli, in quos ſubitus caſus incurrit, ſanæ mentis periculum adeunt, atque eos ita fregit ærumna, vt quæ odio atque exilio digna ſunt, adamarint: ſtatus enim nunquam tentata tranquillitas eorum metitur infortunium. Etenim qui peculio, bonorumq. poſſeſſione caruit, triſtitiam experiri non poteſt. Verum is experientia doctus eſt, qui ante amiſsionem bonorũ, euentus acerbitatem pertimuit; poſt amiſsionem vero acutis doloribus vulneratur; ſiquidem pacatus rerum ſtatus frænis cohiberi nequit, & mens, quæ doctore & pædagogo caret, miſerrimis lamentis contabeſcit. Talis nequaquam fuit inſignis Iobus, illud inquam eximium tolerantiæ conſtantiæq. peculium, ſumma illa fortitudinis abſolutio, ille pietatis dux, illud ſingulare ſpecimen philoſophiæ, qui & in ſecundis rebus modeſtus, & in aduerſis fuit inuictus. Nam philoſophiam, quam prius perdidicerat, quæ deinde conſecuta ſunt vulnera, minime refutarunt. Qui enim homini diuinarum rerum diſciplina exculto, atque ad pietatem antea inſtituto intolerabilis ærumna illa videri potuerit? Cum enim didiciſſet diuitias habendas eſſe communes, in egentium ſumptus illas conferebat, neque earumdem iacturam reformidabat. Quare nec ſpoliatus diſcruciatur. Quin etiam mali uis, noua ſeges ac materies eſt philoſophiæ. Vitæ autem ſplendidæ cum modeſtiæ frænum inieciſſet, triſtibus euentibus haud ſuccubuit, ut qui diuinis præſidijs ſeptus erat. Etenim vtrumque ſtatum philoſophia nouit moderari: ita nec magnificentia abuſus eſt ad iniuriam, (Philoſophiæ enim opes ſibi parabat) neque ærumnarum procella

a Primã huius expoſitionis partẽ comprobat Olympiodorus in Cat. Pincli, his uerbis. Perſpicuum eſt hæc ſingula imprudentibus, nec ſcientibus filiis contigiſſe: Namq; apud fratrem natu maiorem illos prandere antea ſignificauit ſcriptura.

procella obrutus eſt. Nam uirtutem animi, ac robur exercebat. Ita malorum perpeſsio, & ſenſus uia fuit illi ad ſalutem, latuitq. hoc aduerſarium, cum non uidit, tunc ſe Iobo uiam muniuiſſe ad bonorum poſſeſsionem, cum eadē ipſa ei eripiebat. Quare & coniux inſidioſa obiurgatur, & liberùm interitus pietatem minime labefactat, & ignis ruens e cœlo de ſuo ſtatu mentem non deturbat: nam Dei beneficio ſeruabatur incolumis. Frequentes item nuncij, nec interruptæ malorum narrationes, & qui vndique exaudiebantur plangores, conſtantem animum non dimouebant. Nam qui Deo utitur familiariter, harum rerum mortalium cura non angitur; tantoq. propius ad ſuperna & fixa bona accedit, quanto ab his caducis abeſt lōgius. Nequitiæ enim ſpiritus, & concitati fluctus iuſtæ menti nocere non poſſunt, præſertim cum eius cuſtos ſit Deus, qui modū ſtatuit calamitati: qui licet ea, quæ menti obſequuntur, diabolo dedat, ad moderationis, uirtutisq. ſpecimen; mentem tamen, qua manus conſeritur, reportanturq. trophęa, ipſe tuetur ac ſeruat.

D *Hoc adhuc loquente, alius nuncius venit dicens Iob; filijs tuis, & filiabus tuis comedentibus & bibentibus apud fratrem ſuum ſeniorem, ſubito ſpiritus uehemens irruit e deſerto, & tetigit quattuor angulos domus, & cecidit domus ſuper filios tuos, & mortui ſunt: ſeruatus autem ſum ego ſolus, et ueni, ut nunciarem tibi.*

IVLII. Hæc cum permiſcet diabolus, eam perſuaſionem nititur Iobo admouere, ut rerum uniuerſitatem in ſeipſum incitatam eſſe ſuſpicetur, atq; ea ratione eū a recto ſenſu alienet. Ventus enim uenit, inquit, non ut ſolet, ab ortu, occaſuue, ſed quattuor partes complexus in domum incubuit, ut non iam amplius manus ſit hæc hominū, uerum a ſuperis contorta ſpicula. OLYMP. Hic etiam diaboli atrocitatem cognoſce, quam ipſam callidū narrationis artificium non obſcure declarat. Germanæ prolis præcipue meminit, ut Iuſti naturam exulceraret. Neque enim dixit, ſupra omnes, qui intus erant, cecidit, interfectorumq. omninm ſepulchrum unum domus effecta eſt, atque ex eorum ruina ſolus ipſe ſeruatus ſum: ſed magis proprie memoriam ei naturæ adferens, ac luculentas ei plagas infligens dixit, *Cecidit ſuper filios tuos*. Conuiuium uero exornat, cum illius ſtructorem fratrem natu

tu

tu maiorem fuiſſe confirmat. Porro liberos hilares, ac ludibundos fuiſſe. Ventum autem e deſerta regione repente commotum eſſe, ceteras ædes non attigiſſe; ſolam eam, ubi epulabantur filij, euerſam eſſe. CHRYS. Illius uero ruina ſic liberos obrutos eſſe, ut quod cuiusque corpus eſſet ſepulturæ mandandum, internoſci non poſſet. Addidit, *Comedentibus & bibentibus*, id eſt, in ipſo lætitiæ articulo. DIDYMI. Ad uim acrioris doloris id molitur diabolus, ut rerum, quæ conſecutæ ſunt, atrox narratio dolorem luſto afferat incredibilem. Nam accumbentibus filijs, ea res accidit. Quod ſi Iobus caſum prouidere potuiſſet, minus angeretur. In eo uero aduerbio, *ſubito*, uis quædam ineſt, ita rés corrigit, ut nemini facultas data ſit euadendi. OLYMP. Rurſus a Deo immiſſam calamitatem comminiſcitur. Cum enim aduerſariorum incurſionem duplicem inſtruxiſſet, duplicem item Deo oppugnationem affingit, ignis, ac uenti. Necem autem filiorum poſtremam reſeruauit, ac præter opinionem nuncio ſalutem dedit, ut ad deſperationem, ad ſtuporem mentis, & ad obtrectandum Deo Iuſti animum ſollicitaret. CHRYSOSTOMI. Omnia pertentarat diabolus, &c. quem bonorum poſſeſſione ſpoliauerat, uirtute ſpoliare nullomodo potuit: gradum nunc facit ad naturam; palmites a radice auellit; ui fructum decerpit, ut procreatori ac parenti doleat. Ac uide quàm ſit ironia reſperſa narratio, atque adeo præſtigijs, fallacijsq. referta; ut quæ uirtute & nobilitate inſignem etiam uirum conuellere poſſit. *Venit* inquit *uentus e deſerto*. In quo etiam nunc iudicem cauſſatur. Ventus enim non hominibus, ſed Deo obſecundat: neque dixit, Domus in eos, qui intus erant, cecidit; uerum id, quod ad eliciendum dolorem ualebat, nunciat, *ſuper filios*, inquit, *tuos*, ut cum audit de liberis, eius animus miſeratione permoueatur, communisq. mali ſenſum ſuſcipiat, lugubresq. has uoces mittat; Heu me infelicem; e turba filiorum in orbitatem recidi: præſtabat non ſuſcepiſſe filios, quàm hac condicione ſuſcepiſſe, ut amiſſæ rei iacturam ſenſumq. acciperem. Vt ſuperior pax, tranquillitas atque felicitas atrociorem efficeret calamitatem. Illud enim, *ſeruatus ſum ipſe ſolus*, in alijs quidem quidpiam fortaſſe ualeat ad obtundendam animi ægritudinem; hic autem augeat multo magis. Quandoquidem decedentibus liberis, ſolus, qui nuncium adferret, ſuperauit. Quocirca diabolus uidetur mihi harum rerum nuncius excitiſſe, idemq. malorum auctor & architectus formas varias indutus adijſſe, artificioſasq. narrationes pertexiſſe.

Ita

Ita uentitate non deſinit, loquitur aſperius, & pericula, quę maiorem habent accerbitatem, reſeruat ad extremum, ut uis mentis malis leuioribus prius debilitata, maiorum deinceps impetum ſuſtinere non poſſit. Seruorum autem fuiſſe neminem, qui illa nunciaret, uel hinc intelligi poteſt. Nam qua tandem ratione domus quattuor eius latera uento conquaſſante, vnum ſeruare potuerit? Qui tandem ſingulis calamitatibus vnus dumtaxat, quaſi eodem caſu opprimi nequiuerit, ſemper ſuperſtes fuit? Sed nimirum idem eorum quæ fiebant auctor fuit, ac nuncius. Cum enim nemo repeliatur immanior, earum rerum negocium dare alijs verebatur. Et cum nihil non immoderate cogitatione machinetur (quippe qui maxime ad improbitatem & ſcelus eruditus eſt) uaria vulnera meditatur, ut mentis propugnacula atque munitiones incurſionibus paullatim labefactet. Et quemadmodum ad circumueniendum, repellendumq. aduerſarium, ad mœnia quis machinas commolitur, ut multiplici inſidiandi genere ſurripiat ſecuritatem; ſic is, qui noſtræ ſaluti inuidet, ordine quodam, cum tamen nihil apud eum non ſit inordinatum & impium, turri pietatis periculorum machinas admouet. POLYCHRO. Quid fuit tādem, cur in liberum interitu, nō hoſtium manum cōminiſceretur? Nempe ut irruptione ciuitas uniuerſa ne perturbaretur. Nam in Iobum tantum, non item in ceteros poteſtas illi erat. ORIGENIS. Igitur camelos in equitum poteſtatem redegit, aſinos; ac iuga boum ijs, qui abduxerunt, addixit; oues inflammatus odio, incendio interemit; filijs quoque cum compararet inſidias, faciendæ necis opportunitatem obſeruabat. Eos ſi offendiſſet legentes, & domum non attigiſſet, & ad interficiendum locus defuiſſet: ſi precantes, nihil contra eos efficere potuiſſet. Verum, cum ei fuit oblata occaſio, tunc demum potuit, ſed quale tempus fuit illi opportunum, qualisue opportunitas? Potus erat, conuiuium erat. Ex eo uero quod quattuor domus angulos uentus contigit, diſce in angulis platearum hypocritas ad orandum conſiſtere: Sed & unuſquiſque, qui haud recta incedit uia, angulis utitur: Latus uero angulus eſt uehemens, atque effuſa improbitas.

Cum ſic audiſſet Iob, ſurgens diſcidit ueſtes ſuas, & totondit comam capitis ſui.

OLYMPIODO. Sane credibile eſt ob ſuperiores narrationes eum in tacita cogitatione uerſantem, rerum euentus admiratum fuiſſe.

fuiſſe. Vbi uero de tantæ, ac tam ſpecioſæ ſobolis ſubito audiuit interitu, ne doloris, communiſue ſenſus expers uideretur, quod debetur naturæ largitur; ueſtemq. diſcindit, ac comam ad ſpeciem luctus tondet. Neque enim uictoria quis idcirco potitur, quia non patitur; ſed ideo, quia cum patitur, animo perfert inuicto. Chrysos.[a] Quod ueſte diſciderit, comamq. totonderit, haud mireris. Pater enim erat, ac pater liberorum amans; naturæq. condoleſcentis ſenſus oſtendendus erat, animi quoque philoſophia minime occultanda. Niſi enim illud feciſſet, ſuſpicatus forſitan quiſpiam eſſet, eius philoſophiam a communi ſenſu humanitatis abhorrere. Ita eodem tempore decuit, & naturæ uiſcera, & philoſophiæ præſtantiam indicari, & eius animum ob uim doloris ad nullam peruerſitatem, prauitatemq. deferri. Basilii. Quæ illum conflictarunt ærumnæ, nequaquam hominem frugi in eiuſmodi ratiocinationem, orationemq. inducere potuerunt, ut diceret; Vide ut nulla rebus noſtris conſulat prouidentia. Summi Imperatoris iudicium, ordiniſq. deſcriptionem nullo pacto accuſat: uerum ſingulas pugnas ſtrenue, acriterq. pugnauit, multiſq. a diabolo appetitus ſagittis, nullam tamen luculentam plagam accepit. Nimirum eum domeſticorum felicitate ſpoliauit, crebris malorum rumoribus, ac nuncijs illum obruere per inſidias conatus eſt. Nam priori nuncio calamitatem narranti, poſterior interueniebat, qui acerbiorum rerum ægritudinem, mœrorem q. adferebat; calamitas e calamitate erat apta; atque ærumnæ vndarum concurſionem imitabantur; nec dum prior lachryma deſederat, cum recentis cauſſa adferebatur. Iuſtus autem quaſi ſcopulus conſiſtebat, ac uim tempeſtatis excipiens, fluctuum violentam incurſionem redigebat in ſpumam; nihilq. eorum, quæ contigerunt, dignum lachrymis exiſtimauit. Poſtquam uero nuncius venit, qui diceret in conuiuantes filios & filias uiolento flatu conuiuij domicilium irruiſſe, tunc communi ſenſu naturæ patefacto, veſtem conſcidit, ut ea re propenſæ voluntatis ſuæ erga liberos ſignificationem daret. Chrys. Caue putes Iobum ſuperatum eſſe, quia id feciſſe dicitur: Immo uero hoc ipſum factũ illius comprobat uictoriam. Niſi enim illud feciſſet, dixiſſet quiſpiam malorum ſenſum omnem ei Deum plane eripuiſſe; nũc autem dolens ac mærens philoſohpatur, uereque ſuam ipſe animam ſupra petram ædificarat. Deſcendit enim imber; ignis enim, inquit, cecedit e cœlo, & deuorauit omnes greges ouium; Venerunt fluuij crebri, aſſidui, nec

a Vide eiuſdẽ Chryſoſtomi hom. 28. in priorem epiſt. ad Corinth.

ex

ex interuallo nuncij calamitatum, vnus ouium, alter camelorum, alius filiorum amiſſionem exponens: flauerunt venti, dira coniugis verba, Dic, inquit, uerbum contra Dominum, & morere: nec tamen cecidit domus, neque deiectus eſt animus, neque eius in Deum oratio fuit iniurioſa; ſed multo maxime cum gratiarum actione coniuncta. Licet oppugnationis dux facinoroſus foret diabolus, qui & cum noſtra natura in gratiam redire numquam potuit, & implacabile atque inexpiabile contra nos bellum ſuſcepit; qui non modo Iobo offenſus erat & iratus, uerum etiam omnes machinas fallendiq. artes adhibebat: uerum neque hac ratione Iuſti uirtutem refellit. Hic potius uir egregius illius iacula per irriſionem eluſit, ac uim belli acerrimi mira uirtute excepit, idq. ante ueteris teſtamenti & gratiæ tempora. Id etiam planum fecit, prolapſionis cauſſam, non in tentationum naturam, ſed in deſidioſorum hominum torporem eſſe referendam; quandoquidem ærumna magnum ac maius robur ſolet adferre. *Tribulatio enim*, inquit, *patientiam operatur*. Quemadmodum enim firmiores arbores, quamuis in eas magno impetu uenti incurrant, & perflent, eas undique non poſſunt tamen euellere; quin etiã eiuſmodi incurſionibus vehementius corroborantur: ita animam ſanctimonia, & pietate inſignem immiſſæ malorum tempeſtates non ſolum non euertunt, uerum etiam ad maiorem perpeſsionem incitant; cum nihil uirtuti hominis posſint obeſſe. Sed quæ tandem hominis eſt uirtus? Profecto non pecuniæ & opes; ne forte egeſtatem uereare: non corporis ualetudo; ne morbum pertimeſcas: non vulgi opinio; ne infamia terreare: non fortuito, ſolutoq. animo uiuere; ne mors tibi horribilis uideatur: nõ libertas; ne fugias ſeruitutem. Verum ea demum hominis uirtus eſt, quę in uerorum dogmatum incorrupta diſciplina, atque in recta uiuendi ratione conſiſtit. Hanc prædari diabolus numquam poterit, ſi poſſeſſor eam, qua debet diligentia, cuſtodierit, neque eius præſtantiæ, & cuiuſmodi ſit, ignarus eſt immanisſimus & improbisſimus dæmon. Ideo opum poſſesſiones Iobo eripiebat, non tam, ut ad inopiam hominem redigeret, quàm ut in Deum maledictum iacere cogeretur: & corpus concidebat, non ut morbi calamitate vexaret; ſed ut uirtutem animi conuelleret. Sed tamen, cum omnes machinas comparatit, & (quod nobis maxime horrificum iudicatur) e locuplete egentem fecerit, & a liberorum multitudine ad orbitatem deduxerit; & tortorum, qui Iudicum tribunalia circunſtant, immanitate ſuperata, crudeliter Iuſti corpus

Rom. c. 5.

pus omne dilaniatit; (Neque enim ij ſuis illis vngulis ita reorum latera perfodiunt, ut ille Iobi corpus, unde tamquam ex oſtijs uermes erumpebant, dilacerauit) & cum ei infamiæ, ac turpitudinis notam inuſſerit, præſertim coram dicentibus amicis; Nequaquam pares peccatis pœnas luiſti, atque alia in eundem accuſatoria uerba conferentibus. Quamuis deniq. homini ſua urbe & domo eiecto nullam aliam ciuitatem attribuerit, ſed ſtercorum, ſordiumq. domicilium pro ciuitate & domo ei conſtituerit; nihilominus non modo homini frugi nullo damno maloue fuit, uerum etiam ex ijs ipſis, quæ in eum per inſidias moliebatur, eum magnopere illuſtrauit, & cum tãtorum bonorum poſſeſsione eum deturbarit, non ſolum bonis non ſpoliauit; uerum etiam multo vberiores uirtutis opes illi conflauit. Nam uehementioribus contentionibus eruditus, atque exercitatus, audacior poſtea fuit, atque paratior. Quod ſi is, qui eſt tam multa perpeſſus, nulla re tamen læſus eſt, quamuis ei non ab hominibus, ſed ab eo, qui cunctis hominibus improbior eſt, malorum perpesſio fabricaretur: cui in poſterum defenſionis locus posſit eſſe relictus, cum huiuſmodi uerba uſurparit. Hic, aut ille me iniuria, detrimentoq. affecit? Si enim diabolus, qui ſcelere eſt cumulatus, omni cõparato inſtrumẽto, cunctis emisſis ſagittis, atque uniuerſis malis mortalium mirandum in modum in Iuſti domo, corporeq. expromptis, uirum hunc nulla re tamen uiolauit, ſed potius, ut iam dixi, adiuuit; quis acceptam offenſionem non ſibi magis, quàm cuiuis alij adſcribat? Sed quiſpiam dixerit; qui fieri posſit, ut ipſe ſibi offenſionis ac mali auctor ſit, cum ab alio flagris cæſus, aut bonis ſpoliatus, aut quapiam alia iniuria uiolatus, uerbum aliquod contumelioſe dixerit? Scilicet hic læſus eſt, uehementerq. læſus, neque ab eo, qui fecit iniuriam, ſed a mentis ſuæ tenuitate & deiectione læſus. Quod enim ante dixi, nunc iterabo. Nullus mortalium, etiam nequisſimus, alteri grauiora atque acerbiora mala obiecerit, quàm funeſtus ille & exitioſus dæmon ſoleat, & qui ſempiternas nobiſcum gerit inimicitias, diabolus: ſed tamen hic ipſe importunus dæmon hominem, qui legis, gratiæq. temporibus anteceſſit, licet in eum undique tela iaceret, euertere, aut deijcere nequaquam potuit. OLYMP. Quod ſi tunicam dilacerauit, cæſariemq. circumcidit, non propterea affectum ſapientis uirtute alienum ſuſcepit. Nam eundem ipſum Paulus his uerbis

Act. in Actis præ ſe tulit; *Quid fletis, affligentes cor meum?* Eundem

c.12. Dauid oſtendit, cum non unum aliquem de obtemperantibus liberis.

beris, ſed eum, qui illi fuit armis infeſtiſſimus eiularet, acerbiſq. luctibus atque ſuſpirijs proſequeretur, diceretq. *Fili mi Abſalon, fili mi.* Luget quoque ob cõmunis doloris ſenſum Saluator noſter, ſiue cauſſa Lazari, ſiue, ut uerius dicam, propter Iudæorum exitium. Ergo Iobus quoque, ne communem ſenſum exuiſſe uideretur (id quod eſt a natura atque uirtute ſeiunctum) naturæ ſatisfacit, ac mœrens comam radit. Nam quibus comam nutrire decorum erat, in ſordibus ac luctibus ijdem radebantur. Contra, quibus rondeⅰ honeſtum ducebatur, ij cum in ſqualore, luctuq. iacerent, comam nutriebant, & capilli pondus ſuſtinebant. Itemq. ueſtem concerpit, quæ priſcis illis hominibus luctus erat ſignificatio. Dixerit uero aliquis, qui concinnius hæc ipſa uolet interpretari, quaſi athletam quendam nudatum ad luctam, in diaboli conſpectum ueſtem proieciſſe. NILI.[a] Neque enim amicti luctari homines conſueuerunt. Verum illos nudos in ſtadium lex certaminis deducit. Ac ſi quis nudari recuſat, idem certamen recuſat. Nam qui nudus eſt, aut uix, aut nullo etiam pacto per inſidias comprehendi poteſt. Ideoq Ioſephus ille pudicitiæ athleta, uoluptati illum tenere conanti, res, quæ habent commercium cum corpore, tãquam indumenta relinquens, foras egreſſus profugit: in quo principem hominem imitatus eſt, qui nudus cum uirtute in paradiſo uerſabatur, qui nuditatem a Deo tamquam eximium decus acceptam tantiſper cuſtodiuit, dum uiolati pœna præcepti, ueſtimentorum illi neceſſitatem impoſuit. Nam quandiu cum aduerſarijs ad diuinam legem perfringendam illum adhortantibus conflixit, nudus quaſi athleta in ludorum cauea conſiſtebat; ubi autem uictus eſt, atque a certamine repulſus, merito indutus eſt, cum certandi uirtute nuditate quoque reiecta. Ita Prouerbiorum auctor, ludi certaminiſq. magiſtro præcipit, *detrahe ueſtimenta eius, prodijt enim.* Nam quamdiu extra ſtadium erat, recte ueſtibus uſus eſt, certandiq. uirtutem ſenſuum veſtibus texit. Poſtquam uero in arenam deſcendit, detrahe, inquit, ueſtimentum eius. Nudum enim, vel potius vnctum certamen inire oportet. Nam nudatum eſſe hoc certanti præſtat, ut ab aduerſario comprehendi non poſſit; oleum uero, vt ſi forte comprehenſus fuerit aliquando, e manibus facile elabatur. Quamobrem, qui luctantur, luctantes aduerſarios puluere perſpergere nituntur, ut olei læuitate a pulueris aſperitate ſuperata, eoſdem comprehendere facilius poſſint. Quod igitur illic eſt puluis, hoc item in noſtro certamine res ſunt terrenæ; & quod illic eſt oleum, hoc eſt in noſtra lucta

Marginal notes: 2. Reg. c. 18. — c. 27. Prou.

a *Ad eandem luctandi rationem, de qua hoc loco Nilus, nos inſtituit D. Grego. hom. 16. in Mat. Vt ipſi nudi cum nudis Dæmonibus luctemur.*

lucta anxiarum curarum vacuitas: & ſicut illic qui eſt delibutus, uincla, & qui ab ijs uocantur, nexus, perfacile diſſoluit; quòd ſi puluerem admiſerit, aduerſarij manus niſi ægre euadere non poſſit; ſic in noſtra contentione, qui eſt animo a curis uacuo, is haud facile a diabolo captatur. Qui uero curis, & ſollicitudinibus angitur, mentis ſuauitate & tranquillitate, quaſi olei læuitate ob pulueris aſperitatem amiſſa, ægre diaboli uitat manus. Iobus autem, qui humanis rebus nuncium remiſerat, ipſam etiam ueſtem conſcindit. Atque hæc cum uenuſtate quadam & concinnitate dicta ſunt. POLYCH. Id Iobi conſtantiam graui teſtimonio confirmat, quod nuncio dumtaxat de obitu filiorum accepto, commotus ſit, ceterarum rerum nuncijs nihil cum terrentibus. Sed neque nunc quidquam præter decorum eloquitur. Solum ad lugubrem habitum formamq. conuertitur. Igitur ueſtibus conſciſſis, doloris magnitudinem declarat. Tonſo uero capillo mœrorem de liberorum interitu ſuſceptum oſtendit. Nam ijs temporibus lugubris erat huiuſmodi habitus. CHRYSOS. Noſtra hac ætate pleriq; eorum, qui in ſqualore & luctu ſunt, comam alunt; ille uero amputauit. Quid ita? quoniam ſqualenti ac mœrenti hæc cura erat, ad contrariam conditionem migrare. Quare ubi ornamento & honori ducebatur coma, tonſus capillus doloris ſignificationem conficiebat. Veſtes autem lacerauit: ſi res e forma ipſa, habituq. externo ſpectetur, ad mœroris acerbitatem, ſin autem ad ueritatis perpendiculum exigatur, ut ad luctationem nudus accedat, quo tamquam nudus athleta aduerſarij circumplicari non poſſit amplexu.

Et cadẽs in terrã adorauit Dominũ, et dixit: Ipſe nudus egreſſus ſũ de uẽtre matris meæ, nudus etiã reuertar illuc.

BASIL. Animi eſt effeminati, nec quidquam firmitudinis, e ſpe diuina habentis, diſcruciari vehementius, ac rebus ſuccumbere aduerſis. Vt enim uermes intra teneriora ligna procreantur, ita ægritudines atque moleſtiæ molioribus hominibus innaſcuntur. An uero corde adamantino Iobus erat? nunquid ei uiſcera lapidea? Decem ei filij leui temporis momento, uno percuſſi vulnere, in ædibus lætitiæ ac uoluptatis, quo tempore exhilarabantur, domicilium concutiente diabolo, occubuere. Menſam uidit ſanguine reſperſam, uidit liberos non uno quidem tempore in lucem editos, ſed tamen uno tempore lucis uſura cunctos caruiſſe. Nullus tamen illius exauditus eſt eiulatus, non uocem

vllam edidit generoſa animi uirtute indignam. Illam uſque adeo præclaram atque ſermone omnium percelebratam, & grati animi indicem uocem emiſit. Nunquid homo fuit a communi ſenſu doloris alienus? quî tandem? cum de ſe ipſe teſtetur. *Ego planxi ſupra omnem qui tribulatur*. An uero, cum hæc diceret, mentiebatur? Atqui ipſa ueritas de eo teſtatur, præ alijs uirtutibus eundem uerum fuiſſe. CHRYS. *Ad Olympiadem*. Hic ipſe Iobus plagam accipiens, non infligens, oculos diaboli confixit, cunctas ab eo emiſſas ſagittas excipiens, pharetram exinaniuit uniuerſam. Nullum denique genus tentationis eſt quod non ſit ſingulari quadam ratione perpeſſus. In ijs, quæ in uita moleſta ſunt & habentur, ſunt egeſtas, ac morbus, & orbitas liberorum & impetus inimicorum, & amicorum ingrata uoluntas, & fames, & corporis cruciatus asſidui, & conuicia, & calumniæ, & improbę exiſtimationis poſſesſio. Atq; hæc omnia in unum corpus, unamq. animam coierunt, & quod grauius eſt, nec opinantem inuaſerunt. Quod autem loquor, id eſt eiuſmodi. Qui ab egentibus parentibus procreatus eſt, & in paupere domo educatus, is quaſi exercitatione cogitationeq. munitus uim egeſtatis leuius tulerit: qui uero tam multis opibus circumfluat, ac tam multis diuitijs abundet, is ſi repentino ad ſtatum contrarium detrudatur, ſubitam mutationem haud facile ſuſtinuerit. Namque homini non experientia erudito inclinationes huiuſmodi aſperiores ſolent accidere. Ad hæc homo obſcurus, & obſcuro loco natus, & cuius fuit vita uſque deſpecta, ſi ei conuicium, iniuriaue fiat, non magnopere commouetur: qui vero in tam ampla gloria fuerit, atque omnibus quaſi ſatellitibus, & ſtiparoribus uſus ſit, cunctaſq. regiones nominis eius claritas peruaſerit; is, ſi ad ignobilitatem ac dedecus delapſus ſit, idem patiatur omnino quod is ſere cogitur, qui a diuitiarum amplitudine ad inopiam ſtatim deſcendit. Præterea qui orbatur liberis, quamuis orbetur omnibus; modo non cunctos unum, idemq. tempus extinguat, eos, qui reliqui ſunt, habet ad animi ægritudinem leniendam; ac ſi reſtincto dolore, qui e primi interitu ſuſceptus erat, ſecundi filij calamitas acceſſerit, nihilominus tolerabilis ſit. Neq; enim ea recens vulnus offendit, ſed plane iam obductum & conſopitum: id quod ad dolorem extenuandum magnam partem obtinet. Hic autem ſuum illum chorum omnem, uno temporis momento, genere mortis acerbisſimo, uiolento, immaturoq. interitu uidit abreptum. Temporis uero, lociq. ratio acriores etiam morſus efficiebat

bat

bat doloſis. Tempus enim conuiuij, atque ea quæ hoſpitibus patebat domus, illam attulit calamitatem, atque illis ipſis pro domo & ſepultura fuit. Iam uero quod maiorem habet admirationem, cuncta ſimul perpeſſus eſt. Vt iam quæ ei illata ſunt mala ob id ipſum altero tanto, uel etiam ſeſqui acerbiora fuiſſe uideantur. Quod enim in certamine uerſanti uſuuenit, ut nihil induciarum, nullum ei reſpirandi ſpatium concedatur; uerum ob aſsiduos impetus, maiores tumultus, turbæq. concitentur: hoc ipſum huic noſtro accidit. Nam ouium exitium atque incendium, boum abſtractio excepit; hanc uero aſinarum ablatio; hanc item camelorum abductio, atque hanc ſeruorum iugulatio, hanc demum liberorum amisſio cum horribili nouoq. interitus genere, & maxime horrifico ſepulchro coniuncta: quandoquidem eadem mors, & ſepultura extitit. Menſa, quæ paulo ante eſculenta, ac poculenta ſuſtinebat, nunc conciſa complectitur cadauera: phialæ & pocula cum uino cruorem, obtritoſq; artus excipiunt. Illius calamitatis atque naufragij uim acerbisſimam, nouamq. illam, nec antea auditam tragœdiam animo, quæſo, complectere. Fuerit fortaſſe aliquando, qui natum unum, aut alterum, aut uero tertium amiſerit: huic autem quàm multi filij, ac filiæ ſunt ereptæ? Quàm ſubito autem is, qui multos ſuſceperat habebatq. liberos, eſt cunctis ſpoliatus? Neque uero paullatim illius uiſcera abſumebantur, ſed repente fructus omnis eſt ademptus; neque id lege certa naturæ, cum ſenilem ætatem minime attigiſſent, ſed tantum uiolento atque immaturo interitu. Cum una eſſent omnes, cum ille nec adeſſet, nec asſideret, ut ſaltem extrema uerba ad tam acerbi luctus ſolatium acciperet. Imo uero præter omnem expectationem; cum quid ageretur ille neſciret, ſubita ruina obruti ſunt uniuerſi, eademq. ijs domus laqueus, & ſepultura fuit. Atque hanc unam ruinam multæ aliæ comitatæ ſunt acerbitates. Nam & florente erant omnes ætate, & uirtutis laude præcipui, & inter ſe amantes, & omnes una, & perinde mares, ac fœminæ eodem caſu conciderunt; nec ex omnibus relictus eſt unus; neq; communi lege e uiuis exceſſerunt; nec poſt tantam iacturam rei cuiuſquam malæ ſibi conſcius fuit; nec filiorum exitium proſpiciendi data eſt ei poteſtas: [a] ſingula enim hęc ad perturbationem animi, haud parum per ſe ualent: ubi uero omnia congreſſa ſunt, tute laboris æſtum cogita, uimq. tempeſtatis incredibilem. Sed tamen nullum ei uerbum excidit eiuſmodi, cuiuſmodi nonnulli, qui mente ſunt imbecilla, ſolent uſurpare.

[a] *Reperiuntur hæc in hom. etiã 28. ep. prioris ad Corint.*

pare. Ergo ad hoc ipſe educaui liberos, præclaraq́. diſciplina corroboraui? Ad hoc domum iter facientibus pateſeci? ſcilicet, ut poſt tam multas excurſiones egentium, nudorum, pupillorumq́. cauſſa ſuſcepras, id mihi reponeretur? Nihil quidem certe horum in eius ſermone fuit. Verum in tam acerbo filiorum caſu quædam enũciauit, quæ qualibet uictima eſſent digniora, illudq́. caput auguſtum magnificientius, quam ſexcentæ coronæ exornarent, clarioreq́; ſono quam multarum tubarum prædicarent: dixit enim; *Nudus egreſſus ſum ex vtero matris meæ; nudus etiam reuertar*: Mea ne iſthæc erant? Paulo poſt ea a me deſeri oportebat; *Nihil enim intulimus in hunc mundum; nihil profecto efferre poſſumus*: Sed antequam uerba illa pronunciar, humi ſtratus, Deum uenerarur; tantaq. clade affectus, de pietate erga Deum, ac religione minime receſſit: ſed humi abiectus, diabolo compedes iniecit, qui dixerat; *Niſi in faciem benedixerit tibi*. Teſtatus eſt naturam, teſtatus item eſt pietatem. Nam & in filiorum interitu dolori moderatus eſt, atque ægritudinem animi uirtute præuertit, neque amplius ingemiſcit; ſed uoces illas edit; [a] *Nudus egreſſus ſum de vtero matris meæ; nudus etiam reuertar illuc*. Sed cuius tandem uteri meminit? nempe primi illius opificij, ſuæq. e terra coagmentationis, primi parentis opificium imitantis. Nudus e terra diuino munere conformatus ſum, minime fucatus, nulla re ſuperuacanea oneratus, ac prope dixerim, a materiæ concretione ſecretus. Ergo nudus quoq; reuertar illuc; quo? nempe ad locum plangore liberum. Si enim ad eum uterum, qui in promptu eſt, cogitationem traduxeris, crediderisq́. maternam aluum unde extitiſti, tibi rurſus ſubeundam eſſe, rationis decorum, atque uerborum apta conſecutio perierit. Quis enim mente præditus tantam iniuriam naturæ adferat; ut matris utero quod inde accepit, reddens duabus rebus ad ſuum ipſarum interitum eodem tempore abutatur, atque uno commento duplicem necem faciat? eſſerq́. id in uanitatem Nicodemi incidere, qui, cum de regenerationis lauacro audiret. *Niſi quis renatus fuerit deſuper*, indocte, ieiuneq́. reſpondit: Cum de carnis natiuitate audiſſe ſe arbitraretur, humilibusq́. ratiocinationibus traheretur ad terram, nec quidquam excelſum animo pertractaret. CLEMENTIS. Quamquam quæ a Iobo dicuntur, ſublimius cogitari debent, ad hunc modum * *nudus* a ſcelere, & peccato, e terra quaſi in matris utero ſatus ſum; nudus etiam reuertar illuc. Nudus non a bonorum poſſeſſione; (minutum enim id eſt & uulgare)

1. Timot. c. 6.

Ioan. c. 3.

a *Gregorij magni expoſitio, matris uterũ non ſecus quam hic Chryſoſtomus interpretãtus hãc Chryſoſtomi explanationem confirmat omnino. Eiuſdemque ſententiæ auctorem dilaudat Eccleſiaſticum cap. 40.*

* Non ideo hæc de Iobi ſanctitate loquitur Clemens, quod originis peccatum, ut nonnulli inepte credunt, ignorarit: ſed ob eam rem, quód cum in materna aluo, parentali, & communi labe poſtquam eam contraxit, liberatum eſſe crediderit.

re) uerum ab improbitate, ac uitio atque ab eo, quod uitę hominum comes eſt, tenebricoſo idolo. Nam ſi id, quod manibus tenemus, ſpectare uoluerimus, cuncti naſcimur nudi, itemq. nudi efferimur, faſcijs, quæ ad humanda mortuorum corpora adhibentur, deuincti. Etenim vitam Deus nobis aliam præmuniuit, atque ad illius curſum hanc fugacem quaſi viam muniuit. Quæ uero nobis aduerſus difficultates vitæ uarias ab opibus ſuppeditantur ſubſidia, quaſi viaticum illa ipſa Deus nobis conſtituit: nobiſq. ex hac uita digresſis, diuitiæ minime comitantur. Eorum enim quæ in uita habuimus, nihil noſtrum dici poteſt, una excepta pietate, cuius eſt noſtra certa poſſesſio. Hanc, decedentibus nobis, mors numquam eripiet: quamuis reliqua omnia uel ab inuitis auferantur: opes quidem ad uitam hanc ſuſtinendam accepimus, atque hoc uno fructu decerpto, demigrat unuſquiſque breui quadam ſui relicta memoria. Hoc demum eſt huius omnis felicitatis extremum; hic cunctorum bonorum quę ſunt in uita exitus. Merito igitur infans, ut matris utero caput extulit, ſtatim lamenta, non riſus exorditur. Nam flebili uoce uitæ propemodum indignatur, cuius quæ prima munera ad deguſtādum præbentur, exitioſa ac mortifera ſibi eſſe animaduertit: ſimul atque enim editus in lucem, & ſuſceptus eſt, manus, pedeſq. eius faſcijs conſtringuntur, atque ijs uinclis impeditus, potitur uberibus. O uitæ primordium, mortis prodromum; nuper eſt infans ad uitam ingreſſus, nec interpoſita mora, mortuorum pannis amicitur: Natura enim finis memoriam reuocat ijs, qui naſcuntur. Huc ille pertinet editi infantis eiulatus, luctuoſis magniſq. uocibus apud matrem lamentantis. Cur mihi uitam, mater, tradidiſti, cuius additamentum futurum erat ad interitum progresſio? Cur me in tantarum turbatum æuum conieciſti, in quo mihi nato faſciæ ſunt exordia? Cur huiuſmodi me uitæ addixiſti, in qua & iuuentus miſeranda ante ſenium miſere uexata atque confecta, & ſenectus ut exitioſa fugienda? Nimirum aſperum, o mater, eſt huius uitæ ſtadium, cuius meta eſt currentium occaſus. Calamitoſam uitæ uiam ambulamus, quæ ſepulturam habet pro diuerſorio. Difficile atque infeſtum uitę pelagus nauigamus, cui infernus tamquam pirata imminet. Solus ex omnibus homo nudus gignitur nullo, uel armorum, uel indumētorum cognato genere protectus: nec ideo quòd ſit ceteris animantibus inferior, ſed ea re maxime, ut nudus ille, ac nulla rę inſtructus ortus, tuum animum ad curam, ſtudiumq. impellat;

ſtudium uero & ſollicitudo ſapientiam glorioſe exornet; ſocordiam uero a natura depellat; artificia quoque propter egeſtatem gignat uaria. Induſtrium enim, & peracutum eum, qui nudus eſt, eſſe oportet, ut qui paupertatis ſtimulis concitetur. Nudus procreatus eſt homo, ut eodem ſtudio adhibito, uideret, quemadmodum imbres declinaret; quemadmodum ſapienter frigus arceret; quemadmodum ad repellendos ictus muniretur; quemadmodum terram coleret; quemadmodum feris, ac belluis metum incuteret; quemadmodum robuſtiora, ac ualentiora ſe animalia domaret. Quamobrem aqua madidus, pluuiaq. perfuſus tecta fabricauit; refrigeratus uehementius indumenta excogitauit: ictus ac uulneratus thoracem inuenit; cum manus in agricolatione occupatæ ſpinis cruentarentur, ruſtica inſtrumenta quæſiuit. Quia nudus erat, eſca belluis artificioſam rationem ad eas, quæ terribiles ſunt, exterrendas, comparauit. Nempe igitur aliam ex alia ſolertiam nuditas genuit. Vt iam nuditas donum ſit, munusq. imperatorium. Nudatus igitur Iobus opibus ſuis, poſſeſsionibus, glorioſa, multipliciq. ſobole; & breui ſpatio his omnibus ſpoliatus, ac plena grati animi uoce exclamauit; *Nudus egreſſus ſum ex utero; nudus etiam reuertar illuc*. Nimirum ad Deum, ad illum, inquam, beatum finem & requietem. OLYMP. Papæ? quę iſthæc eſt philoſophiæ excellẽtia? Nam externa quidem ſpecie, quod debet naturæ perſoluit, diſciſſa tunica, uulſaq. coma; ſed ob uirtutem ad Deum confugit, inflexisq. genibus eum adorat legitime, atque in media ærumnarum turba conuenienter naturæ philoſophatur, ac tum ſibi, tum nobis ad ægritudinem ſolandam parat medicamentum. Ea eſt, inquit, homini ſancita lex, ut ab ijs, quæ non ſunt, ad id, quod exiſtit, nudus deducatur, eademq. forma indutus cedat e uita. Quid igitur mali, inquit, paſsi ſumus, cum a natura quidem nihil habeamus, ſi rebus nobis a Deo datis rurſus ſpoliemur, quarum non multo poſt nobis erat amisſio neceſſario ſuſtinenda? Et quamuis acerbitatum illarum auctorem Deum eſſe cognoſcat, nihilominus ueneratur, grataq. ei uoluntate depoſitum reddit, ſuisq. improbum diabolum iaculis configit. Is enim uſus ironia dixerat; *Si non in faciem tibi benedixerit*, id eſt; ſi non improbas in te uoces iactarit. Hic autem in illis, quæ acciderunt, calamitatibus ad gratias agendas comparato hymno, uocem cum diuina laude coniunctam mittit huiuſmodi.

Dominus

Dominus dedit, Dominus abſtulit: ſicut Domino placuit, ſic etiam factum eſt: ſit nomen Domini benedictũ.

[1] BASILII. Tamdiu pater ſum appellatus, quãdiu uiſum eſt ei, qui me patrẽ cõſtituit. Sobolis coronã mihi rurſus adimere cogitauit. De rebus, quæ illius ſunt, nihil pugno: Illius uincat decretũ: ille ſator eſt generis, ego inſtrumentũ; quid neceſſe eſt me, qui ſeruus ſum, inani cura angi? deq. eo decreto expoſtulare, quod reſcindere non poſſum? POLYCH. Quæ diuinitus contingunt, libenter amplector, & affluere diuitijs, cũ is dederit, uolo; & in egeſtate uitã degere ex eiuſdẽ conſilio opto. CHRYS. [a] Hactenus Iob doluit, ut patrẽ liberorũ amantem, mortuosq. ſedulo curantẽ decebat. Non dixit, ut pleriq; ſolent, præſtabat, nec experientia percepiſſe, nec patrẽ uocatum eſſe, quã guſtata uoluptate, deiectum eſſe. Verum is & de ijs quæ acceperat gratias egit, & ob ea, quæ ante uitæ exitum eũ deſeruerunt Deũ cõmendauit, haud his uerbis locutus eſt; Satius erat id non fuiſſe conſecutum: qui ingratorum hominum eſt ſermo, ſed potius pro rebus adeptis gratias agebat, cũ diceret; *Dominus dedit: Sc* de amiſsis Deũ his uerbis efferebat, *Dominus abſtulit: ſit nomen Domini benedictum*. Ita mirifica illa uerba uſurpans, rationibus cum uxore contendens, loquentis, audaciã cõpreſsit, cum diceret; *Si bona ſuſcepimus de manu Domini, mala non ſuſtinebimus?* Adde, quod ceteros homines illud non mediocriter ſolatur, cum ſuarum cauſſam ærumnarum eas culpas eſſe intelligunt, quarum conſcientia ſtimulantur. At ille hoc ipſum ratiocinatione conſequi nulla poterat (id quod eius animum grauiter commouebat) quod pœnas lueret peccatorum. Nam ſi quando in ſuam ille uitam intuebatur, conſcientiamq. Sole clariorem, & recte facta quam plurima inſpiciebat, nimirum coronis, brauijs, ſexcentisq. præmijs ſe dignum uidebat. Cum autem ad eorum mala referret oculos, qui turpiſsima facinora admiſerant, uideretq. multo ſe, quã illos grauiora perferre; nec eius rei cauſſam poſſet ullam exponere, ad unum Deum perfugium eſt illi reliquum, atque ad Dei conſilium, ac decretum omnium calamitatum cauſſam reuocat, ac dicit; *Sicut Domino placuit, ita factum eſt*. Neque enim ſententiam Domini expendendam puto. *Sit nomen Domini benedictum*. Nec enim quidquam abſonum loquar de Deo: quin eum tum ob ea, quæ mihi principio eſt impartitus, tum ob ea, quæ nũc ademit, dignum laude duco. His uerbis luſtus diabolũ quaſi telis perfodit. Eſtq. illud admiratione perquam dignum, quod tũ

[a] *Hunc ipſum locum Iobi mirifice tractat, ac uerſat idem Chryſoſtomus in priore epiſtola ad Theſſal. hom. 3.*

Deo gratias agat, nec quidquã de mentis conſtantia remittat, cum ſe a Deo ſpoliari animaduertit. Id ipſum tibi faciendum & cogitãdum eſt, non ab homine quopiã, ſed a Deo tibi tua auferri; a Deo inquam, qui te tuetur ac ſuſcipit; qui tibi haud eſt inimicus; qui tibi nullas ſtruit inſidias; qui denique quod e re tua ſit non ignorat. [a] Fer item opem ijs, qui migrant e uita, neque eorum memoriam intermittas. Nam ſi Iobi liberos [b] ſpiritus hoſtia expiabat, dubitare ne ipſe poteris, nobis pro ijs, qui deceſſerunt offerentibus, ſolatij nihil illis ipſis adferri? ſiquidem ſolet Deus alteri alterius cauſſa gratificari. Fructum etiam e rerum natura capiamus: opificem enim illæ affectantur ſuum, qui ſingulorum ſpectata utilitate, eas unicuique impartitur, ac tollit, atque eodem nos tẽpore grati animi uirtute & robore exercet. Nam grati animi teſtificatio in rebus acceptis ſecundę beneficẽtiæ cauſſa eſt, ac materies.

a Mortuorum cura ſuſcipienda, chriſtia neq. pietatis officia ijs præſtanda.

b Cuiuſmodi illa fuerit ſpiritus hoſtia, uerbis planioribus Chryſoſtomus oſtendit in extrema huius cap. expoſitionem.

In his omnibus, quæ acciderunt ei, nihil peccauit Iob labijs coram Domino: & non attribuit inſipientiã Deo.

:˘ CHRYSOSTOMI. Quemadmodum in ſimulacrorum crepidine, ſtatuarumq. baſi ſolet inſcribi; Hic, illeue poſuit: Ita hoc loco libri auctor, poſtquam Iuſti ſimulachrum uerbis abſoluit, in crepidine hanc ueluti inſcriptionem reliquit, *In omnibus his non peccauit Iob coram Deo labijs ſuis* [c]. Nec uero putes, quia de Deo nõ tacuit, de hominibus ſiluiſſe. Sed neque peccatum cogitatione admiſit. Quid autem eſt, *labijs?* Nos ſæpenumero æſtu perturbationis abrepti, verbum dicimus animi intelligentia minime approbante, lingua dumtaxat impetu doloris abſorpta. Hoc ille malum uitauit, cuius & lingua fuit a uerbis improbis integra, & mens a blaſphemia aliena: *Et non dedit inſipientiam Deo*, id eſt nequaquam ob ea, quæ acciderunt, iniuſtitia Deum aliqua condemnauit: non dixit ut plerique; Temerarius ac fortuitus eſt rerum humanarum curſus: uerum; *Sicut Domino placuit, ita factum eſt.* OLYMP. In his omnibus calamitatum fluctibus, numquam Iobus, cum ſecum ſolus ageret, Deo indignam ullam cogitationem ſuſcepit. Hæc enim ſententia ijs uerbis, *coram Deo*, ſubiecta eſt. Homo enim faciem, Deus cor intuetur. Iobus autem, qui pręclare erat animo conſtitutus, glorioſam Deo laudem detulit, improbis inſaniſq. cogitationibus repudiatis, neque ſolum reliquarum rerum amiſſio, ſed ne orbitas quidem liberorum eum ad contumelioſe maledicendum Deo cogere potuit. Ac licet eum grauiter ferre ſuſpicarentur ceteri; nihil apud Deum tamen offendebat,

c Verbo non offendiſſe apud Deũ Iuſtiſſimum Iobum eo tempore plagæ, & calamitatis, quã eſt inauditam perpeſſus, confirmant hi omnes. D. Auguſt. in pſal. 103. D. Gregorius in 3. cap. præfationis in Iob. Chryſoſtomus, Polychronius, & Olympiod. in præfatione huius noſtri Commentarij. Auctor commentariorũ in Iob, qui Origeni tribuuntur cap. 3.

debat; neque cogitationem Dei præſtantia alienam, animo eſt vnquam complexus. Sed Hebræus apertius; Non eſt, inquit, conqueſtus de Deo. Eſt item duplex teſtimonium admiratione dignum conſecutus. Nec uocem, inquit, ingrati animi teſtem, edidit, neque intelligentiam atque ratiocinationem ad indignam philoſophiam demiſit. Etenim inſipientia non in uerbis, ſed in mentis inductione quadam conſiſtit. Prudentia enim ac ſapientia functio quædam animi eſt, oculorum fugiens obtutum, religioſorum uerborum parens. Aliam quoq; Iobi laudem diſcimus non exiguam, quod neque apud Deum eius uita fuerit accuſata. EPHRAEM. Hinc intelligimus fieri non poſſe, ut qui uere Deum uerentur, in diaboli poteſtatem redigantur: Adoritur ille quidem animi uirtutem conuellere; ſed euellere tamen non poteſt: quod ipſum facto minime obſcuro in Iobo declaratur. Tentationum enim architecto traditus eſt; nec eum tamen ſine Dei permiſſu auſus eſt attingere: quàuis eſſet illi a Deo facta poteſtas, quod collibuiſſet Iobo faciendi, una ipſius anima excepta; quandoquidem nec in porcos, niſi largiatur Deus, ullam aduerſarius obtinet poteſtatem. Vicit tandem Iuſtus aduerſarium, perinde ut Paulus ſtimulum illum ſuum Angelum Satanæ uoluntatis ſtudio, quo Deum uere atque ex animo amplectebatur. Neque enim carne infirmà eſſe, & imbecilla, hoc eſt uinci: neque in damna, calamitateſq. incidere, eſt cadere. Verum tunc demum quis cadit ac uincitur, cum in tentationibus non eſt eius ſpectata uirtus. CHRYS. Dum igitur in terris degimus, numquam reſpiremus; ſed ſemper in pugilatione uerſemur; maxime uero cum morbi calamitate tentamur; quando dolores animum peruellunt undique; quando cruciatus obſident; quando diabolus imminet ad aliquid de Deo loquendum aſperius nos incitans uehementius. Nimirum tunc maxime decet a nobis propulſari aduerſarium, noſq; ipſos thorace patientiæ, & gratæ mentis armis protegi. Hæc enim tela ſunt diabolo acerba, hæc luculenta plaga, hoc tempus clariſſimę laureę. Siquidem hoc beatum Iobum maxime illuſtrauit, hoc celebrauit, quod cum tentatione, egeſtate, morbo quateretur, conſtantiam retinens, nequidquam eſt tamen animo immutatus. Verba illa ad agendas gratias compoſita, illamq. ſpiritalem hoſtiam Deo obtulit. Victima enim uerba illa erant, *Dominus dedit, Dominus abſtulit*, ac reliqua. Ergo nobis quoque illud ſemper faciundum eſt, ut in tentationibus, ærumnis, atque inſidijs ſpecioſam Deo laudem tribuamus,

ADDITIO-

ADDITIONES EX CATENA VINCENTII PINELLI.

IN CAP. PRIMVM.

A *Dicebat enim Iob: ne forte filij mei in cogitatione ſua mala cogitauerint contra Deum.*

EVAGRII.

DECEM nominibus ab Hebræis Deus ſignificatur. Quorum unum eſt Adonai, ideſt Dominus. Alterum Ia, quod item eſt Dominus. Tertium eſt Tetragrammaton, quod Hebræis appellare eſt nefas, ita alio quodam abutentes pro eo, Adonai uſurpant, quod apud nos eſt Dominus. Eiuſmodi quattuor litterarum nomen aiunt in ea lamina, quæ fronti Summi Sacerdotis circundata erat, inſcriptum fuiſſe, quemadmodum in lege ſcriptum eſt. *Expreſsio ſignaculi, Sanctificatio Domino*. Reliqua nomina ſunt hæc. El. Eloim. Sadoc. Sabaot. Saddai. Iais. Eſerie. *Eccl.* 45.

INTERPRETIS ADMONITIO.

DECEM nomina, quibus ab Hebræis appellatur Deus explicat D. Hieronymus in epiſt. 136, quæ eſt ad Marcellam. Primum nomen, inquit, Dei eſt El, quod ſeptuaginta θεόν, ideſt Deum, Aquila ἐτυμολογίαν eius exprimens ἰσχυρόν, ideſt fortem interpretatur. Secundum Eloim. Tertium Eloe, quod & ipſum Deus dicitur. Quartum Sabaoth, quod ſeptuaginta uirtutum, Aquila exercituum tranſtulerunt. Quinctum Helion, quod nos excelſum dicimus. Sextum Eſer eheie, quod in Exodo legitur. *Qui eſt, miſit me*. Septimum Adonai, quem nos Dominum generaliter appellamus. Octauum Ia, quod in Deo tantum ponitur, & in Alleluia extrema quoq; ſyllaba ſonat. Nonũ τετραγράμματον quod ἀνεκφώνητον, ideſt ineffabile putauerunt: quod his litteris ſcribitur, Iod, he, uau, he. quod quidem non intelligentes propter elementorum ſimilitudinem, cum in græcis libris repererint, Pipi legere conſueuerunt. Decimum Saddai; quod in Ezechiele interpretatum ponitur; quod Aquila interpretatur ἄλκιμον, quod nos robuſtum, & ſufficientem ad omnia perpetranda accipere poſſumus. Hæc de his nominibus Hieronymus. *Exod. cap.3.*

Et

B. *Et fuit ut dies hæc, & uenerunt Angeli.etc.*

THEODORI Mopſueſtiæ. Figura quadã, morumq. adhibita imitatione hæc à diuina ſcriptura tractantur, ut doceat certo ordine, ac prouidentia res humanas adminiſtrari. Ita ſpecies dictionis in Iobi, ac diaboli, qui in Dei conſpectu conſtitit, perſona ideo collocatur, ut intelligamus ipſis aduerſarijs poteſtatibus contra homines, non permittente Deo, nihil plane uirium eſſe. Neque uero Diabolus ea, quam quiſpiam fortaſſe dixerit, confidentia Deo aſſiſtit. Sed quoniam in Dei conſpectu omnium, tum hominum, tũ corpore carentium ſpirituum cogitationes uerſantur: idcirco oſtendere uult ſcriptura, cum Deus poteſtatem fecerit communi aduerſario, tunc prolixam eius Prouidentiam omnibus moderari.

C *Num gratis Iob colit Deum?*

EVAGRII. Qui nec ſupplicijs, nec pollicitationibus adducatur.

D *Filijs, & filiabus tuis comedentibus, & bibentibus apud &c.*

DIDYMI. Haud temere dictum eſt filijs, & filiabus tuis comedentibus, & bibentibus, id enim ad maiorem ægritudinem ciendam, malorum Architectus diabolus excogitauit: ut facti expoſitio maiorem Iuſto moleſtiam adferret, conſopitis enim, & dormientibus filijs, aut doloris expers ruina illa extitiſſet, aut non uſque eo moleſta accidiſſet.

FACTVM eſt autem quaſi dies hæc; & uenerunt Angeli Dei aſſiſtere coram Domino, & diabolus venit, ut in medio eorum aſſiſteret coram Domino. CAP. II.

CHRYSOSTOMVS.

QVID tandem eſt, cur Angeli Deo quotidie aſſiſtentes inducantur? Vt intelligamus rebus noſtratibus conſuli; atque ab ijs rerum, quæ aguntur, diebus ſingulis rationes referri. Mittunturq; ſingulis diebus Angeli ad rem quampiam adminiſtrandam, quamquam eſt id nobis ignoratum. APOLINARII. Narrant illi quidem hoc item loco Iuſti inuictum robur. Diabolus uero hominis conſtantia exulceratus, nouas fabricat machinas, genuſq. tentationis nouum conatur illi admouere. IVLIANI.

Venit

Venit in medium Angelorum quaſi captus: namillum pudebat,
fugamq. meditabatur. Dicitur autem in medijs Angelorum cœti-
bus uerſari, ut Iobum cum depoſcit, ab eius procurandis rationi-
bus Angelos alienet. Sed qua demum ratione aſſiſtunt Angeli Deo?
An uero adminiſtri ſpiritus a diuino obſequio diſcedunt aliquan-
do? Verum quid tandem fuerit, quod a ſua creatura opificem
ſecernere queat? Cui, Propheta teſte, *Cunctæ nationes ut cadi gut-* Iſaiæ.
ta, ac momentum ſtateræ reputatæ ſunt. Qua item ratione diabo- c.40.
lus angelico dignatur conuentu? & uerba uſurpat pernicies? &
orationem a uera haurit uita? *Quę communio luci ad tenebras?* 2.Cor.
quæ conuentio CHRISTO *ad Belial?* Præſentiam lucis tenebræ c.6.
ferre nō poſſunt, neque probitatis hoſtis uitę propinquitatem. Er-
go religioſa eſt huius loci quærenda cognitio. Duplex igitur hic
nobis ſuppeditat theoria. Etenim, cum Dei natura nequeat cir-
cumſcribi, in eius conſpectu rerum uniuerſitas poſita eſt; atque is
etiam qui defecit diabolus. Verum non perinde Satanas, qui ma-
ledictis atq; odio proſequitur Deum, in eius conſpectum uenit, ut
naturæ illæ, quæ, quod Deo propinquæ ſunt uitium ignorant.
Nam quod Deus cunctis adeſt locis, ad eundem diabolus dicitur
accedere. Nec uero ad eum adire dicitur, quaſi uitæ ipſius ſuſti-
neat propinquitatem; ſed ideo, quia eius, qui nequit definiri lo-
co, non poteſt fugere obtutum. Ita diaboli ingenium inuidum,
dum prophetæ uirtutem ſuum eſſe uulnus ſuſpicatur, quemadmo-
dum multos in eandem impellat calamitatem, crudelem init ratio-
nem. Nam ex peccandi ſocietate ſcelerum pœnam uitare ſe poſ-
ſe arbitratur. Ita inferendis malis pietatis turrim labefactare co-
natur. In rerum, inquit, [a] abundantia eum cui uictum ſubmi-
niſtrat, agnoſcere uel ipſis mutis tributum eſt. Reſtat igitur, ut
opibus ſpolietur, ut orbetur liberis, ut corporis patiatur luem,
ac perniciem. Hac enim ratione planum fiet, diligat'ne tamquam
filius patrem, an potius muneribus prouocetur, ut ſolent, qui
amicum appellant eum, a quo ijs merces perſoluitur. Iſthęc omni
crudelitate imbuta cogitatio, uox ſane nuncupetur. Nam qui ea,
quæ non uidentur, fabricauit, eorumdem actiones haud ignorat,
neque ad arcanas rationes retegendas opus eſt ei uoce aliqua. Ve-
rum quod ſonitus uocis quæ ore effertur, nobis eſt, cum ictu aëris
auribus admouetur, notitiasq. eorum, quæ dicuntur noſtris ani-
mis tradit; hoc ipſum eſt Deo cogitatio. Itaque cum Deo colloqui-
tur diabolus ac differit, non uocis inſtrumentis ad eam rem adhi-
bitis: qui enim ea forma orationis in eas naturas, quæ ſunt a ma-
teria

[a] Suſpicor hærere labem in lectione huius Catenæ græcæ, & pro ἀφωνία, ἀφθονία reponendum eſſe: nam ueriſimile eſt ex parte litteræ θ abraſa, & ex o litteram ω conformatam eſſe: cum planè conſtet litteram ω in uerbo ἀφωνία, recentem eſſe, uetere abraſa. Quod ſi ἀφωνία retineatur, ex interpretatione tolletur abundantia: nihilq. erit præterea addendum.

teria diremptæ accommodari poſſit? Sed nimirum illud in receſſu [a] inflammatum conſilium uocem eſt imitatum: cum Deum minimè lateret. Quare Moyſem quamuis ſileret, ut uociferantem audire ſe dixit. Sic diabolum, quem meditantem offenderat, quaſi loquentem agnouit. Quæ enim diabolus contra Iuſtum moliebatur, non neſciebat Deus. Quòd etiam illi ipſi tentandi poteſtatem faciebat, eandem Dei notitiam confirmat. Quod ipſum nobis cum exponit ſcriptura, interrogationibus, reſpõſionibusq. uſurpatis ac fingendis loquentium moribus dialogum conformat.

[a] ὑποτυφομένην. uidendum, num legendum ſit, ὑποτυπουμένη.

Et dixit Dominus diabolo. Vnde tu venis?

OLYMP. Videbat Deus Satanam pudore uidelicet æſtuantem. Cum uero intemperãter agentem animaduertit, interrogando, tum flagitioſè agentem coarguit, quemadmodum Cainum etiam coarguit. CHRYS. Sciebat Deus, unde Satanas aduenitet, a Iuſto iam ſuperatus; ſed tamen id uidere uolebat, num ſe uictum diabolus modeſte fateretur. OLYMP. Haud me fugit a quanam & quàm funeſta tragœdia redeas, quamuis uictus & opertus nouum quoddam iam exquirens ac parans artificium: Ita uel ipſa interrogatione bacchantem illius refutat inſaniam; conatusq. refellit immanitatem.

A *Tunc dixit diabolus coram Domino; Cum peruaſerim eam quæ ſub cœlo eſt, & ambulauerim vniuerſam, adſum.*

Nullam modeſtiæ partem nouit is, qui magiſter eſt ſuperbiæ, quouis loco morum barbariem teſtatur. Hic quoque conuerſionem illam ſuam, & aduerſus cunctos mortales inimicitias haud diſsimulat: & quoniam quietis ac ceſſationis eſt impatiens, virij inconſtantem ſedem non obſcurè declarat. EVAGRII. Idcirco Iobum non perambulat, quia non eſt ſub cœlo: cùm in cœlo vitæ ſuæ poſitas habeat rationes. Mentitur igitur improbus dæmon, cùm a ſe pertentatos omnes in ditionem ſuam ſubiunctos eſſe confirmat. Ita nullo labore mendacij inſimulatur. Nam qua demum ratione cunctos, vt ipſe ais, mortales proculcaueris, cum vno Iobo ſuperior eſſe nequieris?

Dixit

Dixit autem Dominus ad diabolum. Attendiſti igitur ſeruum meum Iob, quòd non eſt ei ſimilis ſuper terram? homo ſine malitia, verus, ſine querela, Dei cultor, abſtinens ab omni malo?

Chrys. Cum acceptam cladem diabolus uellet occulere, primum illum reuocat ſermonem; Et cum peragrauerim terram, adſum. Contra uero Deus, quod inuidioſe ille tegit, retegit: & quoniam interrogando acceptæ cladis ab aduerſario non elicit confeſsionem; idcirco eam Deus quaſi in columna incidit; Iuſtiq. uictoriam propalam collocat. *Cum ambulauerim vniuerſam, adſum.* Quid igitur hûc te adduxit? Tu flagitaſti: an non ipſe dixiſti; Trade mihi Iobi bonorum poſſesſionem? Cur igitur occultas certamen? nempe ut eius laureæ ſplendorem obſcures? *Conſideraſti ſeruum meum Iob, quòd non eſt ei ſimilis?. ſine malitia.* Ne te uerbũ hoc prætervolet; Illud potius obſerua ex ea, quæ antegreſſa eſt, teſtificatione, nũmquam ſimplicem ac purum appellatum eſſe; cuius nominis & ſi antea non eſt facta mentio, nunc nihilominus innocentiæ atque integritatis coronam ei impartitur: quãdoquidem mala fuerat cum gratiarum actione perpeſſus. Quocirca, ſiquid deinceps audacius locutus fuerit, ſimplicitati erit adſcribendum, præſertim cum ipſe Iobus poſtea dicat; *Videt Dominus ſimplicitatem meam.* Simplici uero & a nequitia prorſus remoto uerbum aliquod haud ducitur fraudi: quandoquidem non ex factis, ſed ex animi conſilijs iudicare ſoliti ſumus. Iniuriam filius adfert patri: res plena impietatis, & quaſi parricida cõdẽnatur: quoniam nefariam vocem in patrem iactarit, ſuamq. radicem ac ſtirpem eſt auſus dedecorare. Quòd ſi puer ſimplex, ab omniq. improbitate alienus patrem matremue verberarit, fuerit iniuria illa quauis voluptate optabilior. Quin etiam matres ſæpe numero filios ad iniuriam vrgent atque ſollicitant, ſane non iniuria, verum mentis ſimplicitate, integritate, atque innocentia delectatæ. Ita Deus, cum non ab improbitate vlla Iobi orationem proficiſci intelligeret, iudex ab eo delectus, ſecundum eumdem Iobum iudicat: extatq. illud Dei de Iobo teſtimonium; *Adhuc in ſimplicitate perſeruerat.* Apollinar. Id eſt, nullum tibi, ſceleſte dæmon, eius innocentia ac ſimplicitas compendium fecit; in eadem enim ſimplicitate, integritateq. perſeuerat; quod peroptabas, haudquaquam perfeciſti. Polychr. Pro illo; *Perſeuerat*

adhuc

adhuc in ſimplicitate, ac puritate: Hebræus habet codex: Permanet in perfectione ſua. DIDYMI. Is uero ab improbitate abſtinet, in quem illa ipſa cadere poteſt. Tunc eſt laudi locus, cum is, qui flagitioſus eſſe poteſt, odio improbitatis eam uitat. Vide autem quemadmodum poſt tam acerbam tentationem, poſt bonorum, fortunarumq. ſuarum exitium, poſt tam miſerandum natorum interitum, dum ad illius laudationem aggreditur Dominus, non a uero, & irreprehenſibili, tanquam a capite laudem amplius arcesſit, id quod antea fecit; uerum ex ipſo facto nomen eſt mutuatus. *Purus enim, ac ſine nequitia*, inquit, nempe e re ipſa vocabuli cauſſa quæſita. Ille enim nec in laboribus, doloribusq. ingemiſcit; nec rurſus in uictoria audacter, inſolenterq. exſultat: *Sed perſeuerat in ſimplicitate*, id eſt, bonorum auctorem & conſtantiæ cauſſam agnoſcit. Vnde huius nominis eſt honorem adeptus. Nam qui ſimplicitatem, & innocentiam retinet, ſimplex nuncupatur.

Tu uero dixiſti, rem eius ſine cauſſa perdere.

Id planius extulit Aquila, Commouiſti me in eum, ut obruerem eum gratis. CHRYSOST. Fruſtra, inquit, eius rei familiari inuidiſti. Illius aduerſus me pietatem a bonorum poſſeſsione excitari aiebas; bonis ſpoliatus eſt, pietate nequaquam. Noluiſti impudens tamquam Deo mihi fidem habere. Quid? nec ipſa tibi experientia deinceps perſuadebit, non ſolitum eſſe ſeruum meum beneficiis philoſophiam metiri? Et illud animaduerte, non dictum eſſe, ſine cauſſa res illius perierunt, uerum, *Tu dixiſti fruſtra perdere*; ſiquidem is nullam mercedem tulit huius amiſsionis, ac ruinę. OLYMPIOD. Nonnulli autem, *Tu dixiſti ſine cauſſa*, aiunt, ſcilicet temere, ac fruſtra ratiocinatus es. Si ei res fuerit adempta, animum ad maledicta conuertet. Iidemq. *ſine cauſſa perdere*, ſuſpicantur hoc eſſe, Iobo bona non ob facinus aliquod periiſſe: aut etiam quia non ea ad beneficentiam contulerat.

Suſcipiens autem diabolus dixit Domino.

APOLLINAR. Verbum, *ſuſcipiens* hanc habet notionem & uim; Cum hæc ita geſta eſſent, contra Iuſtum inire conſilia, haud deſinebat; uel etiam quia ratione aliqua dimicando in eam curam, ſtudiumq. inciderat, eos imitatus athletas, qui captioſis manuum iniectionibus adoriuntur, falluntq. aduerſatium. Vt iam, *ſuſcipiens* pro illo altero ſit, nihil non tentauit, nihil non expertus eſt, ut uiri philo-

ri philoſophiam periclitaretur, propoſitis etiam ad eam rem acerbis, impiisq. certaminibus; cum is nullum modum nouerit ſtatuere improbitatibus. OLYMP. Hoc loco conſidera ſummam eius uiri ſapientiam, qui cum egeſtate, orbitateq. exerceretur, non modo a uerbo odioſo, ac turpi abſtinuit: ſed etiam orationem grati animi plenam uſurpauit. Illi quidem ſancti Angeli uictoriam gratulabantur, diabolus autem dentibus ſtridebat, iterumq. illius uires experiundi rogat ſibi fieri poteſtatem. Ac Deus, quæ eius eſt benignitas, cum eos, qui ſibi ex animo famulantur, inſignes ad gloriam facere optet, belluam laceſsit, atq. irritat, ut pudore deinde ſuffundatur uehemētius, laudumq. corona Iuſtum exornet, qui naturalem ueritatem cōſeruarit; nec quidquam calamitatibus peruerti potuerit. Adhuc, inquit, in eadem ſimplicitate perſeuerat, nullo accepto damno. Tu uero temere ceruicē erigebas, importuneq. nugabare, cum diceres, ſi bonorum poſſeſsione deiectus fuerit, cōuicijs armabitur. Contemplare hic quemadmodum Deus, qui antea proſpexerat, cognoueratq. euentum, ſciebatq. magnum Iobum nihil præter decorum locuturū, aduerſus Iuſtum inſtituendæ luctæ poteſtatem dederit diabolo. Diabolus uero, cum quid conſecuturum ſit, haud ſciat, neque ea, quæ in noſtris cordibus latent, intelligere queat, de clade nihil metuens delirabat, cum aiebat: *Niſi in faciem tibi benedixerit.* Ac rurſus de uictoria benè ſperans, ut in corpore Iuſti periculum fiat, obnixe contendit, dicitque.

Pellem pro pelle, & omnia quæcunque ſunt homini, pro anima ſua exſoluet.

a Interpretatio hæc eſt Apollinarij in Cat. Vinc. Pinelli.

Symmachus uero;[a] Cutē pro cuti, & omnia quæ habet profundet pro anima ſua. Licet eius, qui noſtrum genus odit uniuerſum, confutata eſſet audacia, agit nihilominus impudenter ac dicit. Nil magnum, ſi, quia aliorum corpora paſſa ſunt, nequidquam improbe dixit; ueritus enim eſt, ne te iracundia inflammaret, ſuoq. corpore plagam exciperet, id enim ſignificat, cum dicit; *pellem pro pelle*, fit etiam ſæpenumero; ut quis manu oppoſita a grauiore aliqua iniuria uindicet oculum, pelleq. pro pelle obiecta, parte corporis abiectiore ictum ferat, ut ſaluti præſtantioris conſulatur. Quid igitur mirum opes deſpexiſſe, quando corpus pro corpore interitui obiicimus? ictumq. aut oculo, aut capiti intentatum, obiecta manu repellimus, ut pars corporis nobilior ſit incolumis? Nec non diuitias ad tuendam noſtram ſalutem, nihil ipſi cunctantes profundimus? Aliter quoq; licet eadem uerba interpretari;

Nam

Nam, cum ſtuderet ſceleſtus Iuſti gloriam, quā a Deo erat adeptus, eleuare, *pellem*, inquit, *pro pelle* dedit, id eſt, cum leuiter læſus ſit, leuem quoque eſt laudem conſecutus;[a] nec quidquam præcipui habet ad gloriam, cuncta a quopiam contemni, ne lædatur ipſe: *Pro anima ſua*, dixit: id eſt, pro ſe ipſo.

Minime uero; ſed mittens manum tuam, tange oſſa eius, & carnes eius; ſi non in faciem benedixerit tibi.

Olymp. & Chrys. Truculenta eſt, atque impudens bellua; Neque enim ſatis habet noſtris tantum carnibus ſaturari, niſi in medullas etiam & oſſa peruadat, non ceſſat ab improbitate: nouū conſilium meditatur. Minime, inquit, mirum uideri debet, ſi bona amiſit. Nam præ ſalute omnia putauit ſibi eſſe contemnenda. Tunc autem is erit admirabilis, cum neque animam illi conceſſeris. Atque hoc ipſum is poſtulare uidebatur, cum diceret; *Omnia pro anima ſua exſoluet*. Ergo corpori plagam inflige. Sed quamobrem id non rogauit initio? nimirum, quia ſecum ipſe cogitabat, ſi forte contigiſſet uictum illū diſcedere, e rebus puſillis illuſtriorē ſe uictoriam reportaturū: quòd ſi ſecus eueniſſet, in corporis contētione ſe fore ſuperiorem. Haud magno, inquit, bonorum poſſeſſio æſtimatur ab hominibus; cuncta enim pro animi ſalute largiūtur. Nec uero dixit. Carnes ſolas tange, quin potius ad intima mali contagionem uoluit permanare; tanta uidelicet cum improbitate loquitur. Hinc etiam perſpicitur, nullam antiqui draconis eſſe in nos poteſtatē, niſi detur a Deo, atque ob arcanas illas, quibus nobis prouidit, rationes. Ac, licet permittente Deo homini poſſit uitam adimere, per ſe tamen ipſe malum nequit inferre. Poſtulat autem a Deo, quia, etſi lapſus eſt, nouit nihilominus nihil aduerſus quempiam ſe poſſe, niſi Deus permittat: de ipſa uero permiſſione ita ſentiendum eſt. Sapienter eam contingere, ut quæ a Deo proficiſcatur. Quod uero dicit, eiuſmodi eſt. Externi obſequij cuſtodiam ab eo amoue. Neque enim eius eſt nobilitata uirtus, quamdiu illum a qualibet oppugnatione tueris. Da mihi, ut tabe carnes eius, medullaſq. conficiam: ſolita enim eſt calamitas prodere eam mentem, quæ, cum nō ſit uirtutum erudita diſciplina, unam uoluptatem, tamquam tibi famulandi cauſſam complexa eſt. Quapropter ſi tetigeris carnes eius, *in faciem benedixerit tibi*, hoc eſt aperte conſcindet te maledictis.

[a] Auguſt. in epiſt. 120. ad Honoratū, in qua de gratia agit noui teſtamenti. Nihil eſt, inquit, Animæ ſua carne propinquius; ideo mundi huius quamlibet magnus, perfectusq. contemptor cum alibi patitur, nihil patitur: & utitur hoc teſtimonio ex lib. Iob.

Dixit autem Dominus diabolo; Ecce trado tibi eum: tantum eius animam ſerua.

Theodotio uero: [a] Animam eius ne tetigeris. OLYMP. & CHRYS. Rurſus, benignus Deus, ſuos, qui corona digni ſunt, cum apud Angelos, atque homines apertos, & inſignes facere uelit, & id largitur diabolo, nempe; ut ipſi intelligamus, nihil ſine diuino permiſſu poſſe diabolum. Et huius quidem hæc erat uox. Tu tange carnes ipſius: ac ne carperet diabolus Deum, quòd cum clemẽtia ac moderatione uulnus impoſuiſſet, quod petebat diabolus, facere noluit. DIDYMI. Verum illius poteſtati rem omnem permiſit: Idq. ad noſtrum omnium utilitatem. Vt Iobus, character, formaq. fortitudinis tanquam in columna relinqueretur inſculptus, eſſetq. meta uirtutis, non ſolum illius ætatis hominibus, uerum etiam poſteris, qui a mentis præſtantia degeneraſſent. Quod profecto contigit. Ipſe athleta audiendus eſt, qui ait: Scio quod iuſtus apparebo. Dum dominus eum diabolo tamen tradit, inquit, *Tantum animam eius ſerua*. Quorum uerborum ea uidetur eſſe ſententia. Quoſdam ob eas cauſſas, abditasq. rationes, quas nouit Deus, in mentis furorem, inſaniamq. incidere uidemus. Quoniam igitur diabolus ad inſipientiam Iuſtum deducere nitebatur; ut uel repugnantem ad uerborum impietatem contorqueret. Idcirco, inquit Deus, Trado tibi, quem depopoſciſti; ut & eius magis teſtata ſit uirtus, & ipſe maiore pudore perfundare. Verũ enim mentis illi ſoporem, inſanitatemq. ne adferas: neque enim id tibi permittitur. Cum mentis ſanitate conſeruata, in malorum perpeſſione uirtus ſit ei oſtendenda. Quare, ut petiſti, carnes, oſſaq. eius tangito. OLYMP. Aut igitur hoc dicit; [b] Principem animi partem ne attinge, uerum in corporis cruciatibus animi pugnam experire. Aut certe, corporis illi facit poteſtatem; de eo tamen minime aſſentitur, ut cum corpore animam ſubducat; maxime quòd ex procreatione ac fœtu duplicata erant illi bona reſtituenda, & quæ perierant, reuocanda. CHRYS. Ac uide quemadmodum non dicit ſolum, animam eius ne tangas, ſed illud dumtaxat, *Animam eius obſerua*, ſcilicet magnum illi metum inijcit. Animæ, inquit, eius incolumitatem a te repoſcam. Nam, quia ueriſimile erat diabolum Iobo tanta perturbatione ualetudinis fore infeſtum, ut idem morbus ad corporis ſatis eſſet interitum, eaq. ſeſe diabolus exceptione tutatus eſſet, quòd animam minime attigiſſet; idcirco, Obſerua, inquit, ne quid in uitæ ratione patiatur. Etenim, ſi de medio eum

ſuſtuleris,

[a] Præclara eſt horum uerborum interpretatio apud D. Ambr. in 1. lib. de pænit. c. 13.

[b] Animi partem, quæ rationis, & intelligentiæ eſt particeps, perinde ut hoc loco Didymus intellexit Ioannes Caſſianus in collat. 7. cap. 12. & collat. 13. cap. 14.

ſuſtuleris,theatrum nobis non plaudet amplius. OLYMP. Rurſus ſimulachrũ hoc auteũ diaboli igne probat Deus : ſed moderatione tamẽ adhibita:nõ eo profectò,ut perſpiceret ipſe, quẽ cognitũ habebat:ſed ut diabolũ aperte refelleret,nobisq. uirũ tantum faceret inſignem:illudque. *Animam eius ſerua*, pro illo eſt,Diuinam imaginem ne attenta. Nec uero id Deus mandauit diabolo , ut in Iobi animi ſalute excubaret.Nã qui tandem hoſtẽ a bene merendi ſtudio ſuapte ſponte ac natura abhorrentẽ tuendæ animæ præfeciſſet?

Et egreſſus eſt diabolus a facie Domini.

Rurſus docemur eum, qui ad hominem adoriendum mentem conuertit, a facie Domini exire . Nullum eſt enim ſtudium improbum, quod non per ſe ipſum ſecernat a Deo ; præſertim cum nullum habeat cum probitate commercium.

Et percuſsit[a] Iob ulcere acerbo a pedibus uſq; ad caput.

CHRYSOST. Difficillimo eum,inquit,cruciatu affecit, lue,atque elephantiaſi corpus omne infecit, illudq. perfecit , ut ulcus eſſet unum , unaq. plaga corpus eius uniuerſum , quo coronati uictus athletæ ex omnibus corporis partibus eſſet illuſtrior;nec quidquã temperare ſibi poteſt improbitas,cum domeſtici, calamitoſisſimique uitij ſit quædam pernicies. POLYCHRON. Quadripartita ratio fuit calamitatis,quam diabolus Iob importauit. Nam in bonorum poſſesſione,in liberis, in exiſtimatione nominis , ad extremum in corpore ea uerſata eſt. Etenim iam opibus , ſeruis , liberisq. ſpoliatum, ulceris atrocitate multauit. Miſeranda & confectrix lues toto corpore effluebat; rerum omnium neceſſariarum, atque etiã eorum,qui ægrotantem curarent,penuria premebatur. Deprauatio illa & fęditas turpificati corporis ciuitate eiectum , foris collocarat.Nam qui contagione lepræ corrupti ſunt , e ceterorum conuictu extruduntur.Manu autem tetro cruore ſtillantia membra ideo non abſtergebat,ne nauſeam grauiorem cieret;ſed teſta ſaniem radebat, degebatq. ſub dio atq; in ſtercorum domicilio; tum;vt humanas uoces non exaudiret;tũ ut incorruptum ſpiritum e cęlo hauriret;uel etiam, quod eſt ad ueritatem propenſius ; ut maiore perpesſione doloris placatum Deum efficeret. Legendum autem eſt, *ulcere* πονήρῳ uoce acuta collocata in ſyllaba proxima poſtremæ,ut doloris acerbitas declaretur.

[a] *Percuſsionum uaria genera: uide apud Greg. in præfatione in Iob. c.9.& apud Greg. Nyſſenum in lib. de prouidentia ca 8.& apud Olympiodorũ in Hypotheſi in Iob.*

Et ſumpſit teſtam; ut ſaniem raderet: & ipſe ſedit in [1] ſterquilinio extra ciuitatem.

1 Aquila; intra cinerem. Symm. in cinere.

Apol. Aiunt nonulli elephantiaco eum morbo arreptum eſſe. Multa igitur tabe fluente ad acerbiores ciendos dolores redundãtem humorem teſta radebat, ſibiq. ipſe carnifex erat. Hebræus, pro illo, *vt ſaniem raderet*, habet, ſcalperet. Erat igitur in eo morbo Iobus. Neque caſus illos tentationes eſſe, ſed ſupplicia conſtituta diuinitus arbitrabatur. Idcirco a uulgi communione abſtractus. cum inuiſum ſe cunctis eſſe crederet, ſolitudinem delegit, in ſterquilinio, quod in cõſpectu urbis erat, conſidebat, Deumq. exorabat, ob ea fortaſſe, quæ per inſcitiam peccarat, cupiebatq. ſibi uindicem in his ſordibus iacenti fore propitium. Chrysost. Cur nec manibus, nec digitis ſaniem abſtergebat? Scilicet, ne curatio eſſet ſtomachoſior. Nam qui alios ad curandum idoneos reperiſſet, qui ſe ipſe curare non poterat? Ipſe ſui ipſius tortor erat, & carnifex, non latus perfodiens, ſed tanquam e fonte manantem tabẽ abſcindens, lutoq. inanimato animatum lutum radebat. Sed cur in ſterquilinio ſedebat? ut quæ e corpore decidebant, arenæ aceruo contegerentur. Cur ſub dio? ne odoris grauitate necaretur: quod profecto accidiſſet, ſi in aliquod cubiculum incluſus fuiſſet. Adde, quòd a tentante aduerſario nec fuerat illi domus relicta. Basil. Qui ſimul ut uidit, athletæ adiudicatam eſſe uictoriam; nec quidquam eum ſuperioribus rebus eſſe commotum, cum corpore certamen init, illudq. plagis intolerabilibus afflixit; ita prorſus ut ex eo uermium fontes redundarent, ac regio uirum illum ſolio deturbatum in ſtercorum domicilio collocauit. Verum hic noſter tot affectus incommodis, eandem ſemper animi intentionem, conſtãtiamq. adhibuit: cumq. corpus ipſum concerperetur, theſaurum pietatis tamquam aſylum in mẽtis receſſibus cuſtodiuit. Chris.[b] Grauis quidem illi accidit amiſſio liberorum: ſed tamen tragędiæ huic acerbæ, alia præſtolabatur atrocior; nec ulla data reſpirandi facultate, en tibi uermium fontes, tabifici humoris riuuli, ſeſſio in ſterquilinio, latus lacerans teſta, fœtor ulcerum, unde lues illa crũpebat; nec attingendi, qui oculis ſubiecti erant, cibos, poteſtas fiebat; ipſaq. peſte erat ille fętor moleſtior: idq. non duodecim, non uiginti, non centum dies, ſed multos menſes. Atque hæc ipſa, quæ a Iobo ſuppedditantur, exempla, ad mærentium ſolandos animos, haud mediocrem uim habent. Illa inquam uulnera, illud ſterquilinium quauis regali ſella ſplendidius. Siquidem e regij ſolii

b *Hæc ſumpta sũt ex Homi. 5. ad Populum Antioch.*

aſpectu

adſpectu præter leuẽ quamdam uoluptatem nihil præterea manet intuentibus; vtilitas nulla percipitur. Verum, qui Iobi ſterquiliniũ contemplatur, nullam aut utilitatis, aut philoſophiæ partem non aſſequitur, cum ad perferendam calamitatem certam adhortandi habeat rationem: ita multi longinquas ac maritimas ſuſcipiunt peregrinationes; ab ultimis terris in Arabiam properant; ut ſterquilinium illud uiſant, terramq. illam exoſculentur, quæ coronati athletæ caueam, & cruorem quolibet auro pretioſiorem excepit. Nec enim tantus eſt ſplendor purpuræ, quantus illius tunc erat corporis, non alieno, ſed ſuo ac proprio ſanguine reſperſi: illaque ulcera cunctis pretioſis lapidibus erant pretioſiora. Nam margaritarum ea natura eſt, ut noſtræ uitæ nihil præbeant utilitatis, nullique ſatisfaciant habentium neceſsitati: at uero uulnera illa ſunt omnis ægritudinis alleuamentum. Atque ut hæc uera eſſe intelligas; ſi quis filio legitimo & unico orbatus ſit, atque innumerabiles ei margaritas oſtenderis, nihil tamen ad leniendam ægritudinem, dolorisq. medendum attuleris. Quòd ſi Iobi ulcerum illi ipſi memoriam excitaris, facile hac oratione morbum depuleris. Quid homo mœres? nempe tu filium amiſiſti unum; beatus autem ille, poſtquam natorum omnium chorum extinctum uidit, ipſo corpore plagam excepit: nudatus iacebat in ſordibus; corpus ſanie manabat undique; artus tabe ſenſim depaſcente; atque is homo, qui iuſtitia ac religione commendatus eſt; qui ſuarum uirtutum teſtem Deum habuit. Hæc profecto uerba ſi dixeris, opploranti moleſtiam omnem exhauſeris. Vt iam illa Iuſti ulcera quibuslibet gemmis præſtent utilitate. Hunc igitur athletam ueſtris animis informate, illudq. ſordium domicilium ante oculos ponite; atque eum in medijs ſtercoribus reſidentem intuemini; illam inquam auream gemmeamq. ſtatuam; nec enim quo appellem nomine, ſatis inuenio. Nulla tanti pretij ſuppeditat materia, quæ cum cruento illo corpore conferri poſsit; adeo illius carnis pretioſa natura pretioſiſsimam quamq. materiem multis partibus uincit: adeo etiam illa ulcera ſunt ſolis radijs clariora. Illa diabolo oculos penitus eruerũt; atque ob id ipſum poſt eam inflictam plagam coniectus in fugam, poſtea nuſquam comparuit. Ipſe vero hic mihi ærumnarum fructum conſidera. Nam quando Iuſtus, opibus, animiq. quiete ac remiſsione fruebatur, illius accuſandi locus erat aliquis diabolo; poteratq. (mendaciter quidem) ſed poterat tamen dicere, ante gratis Iob colit? vbi vero cunctis illum rebus nudauit, atque ad ino-

piam redegit, ne hiſcere quidem amplius auſus eſt. Et uero quando opulentus erat, cum eo ſe congreſſurum pollicebatur, eundemque à ſe deiectum iri minitabatur: Poſtea uero quam omnibus eũ rebus ſpoliauit, atque in ſummos cruciatus coniecit, in fugam ſe contulit; & corpore quidem ualenti reſtitit; ubi uero membra dilaniauit, uictus profugit. Vidiſtine, quanto ſit frugi hominibus paupertas, quàm diuitię, morbus, quàm ualetudo, tẽtatio, quàm pacata uita tum melior, tum utilior? quantoq. illos, qui in puluere, acieq. uerſantur, clariores, fortioresq. efficiat? Quis adeo mirificas contentiones, aut uidit unquam, aut audiuit? Qui gladiatorum certamen experiuntur, ubi aduerſariorum caput præciderint, tunc ob uictoriam corona donantur. Iobi vero aduerſarius, ubi illius corpus conſcidit, atque omnis generis ulceribus perterebrauit, & languore confecit; tum demum ſuperatus eſt, fugæq. ſe dedit. Poſtquam autem latera vndique perfodit, ipſe quidem nullum quæſtum, lucrumue fecit; nec enim theſaurum obrutum prædari potuit: nobis uero illum in clariore luce collocauit, fecitq. ut nobis ex ea laterum effoſsione eſſet in uiri interiora proſpectus, illiusq. opes uniuerſas cerneremus. Cùm autem uictoriæ præſtolaretur, tunc cum ingenti dedecore aufugit, nullamq. uocem amplius emiſit. Quid actum eſt, o diabole? quid recedis? an non quæ cupiebas, ipſe effeciſti? an non illius greges, armenta boum, equorumq; mandras, ac mulorum intermiſti? an non cętum filiorum perdidiſti? an non illius artus laceraſti? cur aufugiſti? nimirum, inquit, quia quæ optabam, perfecta ſunt. Verũ quod mihi maxime cordi erat, & quo ſtudia actionesq. meas referebam omnes, haudquaquam conſecutum eſt. Nec enim Deo uocibus impijs conuiciatus eſt. Huc omnes illi conatus mei ſpectabant: quod ipſum cum minime fuerim aſſecutus, ex ipſa opum iactura, ex filiorum interitu, ex corporis plaga non modo nihil mihi lucri acceſsit, ſed contra etiam, quàm optabam, euenit. Illuſtriorem enim, inſigniorémq. hoſti gloriam comparaui. Animaduertiſti, quantum ſit in malorum perpeſsione compendij? Pulchrum & ſanum corpus erat; multo eſt ampliorem dignitatem adeptum, uulneribus illis infectum. Nam lanæ quoque tametſi pulchræ ſunt, prius quam ſufficiantur; ubi tamen colorem nactæ fuerint purpureum, pulchritudinem incredibilem, uenuſtatemq. haud mediocrem aſſequuntur. Niſi illum diſpoliaſſet, uictoris bonam habitudinem minime cognouiſſemus. Niſi corpus eius plagis perforaſſet, qui intus latebant radij, minime enituiſſent. Niſi eum

in fimo

in fimo collocauiſſet, tantum diuitiarum aceruum ignorauiſſemus. Neque enim tantus eſt regis ſplendor ſedentis in ſolio, quãtus Iobi fuit in ſterquilinio commorantis. Quandoquidem regalem ſellam mors excipit; illam autem ſtercorum ſedem regnum cœlorũ. Hanc propoſui hiſtoriam non ideo, ut, quæ expoſita ſunt, laudibus proſequamini: ſed ut uiri uirtutem patientiamq. imitemini: ut uel ipſis factis eruditi, nihil graue eſſe diſcatis in humanis rebus, uno excepto peccato; non paupertatem, non morbum, non contumeliam, non conuicium, non dedecus, non id, quod ſummum iudicatur malum, mortem. Nomina enim hæc ſunt apud ſapientes, malorum nomina inquam, re ipſa carentia.[a] Vera autem calamitas eſt apud Deum offendere, & eorum, quæ idem non probantur, quidpiã admittere. Eiusdem Chrysos. *Ad Olympiadem.*[b] Reſtat, ut recte facta, malorumq. perpeſsionem contendamus; ut diſcas perpeſſionibus etiam conſtituta eſſe præmia, atq; ampliora fortaſſe, quàm præclaris facinoribus. Et in medium, ſi placet, magnum patientiæ athletam, qui in utroque genere excelluit, adducamus; ut, quando in maiore fuerit claritate, cognoſcamus. Ex comparatione igitur uideamus, quo demum tempore illius uirtus magis eluxerit, utrum, quando communis quidam portus erat egentibus; an potius cum acerba, & quę eius animum graui conficiebant angore, pateretur; utrum, cum domum cunctis aduentantibus pateſaceret, an uero cum illa eiectus, nec uerbum quidem aſperius dixit, ſed Deum multo magis laudauit. Atqui illud recte factum, hoc uero perpeſsio. Dic mihi, quando is clarior fuit, utrum cum pro liberis mactabat hoſtias, illosq. ad concordiam adducebat, an potius, cum ij ruina oppreſsi eſſent, ac ui mortis acerbiſsima interijſſent; mira nihilominus ſapientiæ uirtute pertulit calamitatẽ? Quando is magis nobilitatus fuit, utrum cum agnorum ſuorum uellere nudorũ humeri concalefiebant; an uero, cum allato nuncio de cœleſti igne, quo grex ouium cum paſtoribus crematus eſt, non ſolum, nec perturbatus eſt, nec commotus, uerum etiam caſum placide tulit? Quando is maior fuit, utrum, cum corporis robore ad patrocinãdum ijs utebatur, qui afficiebantur iniuria, iniquorumq. molas cõterebat, portusq. erat iniuriam patientibus? an uero, cum ipſum illud corpus, quod calamitoſorum telum erat, a uermibus deuorari uidebat, illudq. in ſterquilinio ſedens ſumpta teſta radebat? Nam cum raderet, inquiebat. *Liquefacio glebas terræ ſanie*, [*Iob.*] & tamen illa omnia facinora erant egregia. Hę uero malorum omnium perpeſsiones, atque hæ multo magis, quàm illa hunc ipſum

a Quæ ſit uera calamitas.

b Quod nam pondus æſtimatione dignum mala habeãt, quæ Chriſti cauſſa perpetiuntur homines, habes apud Chryſoſtomũ in homil. 8. epiſt. ad Epheſ. in qua quidem homilia cũ omnia grauiter ſententioseque dicantur, tum eſt hoc a Chryſoſtomo pronunciatũ diuinitus.

αἱρετώτερον ἐμοὶ παθεῖν κακῶς ὑπὲρ τοῦ Χριστοῦ, ἢ τιμᾶσθαι παρὰ τοῦ Χριστοῦ. Τοῦτο μεγάλη τιμή: τοῦτο δόξα, ἢ πάντα ὑπερβάλλουσα.

Optabilius inquit, mihi eſt malis Chriſti cauſſa uexari, quàm a Chriſto honoribus affici id magnum habet honorem id gloriam cunctis rebus Excellentiorem.

 Iobum

Iobum illuſtrauit. Quod enim illi ad perpetiendum proponebatur, conflictus pars erat accerrima, animiq. uirtute ac robore maiore, menteq. ad ſolidam philoſophiam inſtituta, maioreq. erga Deum amore incenſa indigebat. Atque ob idipſum, cum præclaras illas actiones Iobus ſuſciperet, nihilominus dixit diabolus, impudenter ille quidem, nimiſq. efferate, ſed tamen dixit; Nunquid gratis te colit Iob? At uero cum hæc aduerſa contingerent, opertus ac terga uertens abſceſsit; nec umbræ quidem ueſtigio ad impudēter contradicendum aduerſario relicto. Verum huius uiri ſtudio prouectus, nō parum ab inſtituta oratione uidear declinaſſe. Ergo ad ea, quæ dicta ſunt, reuertar. Cuiuſmodi autem illa erant? POLY. Sedem extra urbem ſortitū eſſe in ſterquilinio ad atrocitatem malorum pertinere dicebamus. Ciuibus enim eius atque cognatis, calamitatis adſpectum, quaſi non amplius ferentibus, urbe egreſſus eſt, ut qui a mundo iam eſſet alienus. Sedebat autem in ſterquilinio, ut placaret Deum, ueritus nequid in eum, præter uoluntatem peccaſſet. Si igitur in uerbis hærendum ſit, hic Iob calamitate cogente, omni hominum ſocietate repudiata, ſe a mundo ſecernit, ab iiſq. ſe remouet, quę eidem negociū faceſſebant; idq. eo tempore, cum corporis afflicta ualetudo multorū egeret opera; tantumq. de aduerſario laborauit, ut ſua ſponte aſperrimam paupertatem cōplexus ſit, ac teſta ulcerum ſaniem detergens, tolerantiam exercuerit: in quo & cruciamentorum ſuorum morſus acriores efficiebat. Et cum leniendi morbi nullam rationem ducit, inuidum hoſtem deſperatione frangebat. Verum factum ipſum menti myſterium enūciat. Quòd enim cognatæ naturæ recognata præſtat obſequiū, [a] CHRISTVM præſignificabat, noſtra noſtris corrigentem & inſtaurantem. Teſta enim e terra conſtat & igni. Ita CHRISTI carnem ex Spiritu Sancto, & ex Maria Virgine, ac deipara eſſe confitemur. Ergo imagine illa ac typo non tam ulcus, quàm animus curatur. Quæ enim ab ea teſta corpori medicina petatur, niſi ad magis reconditam contemplationem factum illud referatur? Cur etiam tantam eſſet egeſtatem expertus, præſertim cum Rex eſſet, ut iam tecto careret, atque extra urbem ſederet; niſi CHRISTVM, qui extra portam paſſus eſt, prophetice nobis indicaret? Quemadmodum ſcriptum eſt, *Ideo & IESVS, ut ſanctificaret per proprium ſanguinem populum, extra portam paſſus eſt.* Heb. c. 13.

Iniurias illatas a diabolo Iobo gloriā, & uictoriam illi peperiſſe docet idem Chryſoſt. in 16. hom. epiſt. prioris ad Corint. in qua hom perſuadet, non eum qui facit, ſed qui accipit iniuriā, eſſe Victorem.

[a] Imitatus eſt Gregorius lib. 3 c. 11. moral. hanc Polychr. allegoriam, ſed paulo ſecus eſt eam perſecutus.

Iobus Rex.

Cum

Cum autem multum tempus proceſſiſſet, dixit ei vxor ſua; a Quouſque ſuſtinebis dicens; Ecce expecto tempus adhuc puſillum, præſtolans ſpei ſalutis meæ?

Basil. & Didym. Tot incurſionibus ac pugnis fractus diabolus, cum, quo ſe uerteret, non haberet in antiquę fraudis memoriam reddit; menteq́. mulierculæ circumuenta, illius opera conuellere adoritur nauiter dimicantem, & uxoris conſuetudinem tamquam tertium certamen comparat contra Iobum, ratus, patrocinãte uxore, non ſecus in fraudem a ſe inductum iri Iobum, quàm per Euam Adamum induxerat. Igitur, cum multum temporis fluxiſſet, in quo ad pietatis turrim quatiendam inanis eius fuit omnis conatus, uerborũ contumelia, atque contemptu coniugem armat. Olymp. Is quidem egeſtatem, acerbosq́. caſus diu toleranter tulerat, ſibiq́. ipſe huiuſmodi oratione conſolationem adhibebat: Ferendum eſt uiriliter; mentis conſtantia adhibenda; a Deo auxilium expectandum; neque enim in opitulando hisq́. malis depellendis cunctatur Deus. Verum, cum iam uxor in calamitatibus animum contraxiſſet, ad munitiſsimum murum exturbandum tamquã poſtrema machina eſt a diabolo reſeruata; quandoquidem poſt diuturnam aduerſus Iuſtum oppugnationem, uxoris utitur imbecillitate, ipſamq́. contra eum armis inſtruit; quod ipſum alias in eum fecerat aduerſus Adamum. Illa igitur, cum rerum acerbitati iam ſuccubuiſſet, ſpiritu diabolico imbuta, ad huiuſmodi uerba delapſa eſt. Ac principio perſuadere conatur, eius in Deum ſpes prorſus eſſe inanes; a præteriti temporis diuturnitate ad probationem futuri ducto argumento; deinde, quæ mox ſequuntur, adiungit. Ac uide, quàm improba calliditate utatur diabolus. Nã, poſtquam multum temporis abijt, tunc inuadit, tunc maxime ſpei rationes refellit; tunc uires conatur elidere. Duplici enim imbecillitate eo tempore Iobus laborare uidebatur. Nam longinquitate temporis corpore factus erat deterior, & imbecillior, & ſpes haud parum extenuari poſſe uidebatur. Neque illud ſpectemus, quòd uxor fuit, ſed illud potius, quod ſuadet. Cunctisq́. ſum auctor, non ut hominum dignitates & ora, ſed multo maxime ut conſilij rationẽ intueantur. Vxor enim data eſt, non quæ uirum ad exitium impelleret, ſed quæ laboranti ſubueniret. Theologi. Hanc etiam tunc aduerſarius in ſtrenuum militem incitauit. Ea uero cum plenum doli ſit inſtrumentum, fraudulenta oratione uirum aggreditur. Chrysostomi. At ille, cum longius traheretur contentio, nouis

rurſus

a Proxima pars huius interpretationis extat in 28. hom. prioris epiſt. ad Cor. in qua homelia reperitur expoſitio omnium uerborũ, quæ uſurpauit vxor Iobi.

b Conſequentẽ orationem, qua Iobum uxor ad impie obtrectandum Deo conatur impellere ad ſcripturarum diuinam auctoritatem, quas a ſeptuaginta interpretibus accepit Eccleſia, pertinere docet Origenes in epiſt. ad Iulium Africanum: nec non tamquam Sacræ Scripturæ uerba interpretantur Baſilius, Greg. Naz. Chryſoſto. Didymus, Olympiodorus, Apollinarius, Theophylus Alexandrinus Origenes.

ſurſus coronis, ob uerba ad coniugem redimitur. Ex illa rerum omnium, fortunarum, liberorum, & corporis ruina uxor ei ſola relicta eſt, atque hæc ipſa ad oppugnandum atque inſidiandum ; eaq. de cauſſa illam una cum filijs diabolus non extinxit, neque eiuſdem interitum popoſcit. Ad Iuſto enim parandas inſidias haud paruum ab ea auxilium exſpectabat. Idcirco eam tãquam certiſsimum telum reſeruauit. Si enim ex paradiſo, inquit, cum mulieris ope exturbaui, multo magis in ſtercoris aceruo euertere potero. Ac uide ſceleratum artificium. Nec enim poſt boum, aſinorum, ac camelorum greges abactos, neq; poſt euerſam domum, neque poſt obrutos liberos, machinam hanc ille adhibet, ſed interim ſilet, & quieſcit oculis in unum athletam coniectis. Cum autem uermium fontes redundarent; & tabe corrupta cutis decideret; & conſumpti artus ſaniem cum tetro odore emitterent; manusq. dæmonis acerbiore ſenſu doloris quàm quælibet ſartago, fornax, & quæuis flamma eum abſumeret; & qualibet fera immanius undique corpus circumroderet, ac deuoraret: atque ea calamitate perdiu conflictaretur, tunc demum homini languore corporis & pugnandi labore confecto machinam illam admouit. Etenim, ſi, cum primum illatum eſt ei malum, machina prodiſſet, eum tam infirmis uiribus minime offendiſſet; neque ipſa mulier uim calamitatis efferre uerbis & exaggerare tantopere potuiſſet. Nunc autem, ubi eum lõginqui temporis pertæſum, malorum calamitate liberari uelle animaduertit, nimirum accedit. Iam enim uehementi oppugnatione defatigatus erat; nec ulla ei facultas erat reſpirandi; quin etiã mortem ipſam libenti animo oppetiuiſſet. Audi, quid dicat. *Si enim poſſem mihi ipſi manus afferre, aut rogare alium, & hoc mihi faceret.* Ac mulieris conſidera cum ſcelere coniunctam calliditatem, quemadmodum a temporis diuturnitate ſtatim ducat exordium. *Quouſque ſuſtinebis?* inquit. Quòd ſi nudis uerbis, remotis rebus, mollimur, interdum: tuie cogita, quid eum paſſum tunc eſſe uериſimile eſt, cum his uerbis ac rebus ipſis torqueretur; & quod peius eſt, cum hæc ipſa ab uxore dicerentur, atque ab ea vxore, cuius animus reciderat, ac deſperatione fractus erat; idq. agebat, ut in eamdem deſperationem uirum coniiceret. Sed nimirũ, ut quæ machina adamantino muro admota ſit, apertius cognoſcamus, uerba ipſa audiamus. Cuius tandem modi illa ſunt? *Quouſque ſuſtinebis, dicens, ecce præſtolor tempus adhuc puſillum, exſpectans ſpem ſalutis meæ?* Tempus, inquit, ipſum, tua uerba refellit, quod cum ſit iam diuturnum, mala tamen ipſa non tollit; hæc autem nõ eo tantum loquebatur,

Iobi 30.

batur,

batur, ut eius animum deſperatione occuparet; ſed etiam ut eum conuicijs meledictiſq. inſectaretur. Etenim eam Iobus moleſtiam exhibentem ſępè conſolatus erat, atque his uerbis repulerat. Expecta etiam paulisper; nam breui tempore erit exitus malorum. Conuicium ergo illi faciens, inquit; An etiam nunc idipſum dicturus es? Multum fluxit temporis, cum nullus harum rerum finis oſtenditur. Quid o mulier, athletam eneruas? quid manus contrahis? nempe dicendum erat; Etiam paululum. Atque perditum artificiũ perſpice; neque enim meminit, aut boum, aut ouium, aut camelorum. Sciebat enim harum rerum amiſſione haud magnopere illius animum exulceratum eſſe. Ad naturam ſtatim properat, ac filios reuocat in memoriam; ſiquidem in eorum ruina tunicam illum diſcidiſſe, comamq. totondiſſe uidit; nec dixit, filij occiderunt, ſed nimium pathetice.

Ecce enim deleta eſt memoria tui a terra.

Et idcirco liberi appetuntur. Principio enim ideo expetebantur filij, ut ſui quiſque memoriam ſuæq. uitæ quaſi reliquias poſteris traderet. Quia enim nondum mortalibus illis ſpes fulſerat reſurrectionis; uerum mors dominabatur; & una cum uita hac, qui moriebantur, extingui ſe arbitrabantur, ideo ijs liberos, qui ſolatio eſſent, conceſſit Deus; quo uiuæ imagines morientium permanerent, eſſetq. genus noſtrum incolume, maximumq. morituris, & ijs, qui ad eos pertinerent, ſolatium proles adferret. Atque ut intelligas; uel ob hanc unam rem optabilem prolem fuiſſe, audi quid poſt tam multas & inexplicabiles plagas apud Iobum coniũx
1.Reg. lamentetur. *Ecce deleta eſt*, inquit, *memoria tui a terra*. Ac rurſus
c.24. Saul ad Dauid *Iura mihi, ut non deleas ſemen meum, & nomen meum poſt me*. Etenim, ſi nunc in teſtatę reſurrectionis luce, ita cari ſunt filij, ut eorum, qui decedunt, poſteritati prodatur memoria, quanto tunc magis expetitos fuiſſe credendum eſt? Atque hac de cauſſa aſperior eſt imprecatio. Nam illis quoque temporibus qui proli male precabatur, non aiebat; Exterminentur liberi: ſed, memoria eius a terra.

Filij & filiæ.

Cum dixiſſet memoria, nunc vtriuſque ſexus naturam exequitur diligenter. Non filius, inquit, non filia ſuperauit, qui propagatione memoriam tuerentur, ac ſi diceret. Quamuis ipſe conſaneſcas, inanis tibi uoluptas erit ex ualetudine, extinctis liberis. Priſci enim illi

illi ſpem omnem perpetuitatis in ſucceſsione liberorum poſitam habebant, futuramq. promiſſionem mortali reſurrectione æmulabantur. Tacuit illa de ouibus, de pecoribus. Alia enim & exaggerata eum mente eſſe haud ignorabat. Quod cum poterat percellere maxime, id ſuggerit. Quam operiris, inquit, rerum commutationem? Vtrum ſublatos funditus liberos credibile eſt aliquando redituros? Prolis expers, orbatus filijs, relicto prorſus nullo, euulſus es radicitus. Quòd ſi ne hoc quidem te tangit; id ſaltem, quod meum eſt, attende. Ac uide uim affectus incredibilem.

a Didymi eſt hæc interpretatio in Cat. Vinc. Pinel.

[a] *Vteri mei dolores & labores, quos fruſtra ſuſtinui cum gemitibus.*

Dolores partus ſunt uidelicet labores educationis. Quod autẽ dicit eſt huiuſmodi. Ipſa, quæ plus ſuſcepi moleſtiæ, iniuria ſum tua cauſſa affecta; ac labores quidem pertuli, fructu autem priuata ſum. Hæc uero propterea loquitur; ut ſe quoque conſortem calamitatis teſtetur. Nam, qui in malis alienis philoſophatur, dando conſilio, fidem nequaquam facere uidetur. Illa igitur ſuam ſemper perſonam obtrudens, cum ſingulis uerbis, quaſi iaculis configit; ut liberorum recordatione, ſuæq. ærumnæ commemoratione iuſtũ uocet ad impatientiam. Cur, inquit, id quod adeſt, contemnis, teque ipſum futuri temporis exſpectatione fruſtra confirmas, cum liberis ac domo careas, nudusq. contabeſcas?

Tu autem ipſe.

CHRYSOST. Vis magna hæc uerborum. Ipſe ille Iuſtus, ille admirabilis, ille fons nobis bonorum.

In putredine uermium ſedes pernoctans ſub dio.

Vide quemadmodum iacturam bonorum, nec commemoret, nec ſileat, & ea, quà decebat, ratione prætermittat, & quo par erat affectu ſignificare, prorſus indicet. Dum autem addit.

Et ego oberrans quædam & ancilla de loco ad locum circumiens, & de domo ad domum.

Et hæc accepti damni ſingnificationem habent, cum uehementis calamitatis affectu coniunctam. Satis enim ea uerba per ſe ipſa ualent ad acuendum cruciatum. Ad alienas ianuas, inquit, uentito.

b Vxor Iobi Regina.

BASILII. Ipſa, quæ erã Regina,[b] ut uaga nunc ancilla ſeruio; ſeruorumq. meorum manus cogor reſpicere: & quæ olim multos benigne

gne alebam, uiuere nunc cogor de alieno. CHRYSOST. Nec ſtipem modo cogo, uerum etiam oberro, ac nouam, inuſitatamq́. ſeruio ſeruitutem, omnia circumcurſans, ac notas circumferens calamitatis, cunctisq́. mea mala oſtentans, dum loco locum commuto; & cibi quotidiani cauſſa fores pulſo; quæ tantos ſumptus faciundi, ante nacta eram facultatem. Quaſi diceret. Non ſolum natos nominis noſtri ſegetem amiſimus; non ſolum ipſe tot uexaris ęrũnis; uerum etiam inopiam grauiſsimam ſuſtinemus, ac ius mercenariorum pro uictu delegimus, ipſi, qui noſtra adeo large egentibus præbebamus. Quamquam ego ipſa neque ſeruitute tueri me commode poſſum, cum ne domus quidem ſuppeditet una ad paupertatis turpitudinem obtegendam. Verũ mendica, addictaq́. ſeruituti hac illac uolito. Viden quemadmodum ſuas cum illius rebus coniungat? Non ualent, inquit, tua: uincãt mea. OLYMPIOD. Hæc omnia diuino permiſſu eueniebant; ut, cum oppugnat Iobũ diabolus, atque ea, quæ ſibi permiſſa ſunt, perſequitur, eumdem cunctis certaminibus iam defunctum uictorem corona dignum oſtendat. Atque ob idipſum neque vxorem eius quiſquam miſerabatur; nec quiſquã ſuperioris, in qua ipſa fuit, felicitatis repetita memoria, eius ſolabatur mendicitatem. Quandoquidem non ſinebat hoſtis, ut illi quiſpiam miſericordiam impertiretur: quam etiam mercede locauit: id enim uerbum, *ancilla*, declarat obſequij indigentibus illam famulatam eſſe, ad ſuam, ſuiq́. uiri uitam ſuſtinendam. CHRYS. Poſtquam, quod eſt ceteris rebus miſerabilius, expoſuit, de domo in domum ſe migrare, ne finem hic faciat lamentis, addit.

Expectans Solem, quando occidat, ut requieſcam a laboribus & doloribus, qui me urgent.

CHRYS. Quod alijs iucundum eſt, inquit, Solis radios intueri; id mihi eſt acerbum, nox optabilis, ac tenebræ. Illa mihi ſudorum requietem largitur; ea mihi ſolatium adfert malorum. Tum demum conſolatur me dies, liberatq́. moleſtijs, cum Solem urget ad occaſum. Nox enim, cum in tenebris diuerſorium habeat conſtitutum, ſua ſponte obſequitur improbitati. Proinde mulier, remiſſo nuncio calamitatibus, furore dæmonis concitata, hanc unam ſuadet Iuſto ſupereſſe liberationem malorum. Si corpus intereat. Id autem poſſe illum conſequi, ſi contumelioſis uerbis Deum laceſſat; atque ad afferendam necem illum ipſum prouocet. Flagitioſa autem & callida arte conſilium explicat; cum ex ſuis, ac uiri cala-

mitati-

mitatibus comparat orationem. Eo partus, inquit, dolores experta ſum, eo in educanda prole laboraui; ut tui memoria, uidelicet in liberis relinqueretur. Huius rei ſpes omnis euanuit, mares, ac fœminæ una occiderunt. Ad quem mihi in poſterum perfugium erit? ad tene ipſum totius calamitatis parentem uermibus redundantem? egentem? abiectum? num ad me confugiam miseram? incertis ſedibus uagantem? ex tam magna felicitate ad operæ locationem deductam? totius diei doloribus, difficultatibusq. exagitatam? Quod ſi mihi quidquam credis, dic uerbum aliquod in Deum: ira eum incita ad te interimendum. Vnum enim hoc eſt relictum, malorum remedium. Ita ſubiungit.

Dic uerbum contra Deum: & morere.

CHRYS. Hoc item loco ſceleratam fraudem animaduertiſti? Nec enim ſtatim mortem ei ſuadet. Verum calamitatibus prius miſerabiliter expoſitis, ac breuiter recitata tragœdia, inſtruit adhortationem, non quidem aperte, ſed recte, liberatione, quā ille optabat, maxime propoſita; exitumq. pollicetur malorum, quod is cupiebat in primis. Atque hic etiam diaboli plenum fraudis artificium cognoſce; qui, cum flagrans Iobi erga Deum ſtudium præclare teneret, haud ſinit vxorem accuſationem contra Deum factitare, ut eam tāquam aduerſariam non ſtatim auerſaretur. Ideo nuſquam Dei mentionem facit; calamitates tantum ſemper miſcet. Tu uero cum dicitur, mulierem conſilium hoc meditatam eſſe, adde, Quæ præſtigijs eloquentiæ ad fallendum eos qui ſibi non cauent, ualet plurimum. Quocirca multi, qui calamitatibus obrui nequierunt, mulierum conſilio oppreſsi ſunt. Itemq. hoc loco diabolus mulierem tamquam poſtremam machinam, ſuperioribus longe præſtantiorem admouet Iuſto. Quod utinam aut eam, o ſceleſte, ſubmouiſſes, aut una cum filijs euertiſſes. Aiunt nonnulli non vxoris ea uerba fuiſſe, ſed diabolum eius ſimilitudinē, imaginemq. exprimentem, eadem locutum eſſe: quòd credibile non ſit Iobi uxorem eiuſmodi extitiſſe, niſi quiſpiam dixerit, calamitatis magnitudine, ut talis eſſet, circumuentam fuiſſe. Eſt item uerisimile, non hoc primū cōſilium ab ea adhibitum eſſe; ſed alia multo aſperiora Iuſtum ab ipſa illa ſæpenumero audiuiſſe. Ac diaboli cognoſce nequitiam. Nam Euæ cogitationem ſuſcepit. Mulier, principem, inquit, hominem deiecit. Hæc igitur hunc etiam ſuperare poterit. Verum o te dementem: In illo, cum inani uentre eum offendiſſet, potuit uirus ſpargere ſuum: huc autem & philoſophātem

tem uides,& communi natura longe ſuperiorem: quem nec bonorum amiſsio; nec immatura mors liberorum; neque cruciatus intolerabilis, nec temporis diuturnitas flexit. Hunc igitur, qui rebus uinci non potuit, uerbis expugnare te poſſe confidis? ſed nimirum mulier poſt accuratam tragędiæ narrationem, impudens conſilium obtrudit. Neque uero enucleate dicit, blaſphema. Nam qui ſuadent improba, haud ſolent perſpicuam adhibere adhortationem. Quid ais, mulier? Cum neceſſe ſit Deum exorare, cum neceſſe ſit eum placatum efficere; ad eumdem laceſſendum me hortaris? Etenim, ſi horum omnium Deus eſt Auctor, implorandus eſt, non conuicijs inceſſendus. Et uero qui ſcis, me, ubi maledixero moriturum? APOLINARII. Affinitate hæc attingit diabolum, quæ hac oratione ſpem uiro præcidere conatur; Blaſphemia mortem laceſſe. Id autem ei conſilij dat, quòd exiſtimabat, quemadmodum ob præclaras, honeſtasq. actiones Iob maneret in uita; ita ob uerborum impietatem omnino a Deo multatum iri; ſiquidem mortem acerbæ uitæ illa anteponebat. Tu uero, quæ de blaſphemia fuerit mulieri ſententia, cognoſce. Blaſphemiam enim ſolam idoneam eſſe ſtatuebat, quæ ſubitam necem adferret. IVLIANI. Quidam defendendæ mulieris partes ſuſcipiunt, quòd ea tamquã religioſa, & quæ ab illo olim erudita fuerat, ſuaderet uiro, ut precibus ad ſe mortem alliceret; Ne forte aliqui illius calamitate offenſi, de eo improbe loquerentur; eaq. re a Iobo muliebrem uxoris amentiam, non impietatem condemnatam eſſe. Verum id mihi non probatur; ipſamq. expoſitionem improbo. BASIL. Ob temporis diuturnitatem ſpe prorſus abiecta calamitatibus ſuccumbẽs vxor, manus collidens, ac uiro pietatis fructus exprobans, ſiſtit ſe Iuſto, ſuperioreq. felicitate expoſita, præſentia mala demonſtrat; & ex quo ad quale uitæ genus demigrarit: & quæ a Domino tot uictimatum ei merces fuerit perſoluta, oſtendit; ſemperq. mulierũ puſillo animo digna uerba eructat, quæ quidem poſsint vnumquemque uirum permouere, generoſamq. animi uirtutem detorquere. Nec uero obſcure uiro ſuadebat rectius futurum illi, ſi uerborum impietate Dei mucronem, qui illum excindat e terra, exacuerit; quàm ſi malorum tolerantia, certaminum grauem moleſtiam, tum ſibi, tum coniugi produxerit.

Is autem intuens in eam, dixit. Quaſi una ſtultarum mulierum locuta es.

BASIL. & CHRYS. Cum ea uerba ſtomachum Iobo mouiſ-

ſent,

ſent, (id quod ſuperiora mala facere minime potuerunt) pleno iracundiæ uultu, truciq. aſpectu, ad uxorem conuertitur: & quæ contra ſe ab illius uocibus comparabantur, machinas depellit. Illa quidem certe exſpectabat, dum lachrymarum fontes cieret; hic autem leone ualentior extitit, cum non ob ea, quæ patiebatur mala: ſed propter illa, quæ coniux impulſu dæmonis ſuadebat, indignatione atque iracundia uehementius commoueretur: ac uultu offenſionem animi præ ſe ferente illam moderate obiurgat: quandoquidem in ærumna moderationem tuebatur. Quid tandem is loquitur quamobrem tanquam *de ſtultis mulieribus una locuta es*? haudquaquam ita ex mihi ipſa inſtituta, non ita es a me educata, ut non te iam coniugem meam poſsim agnoſcere. Verba enim iſthæc mulieris ſunt inſanientis, eſtq. conſilium plane delirantis. Mitte, igitur, inquit, mulier conſilium iſtud tuum: quamdiu ſermonibus iſtis communi uitæ contumeliam inures? meã (quod ipſum optaui nũquam) ementita es educationem. Cum iſta ratione locuta es, item uitam, iniuria affeciſti meam: nunc mei dimidiũ impietate obligari puto; quando ius connubij corpus unum nos ambos effecit: tu uero animum blaſphemiæ crimine obſtrinxiſti: Vidiſtin, moderatam pęnam, & flagra, quæ ad ſanandum morbũ poſsint eſſe ſatis? haud dixit, ſtulta es, atque amens. Sed quid? *Quaſi una ſtultarum mulierum locuta es.* Id eſt, Nibil te,[a] nihil inſtitutione, diſciplinaq. mea, dignum attuliſti. Deinde poſt obiurgationem conſilium rurſus uſurpat, quod cum plenum rationis ſit, ad vxoris animum leniendum haud mediocriter ualet.

[a] *Id eſt nihil te etc. eſt item Apollinarij in Cat. Vinc. Pinelli.*

Si bona ſuſcepimus de manu Domini; mala non ſuſtinebimus?

CHRYSOST. Rerum ſuperiorum ueniat tibi in mentem; & quis earum fuerit auctor cogita, atque has, quæ nunc nos premunt, fortiter feres. Vtrum uiri modeſtiam animaduertiſti? Neque enim uirtuti ſuæ adſcribit perpeſsionem malorum; uerum ex ipſa rerum conſecutione naſci confirmat. Etenim cuius demum rei cauſſa illa nobis Deus fuerat elargitus? quam nobis mercedem perſoluit? nullam: ſua tantum benignitate eſt uſus. Donum fuerunt illa, non merces, gratia, non compenſatio. Ergo hæc item conſtanter toleremus. In memoriam redi eorum, quæ te antegreſſa ſunt, bonorum, aduerſa ſecundis emetire. Nullius hominis uita vſquequaque beata; belle uſque habere, proſpereq. agere ſemper, id unius Dei eſt. Ipſa propter ea, quæ præſentia ſunt, indoles; rebus ſuperioribus te ſolare.

ſolare. Nunc quidem lacrymaris, uerum antea riſiſti; nunc mendicitate urgeris, ſed antea locuples fuiſtiſe nitido uitæ riuulo bibiſti, e turbido nunc cum haurias, ferendum tibi eſt placide. Nec enim ſemper fluuiorum aquæ ſynceræ. Fluuius, quod te ipſam minime fugit, eſt uita noſtra, quæ quidem continenter fluit, in quam uiciſsim ſibi ſuccedentes, fluctus incurrunt: & illius pars quidē iam fluxit, pars uero labitur; itemq. partim iam erupit e fonte, pars uero alia manabit. Ac cuncti ad communem mortis Oceanum properamus. *Si bona ſuſcepimus de manu Domini, mala non ſuſtinebimus?* Itane uero cogendus erit Iudex, ut paria nobis tribuat in perpetuum? Vtrum docendus nobis erit Deus, quemadmodum uitæ is noſtræ debeat moderari? Nempe ſuorum ſuffragiorum habet ipſe poteſtatem, ſuo arbitratu noſtra diſpenſat, ſapiens eſt, & quod e re eſt ſuorum ſeruorum, adhibita moderatione, procurat. Ne curioſius Domini iudicium ſcrutare. Tātummodo, quæ ab eius proficiſcuntur ſapientia, libenter amplectere. Quod tandem tibi cumq. dederit, id ouanti ſtudio complectere. In aſperis, ac duris oſtende iucunda, atque grata te antea accepiſſe. Hac Iobus oratione diaboli incurſionem, atque impetum inanem fecit, eumq. acceptę cladis ſumma infamia notauit. Ipſo oris uultu, quantum odio exardeſceret in uitium, præſetulit. Eorum enim, quæ latent in receſſu, ſnapte ui delator eſt oculus, & qui improbi dæmonis irruptionem placate, ſapienterq. tulit, is adhortationem ad ſcelus ferre non potuit, facinoroſam illam auditionem ratus acerbiorem, quàm ea tela, quæ in corpore hærebant infixa. Quin etiam uxorem increpauit. Quemadmodum enim curationem libenti animo admittimus, ſic diſciplinam moderate feramus. *Bona* enim dicit, quę delectant; *Mala* uero, tentationes. Illud uero. *Sicut vna ſtultarum locuta es*, quidam ad Euam retulerunt. Illam, inquit, imitata es, illam, quæ nube peccati prima cooperta eſt; illam, quæ conſiliis haud diſsimilibus, illum, qui Dei imagine ornatus, omniq. uitio liber erat, circumuenit. DIONYSII, & ALEXANDRI. Ignorabat enim illa multiplex & captioſum ſerpentis conſilium, eiuſq. agreſtem, & efferatam calliditatem, ob quam non hominibus prudentior appellatus eſt, cum, nec iuſtis hominibus iniuſtus; nec Dei aſſeſſoribus apoſtata poſsit eſſe prudentior. Quòd ſi cęno, lateritioq. opere quaſi præſtigiis ſtultos atque amentes decipit, hi iure optimo numerentur in belluis, quibus ſolis is eſt ſapientior nuncupatus. Erat etiam tunc imperfectus, qui ab illo primus in fraudem inductus eſt Adam, qui in animam tantum erat uiuentem, nondum

I factus

factus in ſpiritum uiuificantem, eius item coſta in mulierem ædificata. Ita nec hominibus, nec Angelis ſapientia antecellit, qui enim? cum eſſet ab iis afficiendus ludibrio, atque eludendus; neque ab ijs ſolum, uerum etiam ab ijs, qui in terris ad Angelorũ naturam proxime acceſsiſſent, qualis Iob fuit, qui, & illum uicit, & vtrinque debellauit. Nam neque in magna rerum externarum facultate, atq; felicitate ſuccubuit aduerſario: immo uero Deo teſte, ab omni querela & culpa uacuus perſtitit, neque ob uim morbi intolerabilem, uulnerisq. atrocitatem, artus omnes permeantis eidem conceſsit: ſed potius ex cunctorum malorum tolerantia, & abſoluta, quædam erga Iobum Dei prouidentia, & ſua ipſius uirtus clarior eluxit, ſuumq. aduerſarium, tamquam munus honorarium, ac præ-
Iob. cap. 40. mium ſibi uendicauit. *(Accipies,* inquit, *ipſum ſeruum ſempiternum)* iocabaturq. cum eo, tamquam cum auicula. Etiamne cupis ipſe certaminibus nobilitari? Exerce te in palæſtra; ærumnoſos dolores, qui animo obuerſantur tuo, fer fortiter; ut corporis item poſsis. Etenim, ſi antequam cum diabolo certamen Iobus iniit, non animum exercuiſſet, non tantopere ex contentionibus clarus, ac nobilitatus fuiſſet. Si mentem ab omni ægritudine abduxiſſet, audacius uerbum aliquod extinctis liberis uſurpaſſet. Nunc autem aduerſus cuncta certamina, aduerſus bonorum amiſsionem, tantarumq. opum euerſionem, aduerſus liberorum extinctionem, aduerſus coniugis condoleſcentis affectum, aduerſus corporis flagra, aduerſus probra amicorum, aduerſus ſeruorum contumelias inuictum animum præſtitit. Ac ſi illius gymnaſia, diſciplinæq. exercitationem cupis intueri, ipſum audi his uerbis pecunias contemnentem. *Si lætatus ſum cum mihi multæ eſſent diuitiæ; ſi aurum cõ-*
Iob. cap. 31. *ſtitui in terra; & ſi in lapide precioſo fiduciam poſui.* Quapropter neque harum rerum direptio illius mentem perturbauit; quandoquidem, nec, cum adeſſent quidem, eas adamabat. Audi nunc de ratione gubernandorũ liberorum: quos ipſos non modo contra quàm decebat, non emolliebat; ſed etiam ſeueræ diſciplinæ omnem ab iis rationem repoſcebat. Nam qui pro occultis ſacrificia faciebat, tute cogita, quàm ſeuerus earum rerum, quæ eminent & ſunt in conſpectu, iudex fuerit. Quòd ſi aues de continentiæ certaminibus etiã audire, illum ipſum dicentem attende. *Pactum pepigi,* inquit, *cum*
Iob. cap. 31. *electis oculis meis, non contemplari mulierem.* Atque ideo uxor illius animum diſtorquere non potuit. Nam illam antea etiam diligebat; uerum non effuſe, ſed potius quemadmodum uxorem diligi par erat. Quo etiam mihi admirabilius uideri ſolet, qui tã-

dem in mentem diabolo uenire potuerit, ut cum eo contentiones ſuſciperet, cuius exercitata ſtudia minime ignoraret? Qui ergo in eam eſt diabolus cogitationem ingreſſus? Nimirum bellua eſt improba; nec ſpem abiicit aliquando. Id quod ad noſtri damnationē permagni intereſt. Nec enim is umquam de noſtra ruina deſperat; ipſi potius ſaluti noſtræ diffidimus. Sed, quemadmodum laniatū corporis, ac perniciem meditatus fuerit, attende. Quia igitur nihil eiuſmodi Iobum aliquando paſſum eſſe cognouerat, qui uitam opibus, delicijs, cunctaq. gloria affluentem, dum experiebatur alienas calamitates, ſecundum quietem tamen uidebat; idq. ſignifi-
Iob. c.3. cansaiebat, *Timor, quem timebam, uenit mihi.* Et rurſus. *Ego ſuper omni impotente planxi & ſuſpiraui.* *Iob. cap.30.* Ideo nihil eorum, quæ acciderunt, illum commouerunt; licet eſſent illa grauia, atque intolerabilia. Nec mihi fortunarum ruinam conſideres; non liberorum interitum; non ulcus illud inſanabile; non coniugis inſidias. Verum illa ſpecta, quæ multo ſunt his acerbiora. Inquies, quid tandē Iobus magis calamitoſum perpeſſus eſt? Nā præter ea, quę commemorata ſunt, nihil prodit hiſtoria. Quoniā ipſi dormitamus, plura ac maiora nō diſcimus. Verū qui curā ſuſcipit, diligenterq. margaritā ſcrutatur, multo his plura cognoſcet. Alia enim quædā erant grauiora, quæ perturbare eum poterant uehementius. Primum de cœleſti Regno ac reſurrectione nihil accepiſſe perſpicui, id quod lamentans inquiebat. * *Non enim in ſæculum uiuam, ut toleranter feram:* Secundum, multorum recte factorum ſibi conſcium eſſe: Tertium nullius rei flagitioſæ conſcientia premi: Quartum, a Deo immitti illa exiſtimare; & quamuis crederet a diabolo; uel hoc unum haud mediocrem habere poterat offenſionem: Quinctum, uoces audire amicorum, ei crimina per calumniam exprobrantiū; Nec enim flagris aiebant, quæ peccatis eſſent digna, male acceptus es: Sextum eos, quorum uita erat facinoroſa, iucunda fruentes uita intueri: Septimum exemplum eorum, qui in huiuſmodi calamitatibus fuiſſent antea, prorſus nullum habere. Quòd ſi, quanta ſint hæc, ſcire aues, noſtratia reputa. Nam, ſi his temporibus, in quibus cœleſte Regnum exſpectatur, ac reſurrectio ſperatur, & reconditorum bonorum ſpes allata eſt; totq. malorum conſcientia ipſi ſtimulamur; & tantam exemplorum copiam habemus, tantęq. philoſophiæ participes ſumus; nihilominus, ſi perpatum auri amiſerint nonnulli (quod etiam ſæpenumero rapina faciunt ſuum) uitam hanc non amplius ſibi uitam eſſe arbitrantur; quamuis non immineat uxor; quamuis non abrepti ſint liberi; quamuis non cō-

* E maiorum diſciplina nil fortaſſe certi Iobus de reſurrectione, acceperat: ſed tamen etiam huius rei, & cęleſtis Regni haud obſcuram notitiam e diuinis fontibus hauſerat.

uicia faciant amici; quamuis non inſultent ſerui; immo uero quã-
uis multi ſint, qui conſolantur partim uerbis, partim rebus ipſis,
ægritudinem lenientes: quot igitur laureis is dignus fuerit, qui rẽ
ſuam honeſtis ſibi rationibus partam, omnino, nec iure ullo, uidit
abreptam? qui poſt fortunarum ruinam, ingentes ſexcentarum tẽ-
tationum niues, nimboſq. excepit? nec ideo animo eſt umquam
immutatus, ſed de his omnibus Domino gratias egit. Et nimirum
ſi reliqua omnia ſileantur; uel unius coniugis uoces ad ſaxũ quod-
uis conuellendum, ſatis eſſe uideantur. Nam callidum artificium
cognoſce. Tacet de re domeſtica, de pecunijs, de gregibus, de
armentis boum; quam enim in rebus huiuſmodi uir ille philo-
ſophiam præſtaret, præclare tenebat: ea, quæ ad ferendum diffici-
liora ſunt ſuggerit, filiorum inquam exitium, quam ipſa tragœdiã
explanat, & quæ illam circunſtant incommoda. Ac ſi mulieres
multos homines, qui rerum abundantia, omniq. uoluptate diffluе-
bant, perſuaſione ſæpe uicerunt; cogita quàm robuſtus Iobi ani-
mus fuerit, qui illam tot armis inſtructam & adorientem profliga-
rit, duaſq. perturbationes, quæ tyrannide incredibili mortalium
mentes opprimunt, cupiditatem, & miſericordiam conculcarit.
Etenim pleroſq; eorum, qui cupiditatem uicerunt, inflexit miſera-
tio. Ioſephus ille mentis, uirtutiſq. celſitudine præſtans uir, eam, *Gene.*
quæ ſummam inter mortales exercet tyrannidem, compreſsit uo- *cap.*
luptatem; barbaram quoq; fœminam infinitas machinas adhiben *39.*
tem propulſauit, ſed tamen lacrymas tenere non potuit: fratres
enim, a quibus iniuriam acceperat, cum conſpexiſſet, inflamma-
tus affectu, os celeriter lauit, ac rem geſtam omnem expoſuit. Quã-
do igitur uxor extiterit, quę ad miſericordiã eliciendã dicat accom-
modate; tempore, uulneribus, plagis, & ſexcentis calamitatum flu-
ctibus illi opitulantibus, qui tandem eius animum, qui tantam
procellam ſuperarit, non quouis adamante iure optimo fortiorem,
ac ſolidiorem quiſpiam dixerit? CHRYS. Hic enim Beatus, licet
in eum undique mitterentur ſagittæ, tutior, ac firmior nihilomi-
nus conſiſtebat: cumq. iacula innumerabilia excepiſſet, nihil de
animi uirtute remiſit; immo uero diaboli thecam refertam iaculis
omnem exhauſit: is uero; nec cecidit; nec fractus eſt; ſed tamquam
gubernator optimus, neque furente mari, ſeſeq. efferentibus flucti-
bus, obruebatur; neque in tranquillitate, atque malacia erat deſi-
dioſior: parem potius artem ad temporis utriuſque diſcrimen affe-
rebat. Quando nec eum extulere diuitiæ; neque depreſsit inopia;
neque ob fugacium rerum naturã ſupinum animum, iacentémue
præſetulit

præſerulit, neque omni domo euerſa, funditusq. deleta perturbatus eſt, ſed multo magis uirtutem animi declarauit. Audiant hæc diuites, audiant pauperes: utriſque enim perutilis eſt narratio. Cunctis item hominibus hiſtoria ipſa fructum præbet utilitatis; ſiue ſecundis ij rebus potiantur, ſiue affligentur aduerſis: hic enim pietatis athleta, orbisq. terrarum uictor, laureatus utroq; armorum genere in duobus temporibus uſus uictoriæ erexit inſignia. Omniaq. pugnandi genera aduerſus eum periclitante diabolo, inſtructus ad omnia, in aciem, dimicationemq. uenit; necnon in cunctis congreſsibus eiuſdem uirtus cum prædicatione enituit. Vt enim fortis & egregia uirtute miles is eſt uidelicet, qui in quauis præliandi ratione eſt exercitatus; qui & noctu manum conſerere, & mœnia oppugnare, & pedeſtre certamen inire, & nauali bello contendere, & iaculari, & haſtã uibrare, & fundis, miſsibilibusq. telis, ac quouis denique pugnæ genere, & quouis loco ſuperare nouit aduerſarium; ſic prorſus clarus hic, & inſignis uictor impetum omnem mira uirtute ſuſtinuit, inopia, fame, morbo, cruciatu, liberorum nece, amicis, inimicis, uxore, ſeruis, in eum irruentibus. Nulla demũ humanæ miſeriæ fuit ærumna, quæ non ſit in illius corpore exhauſta, & tamen [a] plagis illis omnibus expeditus illius harundines glorioſe uitauit. Verum enim id multo eſt admirabilius, quòd in eum cuncta ſimul irruptionem fecerunt. Neque enim id attendas, quòd tam multa ſit paſſus; ſed illud adde, quòd non paulatim, non ex interuallo, uerum coniunctim uniuerſa. Haud enim exiguum eſt hoc calamitatum additamentum. Principio enim qui cuncta hæc mala uno ſit, eodemq. tempore expertus, ex omni hominum genere nondum ſit quiſquam repertus. Etenim, ſi quiſpiam cum paupertate contendat, commoda nihilominus utetur ualetudine; ſi egeſtate & morbo confoſſus ſit, ſæpenumero pro ſolatio & portu ei relinquitur coniux; ſi huiuſmodi careat uxore, caret etiã muliere pernicioſis conſilijs eum perdere conante; ſi nec huiuſmodi quidem mulierem uitare potuerit, ſaltem cunctorum filiorum ſubitam extinctionem non uidet; quòd ſi ſubitam, certe non ex eo genere; quòd ſi ex eo genere, amicos tamen habebit conſolationem ſibi adhibentes. Sin autem, qui conſolentur, haud præſto ſint amici, profecto non habebit inſultantes; quòd ſi nec inſultantes qui ſem uitare potuerit, ſeruorum ſaltem exprobrantium conuicia non audiet; quòd ſi petulantia ſeruorum iurgia ſint illi ferenda, nimirum ſputis os fœdare uerebuntur; quòd ſi ne id quidem ueriti fuerint, haud tanta erit morbi calamitate perfoſſus; quòd ſi tam graui mor-

a Plagæ, ſeu maiora uera. [illegible] græce.

bo fuerit exulceratus, domicilium forſitan aliquod, tectumue illi nō deerit, ne ſedem in ſtercore cogatur deligere; quòd ſi illi in ſtercoribus ſeſsio fuerit, erit fortaſſe manus incolumis, ne ab ea abhorreant ceteri; quòd ſi a manu etiam abhorruerint, non item inſultabunt. Iobus autem iſthæc eſt omnia perpeſſus. GREG. THEOL. Erat ſimplex, iuſtus, uerus, & quicquid tandem de illo teſtatus eſt Deus; tantis nihilominus, tamq. aſsiduis, ac uincendi libidine intentatis ærumnis, ab eo qui illum popoſcerat diuexatur; ut, cum ab omnis temporis principatu multa ſint multi mala perpeſſi; atque, ut credibile eſt, calamitatibus implicati; nullius tamē ærumnæ ſint cum illius acerbitatibus comparandæ. Neque enim pecunias tantum, poſſeſsiones, præclaram ſobolem, copiam filiorum, quæ magno ab hominibus ſtudio quæri ſolent; non hæc inquam omnia ſolum amiſit, atque ita amiſit; ut numquam interruptus curſus malorum, ne ingemiſcendi quidem locum relinqueret: uerum etiam, cum eſſet inſanabili, inuiſaq. plaga cruentatus, habebat coniugem, quæ ad ſolandam calamitatem tetriora quædam adhibebat. Exulcerato enim corpore, animum quoque exulcerare magnopere nitebatur. CHRYS. Cum in malis huiuſmodi is eſſet, & quaſi in ſartagine uerſaretur undique, atque inteſtinis, externiſq. premeretur ærumnis, uxoris illi machinæ admouebantur; & quæ coniux erat, diaboli efficitur telum, dumq. diabolo linguam commodat ſuam, in uirum ſagittas contorquet; multoq. in eum atrocius & perniciosius, quàm illa ipſa, quæ expoſita ſunt, iaculatur. Nec uero hic exitus fuit bellorum: immo uero noui conflictus præmuniuntur initia. Conuicia enim ſequuntur, quibus ab amicis oppugnabatur. Vos autem ipſi, an non eſtis hiſce numquam intermittentibus calamitatibus audiendis deſatigari? Et tamen illis ferendis nondum eſt hic deſatigatus. Quamobrem ueſtram admoneo caritatē; ut etiam quid expectetis, (necdum enim omnia ſumus executi) aliud enim quiddam, quod fidem, opinionemq. ſuperat, prętermiſimus. Quod enim communem uincit exiſtimationem, illud fuit unum, quòd mala omnia, quęcumque in uita hominum imminuntur, hic unus exorbuit. Erat alterum, quòd ſine inducijs, nullaq. interpoſita mora, cuncta ſuſtinuit. In animo mihi eſt addere tertium: cuiuſmodi tandem iſthuc? quòd ſingula eorum, quę perſecuti ſumus, non certatim tantummodo, unoq. impetu congreſſa ſunt: Sed etiam inuſitata quadam atque incredibili ratione in illum ipſum incurſarunt. Nam egeſtas, quauis paupertate erat acerbior: item morbus, ſeſsio, liberorum interfectio, omnia denique. In

hunc

hunc autem modum ratiocinare;Amiſit quis poſſeſsionem bonorum? ſed tamen nec funditus,nec eo modo. Liberis eſt orbatus? uerum non ſimul omnibus, non tot, non talibus. Morbo eſt oppreſſus? uerum non huius generis,ſed aut febri, aut mutilatione, aut aliquo quopiam uſitato morbi genere. At plaga illa inſolens fuit, eiq. ſoli, qui in cruciatu erat,nota. Nec enim ulla reperietur oratio,quæ illorum ulcerum atrocitatem,uulnerumq. acerbitatem conſequi poſsit. Etenim ad plagæ magnitudinem declarandam ſatis ſit, auctorem, qui illam inflixit, eiusq. effrænatam libidinem perſpexiſſe. Noua quoque, nec antea audita ſeſsio illa fuit: nemo enim eſt, adhuc inuentus, qui inopia coactus, in ſtercore domicilium perinde habuerit, ſemper ſub dio, ut ille habuit, ueſtimentis nudatus, omni tecto excluſus. Habuit quis ſæpenumero uxorem improbam: uerum nulla umquam adeo ſcelerata reperta eſt,quę in huiuſmodi calamitate uirum inſectaretur, & mucronē contra illius animum exacueret, atque eiuſmodi conſilia meditaretur. Eſt illud quoq; haud uulgare,[a] quod ad amicos,quod ad famem ſpectat. Id autem maiorem habet admirationem quòd e parata menſa nō deguſtabat. Nec quartum omittam,quòd haud uim habet exiguam,ſuperioris inquam temporis opes,atq; felicitatem. Nam qui principio fuerit pauper, tranquille, placideq. feret paupertatem; ut qui ad eam ærumnam ferendam præmeditatione iam firmauerit animum. Qui uero ex tanta fuerit felicitate deturbatus, ut qui nec exercitatione, nec meditatione animum præmunierit, aſperior futurus illi ſit ſenſus calamitatis cum uehementiore dolore,atque perturbatione coniunctus. Dicam etiam aliud incredibile,quod inſigni corona,ac laude athletam exornat,eiusq. excelſum animum, cęlumq. contingentem teſtatur. Quid illud? Temporis ratio,atque diſcrimen. Etenim,cum ante gratiam legemq. uixerit, eſt nihilominus talia philoſophatus, non e diſciplina cōmodo ullo percepto,non in litteris, non in libris ullis uerſatus,nō exemplis ſimilibus eruditus, ad ſuperiorem memoriam cōfugiendi nulla ei data poteſtate; ut eos,qui uirtutis muneribus perfuncti eſſent, egregie poſſet accipere. Nec dum enim res geſtæ mortalium mandatæ erant hiſtoriæ.[b] Ita uiam minime tritam,& mare nondū tentatum nauigiis in mira uitiorū caligine,ingreſſus,ſolus ac princeps eius ætatis hanc philoſophandi uiam ſtrauit, bonorum ſummam eximia quadam, ac ſingulari ratione complexus. Maximum eſt, minores uirtutis partes expleuiſſe: uerum multo maius eſt in eo,quod ſummum eſt, ſumme cunctis antecellere. Hoc autē ſummum

a Deeſt aliquid in Codice Card. Caraffæ ad explendam ſententiam.

b Ergo in orbe terrarum nulla eſt hoc libro hiſtoria ſcripta antiquior.

mum, patientiam eſſe, haud quiſquam fuerit inficiatus. Quod cum minime addubitaret diabolus, dixit, Pellem pro pelle, & cuncta; quæ adſunt homini, dabit pro anima ſua: uerumtamen mitte manum tuam, & tange carnes eius. Ex [a] quo percipi poteſt, ſummam hanc eſſe partem officij mente robuſta, ac ferrea indigentem. ATHANAS. Igitur Iobus præliabatur, eratq. pugna acris, ſed acrior certantis uirtus apparebat. Magno ferebatur impetu aduerſarius, atque erat hoſtis infeſtus. Sed is, qui petebatur, uirtutem maiorem animi adferebat. Cum altitudine & exaggerata mentis præſtantia irrumpentis hoſtis conatus atque impetus cum uictoriæ laude diſsiparet: fortitudinis enim inſignia ſunt patientia. Hanc cum omnes Sancti ad humanæ uitæ incommoda, atque moleſtias adhibuiſſent, diabolum ſuperarunt. Res ambas cum Sanctus Spiritus uelit a nobis acquiri, ſic præcipit in pſalmo; *Viriliter age, & confortetur cor tuum, & ſuſtine Dominum*. Nam, qui ſuſtinet, fortis eſt: & qui fortis eſt, ad ſuſtinendum idoneus. Itaque Beatus Iobus ſuſtinendo confirmabatur, & conſtanter ferendis ærumnis ſuſtinebat, & uxorem a ſerpente deceptam, menteq. corruptam reſpuebat. Quia enim totus eſt odioſus diabolus, omnis ſceleris architectus, idq. tantum quærit, ut quempiam rapiat, & deuoret, ideo ingenium ille ſuum ſimulando tegit; ueritatem autem, quæ a cunctis expetitur, cum ſimulationis integumento menti obiicit, ut in eos, qui ipſi obſequuntur, uirus ſuum emittat. Hac ratione Euam fraude, & perfidia fefellit, non ſua uſurpans, ſed uerba Dei ſimulans. Sic enim illorum mentem circumuenit. Nec ſecus Iobi coniugem ſubornauit, dum perſuadet, ut erga uirũ ſtudium ſimulet, ſic enim fieri poſſe docuit, ut is impietatis in Deum iaceret maledicta. Hũc in modum uafer ille illudit hominibus, dum falſis uiſis ſurripit unumquemque, atque in ſuæ nequitiæ foueam impellit. CHRYS. Ego uero non ita Iobum admiror ante mulieris adhortationem, ut idem mihi eſt admirabilis poſt illius pernicioſum conſilium. Sæpe (ut ne id, quod diximus, paradoxum alicui uideatur) accidit, ut, quem rerum natura euertere non potuit, eum oratio & exitioſa adhortatio frangat. Id cum diabolo nequaquam eſſet ignoratum, poſt plagam inflictam, uerbis hominem adoritur. Hoc ipſum aduerſus Dauidem fecit. Poſtquam enim eum uidit a filio in eum concitatam ſeditionem, illamq. iniquam tyrannidem fortiter tuliſſe, ad mentem Dauidis labefactandam, atque iracundiæ facibus inflammandam, Semeam illum incitauit, aſperisq. uerbis inſtruxit, quibus animum illius arroderet. Id etiam eſt contra Iobum callide

[a] Quare Patientia opus tribuit perfectum S. Iacobus in ſua Catholica ep. c. 1.

Pſal. 26.

3. *Reg. cap.* 16.

de machinatus. Namque, ubi animaduertit per irriſionem ſua iacula eluſa fuiſſe, & illum tamquam adamantinam turrim contra omnia præſenti animo conſtitiſſe, uxorem tum demum armauit; ut ſuſpicione uacaret conſilium, occuluitq. uenenum uerbis illis, cum calamitatem tragice proſequeretur. Quid igitur uir conſtans? *Vt quid tamquam una imprudentium mulierum locuta es? Si bona ſuſcepimus de manu Domini; mala non ſuſtinebimus?* Quamuis enim Dominus non eſſet; quamuis non tantopere, inquit, nobis antecelleret; licet par nobis cum eo ius neceſsitudinis intercederet; nulla tamen nobis eſſet expedita defenſio, ſi caſus non feramus aduerſos, qui tantis ab eo ſimus beneficijs affecti: Viden hominem Dei cupidum? ut non magnopere de ſe ipſe glorietur? neque inanem aucupetur auram, quòd plagas illas, ad quas ferendas non ſatis erat natura, fortiter tolerarit? Nec uero tãtam malorum perpeſsionem, aut philoſophiæ, aut uero animi magnitudini adſcribit; ſed rei, quę neceſſario debebatur, ſolutionem reputat. Igitur tamquam nihil ipſi abſurdi contigerit, ſic mulierculæ loquacitatem ui magna cõpreſsit. Olymp. Virum in hiſce ærumnis doctoris ſententiam & faciem contemplaris? Cum enim de coniuge, quam legibus religioſis erudierat, ea, quæ numquam ſperaſſet audiuiſſet, primum formidoloſo illam terret adſpectu, deinde uerbis etiam pudore ſuffundit, iſthæc enim, inquit, dicere, ſtultæ, heus tu, erat mulieris. An nõ ſtultitię eſt, exiſtimare fore, ut mors blaſphemiam ſtatim comitetur? aut etiam audere ſceleratum uerbum ullum in Deum dicere? Ita caſtigatam uxorem, tum oratione, tum uultu ad agendas Deo gratias de ſuſceptis calamitatibus adhortatur. Plerique enim, inquit, in nulla rerum copia, atque abundantia uixerunt. Nos uero, quibus tanta eſt a Deo ſuppeditata, cur aduerſæ conditioni ſuccenſeamus? cur non item gratijs agendis tamquam a certo Domino, hæc ipſa accipimus? Quibus illa auditis, conquieuit, monitiſq. obtemperans, nihil præterea repugnauit. Vt facile credam eãdem conſequentium bonorum cõſortem Iobo extitiſſe. Et nimirũ propugnator egregius triplici diabolum uulnere ſauciauit; cum nec ipſe ſuccubuit; & uxorem ab illo corruptam nefarie, ad officij religionem reuocauit; & uoces illas grati animi teſtes, omniq. laude dignas, nec ulla umquam obliuione delendas exprompſit.

In his omnibus, quæ contigerunt ſibi, non peccauit Iob labijs ſuis coram Deo, & non dedit inſipientiã Deo.

Chrysost. Nec fas, inquit, eſt dicere: uxori quidem cum talia

talia locutum eſſe; partes uero animi interiores iracundiæ, atque faſtidij plenas fuiſſe. Nihil ergo is eſt labiis ſuis ſecus locutus.

POLYCHRO. Non ſolum priora, quæ in eum incitata ſunt mala, excelſo & inuicto animo tulit, uerum etiam a plaga inuictum ſe præſtitit, cui rei fidem facit illa pietatis erga Deum index reſponſio. Nec modo inductione quapiam animi diuinum numen non uiolauit, ſed ne [a] labris quidem primoribus læſit. Ac rurſus diuinum teſtimonium Iuſto huic lauream tribuit; cum eum leuis etiam uerbi culpa liberat, cuius uitandæ ea cauſſa fuit, quòd unum Deum ſemper contuebatur, atque in eius conſpectu uerſari ſe ſemper arbitrabatur. Non igitur ad aſperiores ſyllabas animũ attendamus, neque prima ſpecie decepti aduerſus uirtutem Iuſti linguam incitemus: Diuino potius iudicio cedamus, quo illi, ſuperatis omnibus, uictoriæ præmia deferuntur; præſertim cum Deum ipſum teſtantem audiamus, & illum officio religioſe functũ eſſe, & illius labra culpa uacaſſe, & in ærumnis ac malis acri, præſentiq. animo uerſatum eſſe. Nam (ut diuinam Pauli uocem vſurpem) *ſi Deus eſt, qui iuſtificat, quis eſt qui condemnet?* Hac ergo de cauſſa ſcriptura rurſus nos dubitare non ſinit, robuſtæq. menti, quàm in calamitatibus præſtitit, recens dat teſtimonium. Vt de tam præſtanti anima, deq. uiri huius uerbis, quæ in toto uolumine ſparſa ſunt, quàm decet, digne cogitemus. Quando igitur illius magnanimitas ſeſe ex omni parte oſtendit, & e cunctis certaminibus uictoriã reportauit, propter eos, qui conſequentur ſermones, nihil de uiro hoc humile cogitare debemus. *Rom. ca.8.*

a ἐξ ἐπιπολλῆς habet Catena Cardin. Caraf. puto legendum, ἐξ ἐπιπολῆς τοῖς χείλεσι, ideſt, ne primoribus quidem Labris.

Cum audiſſent autem tres amici eius mala omnia, quæ acciderant ipſi, uenerunt de ſua quiſque regione ad eum.

OLYMP. Si quærat quiſpiam, quamobrem longo interuallo poſt, amici uenerunt, intelligat, primum quidem eos diuerſarum prouinciarum incolas fuiſſe, ac multo poſt nuncium fortaſſe accepiſſe. Calamitas enim ijs præter fidem, omnemq. opinionem eſſe iudicabatur; ut Iobus omni ope deſtitutus iaceret in ſtercore. Ergo priuſquàm proficiſcantur, expectant, dum res, quæ ad eorum aures affluxerat, multorum ſermonibus confirmetur. Neque antea aut certos homines mittendos, aut ſibi diſcedendum ſtatuunt ad facti ueritatem explorandam. Interim conterebatur tempus. Adde quòd, poſtquàm de re ipſa dubitãdi nullus eſt locus relictus, ijdemq. Reges eſſent, ac de profectione cogitarent, fuerunt illis in primis res conſti-

conſtituendæ domeſticæ, regendisq. iis, qui erant in Imperio, alij præficiendi, qui iuris ipſorum Vicarij eſſent. Quæ quidem omnia illis ipſis moram iniecerunt. Quòd niſi tum caritatem, tum iuſtitiam magnopere coluiſſent, nûquam Prouincijs ſuis, Regnisq. relictis, ad Iobum uiſendi cauſſa properaſſent; ſed per alios potius ſuo ipſi muneri ſatisfeciſſent. Cogitare illud item poſſumus diuino factum eſſe conſilio, ut diutius traheretur profectio; quandoquidem in amicorum diſceptatione, ex diuino decreto certamen omne conquieuit, Deo Iuſtum in integrum reſtituente, & coronāte. Ad Dei quoque decretum illa amicorū procraſtinatio ideo pertinuit, ut morbi calamitas & fama latius permanaret, uirtusq. certantis Iuſti iuſtioribus præconijs celebraretur. POLYCHR. Illud *Cum audiſſent*, quamdam temporis indicat intercapedinem, cum ſolus fuit, nimirum quoad nunciatum malum illos ad profectionem inſtruxit. SEVERI. Et ſane una erat Iobo reliqua conſolatio, amicorum aduentus: uerum hoc etiam diabolus eſt ad tentationē abuſus. CHRYSOSTOMI. Veniunt amici, illi quidem ut conſolatione permulceant, uerum nihil minus quàm ſolatium præbent. Amicus enim fuit aduentus, non item amica fuit adhortatio. Quin illorum tantum adſpectus nondum quidquam loquētium magnā uim habuit ad Iuſti animum fodicandum. Nam noſtrorum caſuum atrocitatem in alienis bonis acrius ſolemus ipſi contemplari. Tute cogita, quanti fuerit, ſeipſum in illis malis uidiſſe, amicos autem ſuos, eoſdem qui fuerant, claros, ac priore felicitate utentes intueri; & illud calamitoſum, calamitatem omnia loca peruagatam eſſe. Si enim ij qui tanto locorum interuallo diſiuncti erant, auditione acceperunt, quanto magis, qui propius aberant? Maximè uero lacerabat eum non uis ſane malorum, ſed quia tamquam in hominem impium, & exlegem, tamquam in Dei hoſtem, & qui uirtutem antea eſſe ementitus, calamitas illa incidiſſe uideretur. Nec ita de corporis lue, ut is de nominis exiſtimatione laborabat, non ambitione quidem ulla, ſiue quòd ad uulgi opinionem uitam inſtitueret, ſed ea re potiſſimum, quia ſuis illis ærumnis pleroſq; offendi animaduertebat. Ponit autem ſcriptor ipſa nomina amicorum, cum inquit.

Eliphaz Themanorum Rex, Baldad Sauchæorum Tyrannus, & Sophar Minæorum Rex. [a]

OLYMP. Thæman vrbs eſt Iudææ circa Sina. Saucha urbs eſt Moabitarum, quibus Baldadus imperabat: hic enim Tyrannus pro Rege

[a] Tres hoſce Iobi amicos Reges fuiſſe non ſolum hoc loco ſeptuaginta oſtēdunt, uerum etiam Hylarius, & Athanaſius in Synopſi, et Latina uulgata editio in Tobia c. 2. Tyrannū autem ſermo uetus pro Rege uſurpabat. Vide Suidam in etymologico græco.

rege ponitur. Minæi uero ſunt Ammanitæ,aut certe, ut ex poſteriore Paralipomeno intelligere poſſumus, alij quidam. His enim
Paralip.c.20. uerbis eſt in eo libro, *Surrexerunt filij Ammon & Moab contra habitantes montem Seir: & poſtquam hos conſummauerunt, ſurrexerunt contra ſe inuicem.* Vide igitur ſint ne alij Minæi, atque Ammanitę, necnon Seir montis incolæ. Horum trium Regum nomina hanc habent interpretationem, Eliphaz, Deus me diſsipauit, uel, Deus contemptio, irriſione mea. Baldad, uetuſtas, uel glorioſus. Sophar, ſcopus Thæman autem ualet, defectio eorũ. Sauchæi uero loquacitas, leuitasue eorum. In libro Geneſis reperimus Sophar filium Eliphazi fuiſſe, quem Eſau ex Adda ſuſcepit: Eliphaz autem Thæmani filius extitit, qui Eſau patre natus eſt, a quo oppidum, & regio Thæman nomen inuenit, quinto decimo lapide diſtans. Videntur igitur hi ipſi amici affinitate quadam Iobum attingere, eaq. re liberiore uti oratione. Nam pęne in extrema hiſtoria audituri ſumus, e filijs Eſau prognatum eſſe Eliphazum; e quibus ipſis Iobi quoque eſt orta progenies. Ergo mittuntur philoſophiæ aduerſatij perſuadendi ſpe e generis propinquitate concepta.

Et venerunt ad eum vnanimiter, vt conſolarentur, & viſitarent eum.

OLYMP. Symmachus uero ſic extulit; Condixerant enim, ut ſimul uenientes compaterentur ei, & conſolarentur ipſum. Atque hinc cognoſce aliud iam abiiſſe tempus, dum miſsis inter ſe nuncijs, congrediuntur, unaq. iter ſuſcipiunt. CHRYSOS. Viſitare, pro colloqui dictum eſt. Multum enim temporis uidentur apud eum fuiſſe, haud ſane id facturi, ſi uiſendi tantum cauſſa aduentaſſent, quãdoquidem complures alij ad eum ſolo uidendi ſtudio adducti iam commearant.

Videntes autem eum longe, non agnouerunt.

OLYMP. Hoc item loco mali atrocitatem intuere. Idcirco enim non agnouerunt, quia lues antiquas corporis notas obliterarat. Namque credibile eſt, eas commutatas fuiſſe, ulceribus ad grauiſſimum odorem totum corporis habitum traducentibus.

Et clamantes voce magna planxerunt, ſcindentes vnuſquiſque veſtem ſuam.

POLYCHRO. Id haud obſcuram amicitiæ ſignificationem habet. Etenim amici calamitate perſpecta, ac recenti rerum conuerſione

ſione animo pertractata eiularunt, ueſteq. diſciſſa, cum tamquam mortuum luxerunt, cum abiectum mortuis miſerabiliorem uidiſſent. Biblia quædam habent; Cumque in cœlum ſuſpexiſſent, Deũ exorantes, quaſi dixerunt, Propitius eſto Domine, & ne talibus nos malis implices. Id quod facere ſoliti ſumus ipſi, cum quempiam haud opinatis malis circumretitum intuemur. POLYCHRO. In cęlum ſuſpexiſſe, hanc habet fortaſſe ſententiam. Qua tandem hæc ratione contigerint, tu ſolus noſti, Domine; neque enim ipſi eorum, quæ eueniunt, cauſſas aſſequi poſſumus.

Et ſpargentes terram ſuper capita ſua, ſederunt prope eum ſeptem dies, & ſeptem noctes.

POLYCHR. Significantius hæc ſunt expreſſa Hebraice his uerbis; Et ſederunt iuxta ipſum in terra. Nec enim ſolum ſubſellium, genusq. indicat ſeſsionis, quòd non cum dignitate conſederint; uerum quòd eiuſdem doloris ſenſu ſuſcepto, lugubrem habitum, formamq. oſtentarint. OLYMP. Non dicit ſcriptura totos ſeptem dies, totasq. ſeptes noctes illi aſſediſſe amicos. Perſpicuum igitur eſt eos, ubi magnam diei partem aſſediſſent, diſcedere ſolitos ad neceſſaria munera conficienda, ac rurſus redeuntes ad multam noctem ſeſsitauiſſe; deinde abiiſſe, tum de mane ad eumdem reuertiſſe: id quod certiſsimorum, ſummeq. una dolentium amicorum proprium eſt. Quotidiani uero ſermonis conſuetudinem complexa ſcriptura ſimpliciter pronunciauit, ſeptem illos dies, ſeptemq. noctes propter eum ſediſſe. Nam cum Iacob inquit annos quatuordecim ſeruiſſe, & diei æſtu exuſtum eſſe, ac noctis glacie obriguiſſe, an idcirco numquam is tectum ſuccedebat? nullam toto illo tempore quietis partem capiebat? Hæc igitur uelle ad calculos reuocare, ridiculum eſt. Scriptura enim, ut dixi, a ſermone familiari non diſcedit. Et tamen nonnulli eam hoc loco mendacij inſimulare audent; quod credibile non ſit, eis ſine cibo, ac ſomno tot dies fuiſſe conſumptos. Nos uero cogimur hanc omnem calumniam in eorum importunam loquacitatem conferre. CHRYS. *Nemoq. eorum locutus eſt.* Animus enim ſemel męrore afflictus, nihil poteſt commode audire. Quare illi, cum domus illius tragœdiam ſpectarent, Iuſtumq. in ſtercore ſedentem, atque exulceratum uiderent, ueſtes diſciderunt, ploraruntq. uehementer, ſeſsionemq. propter eum delegerunt, illoq. ſilentio declararunt, ijs qui ſunt in ægritudine, nullam principio aptiorem medicinam eſſe, quàm quietem & ſilentium. Nam re ipſa morbi calamitas

Gene. cap. 31.

lamitas uincebat omne uerborum ſolatium. Ad conſolandum quidem illi uenerant, cum autem conſolationis imaginem nullam cernerent, obmutuerunt, quamquam rebus ipſis id prudenter præſtiterunt, quando ſeſsionis propinquitate, conſciſſaq. tunica cum conſolati ſunt. Et hæc quidem præclara, & digna amicis, & eorum, quibus communis eſſet calamitas, certa argumenta. Quæ uero conſequuntur, non item. OLYMP. Dies, noctesq. ea ratione perſtiterunt, quam ipſe expoſui, & quam lex exigit caritatis, nullam ad leuandam ægritudinem orationem idoneã inuenientis, cum quouis uerborum genere ad conſolandum adhibito uis eſſet calamitatis longe ſuperior. POLYCHR. *Nullus*, inquit, *ei locutus eſt verbum*. Planum igitur eſt adſpectum malorum exſpectatione fuiſſe maiorem: plagæ uero atrocitate commoti ſedebant ſilentio, cum nulla ijs conſolandi ſpecies ſuppeteret. Itaque cauſſam adfert.

Videbant enim plagam grauem eſſe, et magnam ualde.

Cum ſecum ipſi reputarent, nudum ſermonem homini tot malis uexato futurum acerbum; ut accidere ijs ſolet maxime, qui morbo tentantur, tacendũ ſibi eſſe ſtatuerunt, fontibus interea lacrymarum ex eorum oculis erumpentibus, illumq. quaſi mortuũ inclamantibus, & concerptis ueſtibus quaſi mortuorum iuſta eidem perſoluentibus. OLYMP. Sed de Secundo Capite hactenus.

ADDITIONES IN CAP. II.

A *Cum pertranſierim eam, quæ ſub cœlo eſt, & perambulauerim uniuerſam, adſum.*

EVAGRII.

IDCIRCO Iobum non perambulat, quia cœleſtem erat politiam adeptus.

B *Quouſque ſuſtinebis?*

ORIGENIS. Quid Athletam eneruas? quid manus illius

Hebr. cap. 10. contrahis? Apoſtoli potius uerba uſurpanda erant *etiam modicum*. Quid inquit præſentem calamitatem futuri temporis ſpe urges, ac fruſtra ſolaris?

DIDYMI. neque uero eorum bonorum, quæ ſola bona putanda ſunt, tibi eſt aliquando ſperanda poſſeſsio, non filius, non filia tibi

tibi relicta eſt; etiam ſi conſaneſcas, haud tibi frugifera futura ſit ualetudo orbata liberis.

Apollinarii. Miſcet ſuam perſonam, ac filiorum memoriã excitat; ut ad deſperationem Iuſtum uocet. Ego uero, inquit locum loco commuto, quotidianiq. uictus cauſſa huc illuc uolitans, domorum oſtia pulſo; quæ in tanta rerum abundantia degebam. Vt huiuſmodi mulieris ſit oratio. Non liberos tantum amiſimus noſtræ memoriæ ſegetem: non tantum ipſe tot conflictaris ęrumnis: Sed ſummam etiam perpetimur egeſtatem: nobiſq. ſtipem mercenariorum more colligimus: qui antea egentibus noſtra tam largiter ſuppeditabamus.

C *Et ego ſicut oberrans, & ancilla &c.*

Theophili. Impulit diabolus mulierem: eamq. armatam inſidijs, & cuiuſdam libidinis ęſtu efferueſcentem in uirum ſuum acrius incitauit: cum huiuſmodi inſidioſis illa utitur uerbis, *& ego oberrans & ancilla.*

PROTHEORIA CAPITIS TERTII.

OLYMPIOD. Igitur Capitis Tertij Protheoriam inſtituentes, dicimus, nimirum eſſe in cruciatu Iuſtum: quis id neget? Nec enim ſenſu carentium virtus eſt; ſed in malorum ærumnis philoſophantium. Corpore igitur, atque animo grauiter affligatur: corpore quidem ob plagæ atrocitatem artus fodicantis: animo uero, quia, cum homo frugi, Deoq. carus eſſet, nonnullos ſuis offendi calamitatibus intelligebat; qui Dei gloriam idcirco exagitabãt, quia in uirum Iuſtum incumbere mala illa animaduertebant. Etenim cum inquit; Quare me poſuiſti oblocutorem tuum? *Non is Dei obtrectator erat: abſit: qui enim id umquam facere auſus eſſet? Verum hoc dicit. Cur mea cauſſa Domine nomen tuum contumelioſe tractatur? perturbatur nihilominus & uacillat, ne forte ſit a Deo plane derelictus. Nec enim re ulla animus Dei amans ſic excruciatur, ut diuinæ opis amiſſæ ſuſpicione: mauultq. emori millies, quàm cum cruciatibus, atque huiuſmodi ſuſpicione inter uiuos numerari. Quando igitur in fortunarum amiſſione, ac repentino* *Iob. cap. 7.*

liberorum

liberorum interitu, quas plenas grati animi uoces fuderit, audiuimus, & quemadmodum coniugem contra quam decebat, de Deo cogitantem increparit; & quænam poſt conatum illum atque deſpicientiam, atque in ipſius morbi æſtu fuerit locutus, & quemadmodum nihil eorum, quæ in uita hominum contingunt, eum perturbauerit animaduertimus. Nunc aduentantibus amicis, hominibus iuſtis, atque condoleſcentibus, de quorum patientia & caritate nequidquam dubitabat, locum ſibi opportunum datum eſſe credit, de ſuis animi angoribus apud eos palam diſſerendi. Ipſa uero teſtatur hiſtoria in ijs, quæ loquebatur, illum uitaſſe periculum: hæc enim una cura diabolo erat; ut ad ſcelerate obtrectandum Deo Iuſtum adduceret: quod quidem Iobus cauit omnino; quin Deum extulit honorifice: eumq́; gratiſsimis uerbis eſt proſecutus. Execratur autem diem natalem ſuum, mortemq́; expetit: ob eas, quas ſupra expoſui, cauſſas. At intelligentiæ quoque myſteria ſuggerit, dum, & de præteritis philoſophatur, & certo diſſerit de futuris. Eiuſmodi enim uatum dictio & collocutio eſſe ſolet. Nos uero ſic in uerbis ipſis uerſabimur, ut complicatam eorum notitiam euoluamus, illo ipſo duce nobis ad interpretandum, qui certantis Iobi animum confirmauit.

CAPVT TERTIVM.

Prima Iobi cum amicis diſputatio.

Poſt hoc aperuit Iob os ſuum.

CAP. III.

OLYMP. Os Iuſto aperiente, haud oſcitanter ijs, quæ dicuntur, mentem adhibere debemus; ſed multo maxime ex ipſis uerbis fructus eſt nobis aliquis decerpendus. Semper enim ſanctorum uoces utilitatem habent adiunctam; & quidem cum Iuſtus os aperit, theſauros, qui erant abditi, propalam collocat. Quamobrem uas electionis Paulus in epiſtola ait, *Os meum apertum eſt ad uos, Corinthij:* Et de Domino ſcriptum
2. Cor. 2. eſt: *Et aperiens os ſuum docebat.* Denique os aperire is dicitur,
Matt.cap.5. qui tacendi rationes antea perdidicerit. Poſthæc ergo Iobus os aperit

aperit,id eſt, poſt inſigne trophæum, poſt illas calamitates. Toto autem corpore excruciatus haud improbabilem format orationẽ, neque animi rationem lingua præcurrit; ſed ſapientibus uocibus moderatur. In eo uero ipſo,quòd os aperuit, mentis tranquillitatem,decorumq. orationis prę ſe tulit. POLYCHR.& CHRYSOST. Studioſe poſitum eſt illud, *Poſt hoc*. Cum enim multos ad ſe uenientes,ac rurſus abeuntes cerneret, præſtabat animum nihilominus a malis inuictum. Cumque Eliphazi comites, qui ingenua quadam germanitate adducti ad ſe feſtinauerant, conſpicatus eſſet;multumq. temporis ijs contritum eſſet;& eorum, quæ contigerant,grauem calamitatem ſilentio teſtarentur; nec conſolandi rationes attingere auderent, niſi principium aliquod fieret loquendi: Idcirco ne ijs Iobus diuturniore ſilentio moleſtior eſſet,illud uidelicet rumpit. Sed quid tandem loquatur, poſtquam os aperuit, uideamus.

Et * *maledixit diei ſuo dicens. Pereat dies, in qua natus ſum; & nox, in qua dixerunt; Ecce maſculus.*

OLYMP. Iuſtos caſibus męrere aduerſis dubitari non poteſt.
Hier. Audi Hieremiam, *Maledicta dies*, inquit, *in qua natus ſum*. Audi
*c.*20. Moyſem, *Interfice me, ſi ſic debes facere*. Nequaquam uero, aut
Num. contemnunt, aut contrahuntur animo,ut cadant,cum huiuſmodi
*c.*11. orationem uſurpant; nec de Deo quidquam ſecus loquútur. Verũ
ex edi uoces illas ab ægritudine profectas, aut contra ſeipſos, aut etiam
*tio.*70 contra res,quæ nihil læduntur,ſolent emittere. Ita magnus Dauid
2.*Reg.* montes Gelbue addicit maledictis, quia in iis optatiſsimus Iona
*c.*1. thas cum patre ceciderat. Ob eas igitur, quæ indicatæ ſunt, cauſſas męrore Iobus affligitur. Etenim cum intelligeret nimium audax eſſe facinus, quidquam iniuſti in Deum conferre, ad mæſtas illas uoces delapſus eſt,quæ nec improbitatis, nec impij conuicij accuſari ullo modo poſſunt. Rei uero, quæ nuſquam exiſtit, nocti, inquam ac diei,quæ prætererant,ideo male precatur,ut uim oſtẽdat ægritudinis. Verba enim, quæ ab homine religioſo expectari poterant,prætermittit, ratus humana ratiocinatione eſſe diuinã prouidentiam longe ſuperiorem. Itemq. ad ſeipſum duriora hæc uerba refert,ut medicinam, & conſolationem aliquam malis quærat ſuis. CHRYSOST. Non igitur utcumque hæc uerba expendamus: ſed tamquam a mærente animo profecta conſideremus. Si enim illa locutus non eſſet, communis expers naturæ uideri potuiſſet. SEVERI. Quamdiu cum uxore ſolus erat, aſpernantem illam

* Quemadmodũ rebus a Deo creatis licitũ ſit abſq; ulla culpa maledicere, cognoſce ex D.Th. in 2.2.q. 79.art.1.& 2. Horum uerborũ explanationem habes apud Hylariũ in pſal.119. apud Amb.in 4.lib.Cõment.in Lucam. apud Bedam in hunc locum, qui ſuam expoſitionem teſtatur eſſe cũctorum Eccleſię Doctorum. Vide D. Hiero. uerba Iobi interpretãtem in cap. 20. Hieremiæ.

erudiebat; nec interim ullam precatus eſt ſibi mortem, ueritus, ne ea re apud Deum offenderet. In aduentum autem amicorum, cum eorum cerneret animos in ipſius calamitatibus recidiſſe, nouo exercetur bello, id metuens, ne illius cauſſa iniuſtitiæ crimine Deum accerſerent. Atque ea cauſſa fuit, cur diem ortus ſui deteſtaretur, meliusq. non eſſe, quàm ſic eſſe exiſtimaret, ac ſi diceret. Vtinam numquam eſſem in lucem ſuſceptus, ne mea cauſſa Deus accuſaretur. Immo uero pereat dies, in qua natus ſum, id eſt, nec dies commemoraretur, nec nox, in qua conceptus ſum. Hanc enim ſententiam Hebræus, ac Symmachus expreſsit, cum ait, In quâ conceptus eſt homo. Atque, ut uniuerſe & ſimpliciter dicam, ij, qui ante gratiæ tempora fuerunt, moleſtiam ex humanarum rerum incommodis ſuſcipiebant, Apoſtoli uero lætitiam capiebant. Neque ea, quę ætate gratiæ antecesserunt, conſecutionem ijs debent adferre, quę ſunt gratiam conſecuta. Quamquam illud quoque expeditam habet defenſionem; hęc enim Iobus myſteria tãquam Propheta eloquitur inuolute; cumque ſcriptura, non ſolum carnis natiuitatem agnoſcat, ſed etiam eam, quæ morum commutationem habet, quæ a uirtute eſt ad uitium, aut e contrario, peccati diem Iobus optat extingui, quo ſe ſcelere obligauit Adamus. Totius enim humanæ naturę perſonam ſuſcipit, dicitq., *Dies pereat*, quo a uirtute ad ſcelus homo migrauit, atque ad ærumnas & interitum ruit, munere immortalitatis amiſſo. Nam ſi hæc interpretatio probabilis non eſt, cur non dixit, dies pereat, quo creatus ſum, ſed, *Dies pereat, in quo natus ſum?* nẽpe ut oſtenderet * tum nobis generatione opus fuiſſe, cum ob parentalem labem orbem terrarum mors eſt introgreſſa. Ita cum Dauid peccatum deploraret, ad antiquum flagitium refert orationem. *Ecce*, inquit *in iniquitatibus conceptus ſum, & in peccatis concepit me mater mea*. Debilitata enim eſt lubrica natura. *Pſal. 50.*

OLYMP. Quod autem ad uocabuli rationem ſpectat, diem unum ſcriptura uocare conſueuit, totum diei, ac noctis ſpatium. Verum quod pertinet ad ſententiam, eamdem diem, noctemq. appellat, quæ initia attulit peccato. Ac diem quidem, ob illuminationis promiſsionem: *Eritis*, inquit, *ſicut Dij*, *noctem* uero, quoniam & animam tenebris obduxit; & mortem introduxit, & quamuis hoc loco ſatis apertum deſcrimem inter marem, & fęminam conſtitutum ſit, neutrius tamen natali diei, tamquam malo Iobus maledicit, ut Manichæi opinantur; ſed illa tantum, quæ die eueniunt, accuſat. Ob illa enim ipſa dies uocantur mali, non quòd tales natu- *Gen. c. 3.*

* Auctor hic Seuerus maris ac fęminæ coniũctionem post Adæ peccatum ad humanũ genus proſeminandum repertam eſſe credidit, quód ipſum Procopius, & Chryſoſtomus in 4 cap. Geneſeos, & Euthymius in pſal. 50. & Greg. Nyſſenus in lib. de creatione hominis c. 18. & Damaſcen. in 4 lib. de Fide Orthodoxa c. 25. opinati ſunt, & Aug. aliquãdo ſuſpicatus eſt, ut in primo lib. de Gen. c. 19. & in lib. 1. de Sermo. Domini in Monte. Quam tamen ſententiam idem Aug. retexit in 1. lib. Retract. cap. 10. & 19 & D. Thomas in pri. par. q. 98. art. 2. vere, ſapienterq. refellit.

ra

ra ſint,ſed ob rerum dumtaxat euentum. Deteſtatur etiam,ſed alia qua iam ratione,eos qui marem illum nuncuparunt;quòd crederet eiuſmodi Dominum ſolum fuiſſe, eiq. maris nomen proprie conuenire. Cum hominum genus unius Adami contumacia effęminatum ſit; ut non amplius potioribus nominibus appellari queat. Ergo diem illam carnalis ſenſus parentem peroptat interire;quæ licet primi parentis propria fuerit,is tamen tamquam ſuam in ſe transfert;ſed ita ut ab omni accuſatione uindicet opificium. Etenim prima illa ad nos uſque permanante condemnatione,tamquam noſtram,ac propriam hanc ipſam lugemus;opemq. liberatoris imploramus:ac ſcelus illud,quod nos a pietate abduxit,quaſi diem exiſtimamus;cui etiam optamus exitium.Quod enim quemque delectat,id diem putat ſuũ: ita errore animi decipimur.Quare hanc diem Iuſtus cupit deleri,quæ ſolo nomine uicinitatem lucis imitetur. Noctem uero dicit peccati ſubitum,ac furtiuum introitum: & quidem totius honeſti capitalis ille hoſtis hoc eſt nomine perquam dignus non ideo,quòd tum reapſe,tum hominum opinione ſit ipſe nox; ſed quia, cum tenebræ ſit, lucem ementitur: in quo cęteros fallit mortales, ac diris illos addicit: dum lucis ad fallendum paratiſsimæ ſpecie occultata, ac noctis ſuſpicione detracta, prauis, latentibusq. artibus in fraudem inducit quamplurimos. Id ergo quod ait, eſt huiuſmodi. Pereat ſuperior illa dies, illa inquam primigenia,ac princeps peccati, quæ ægritudinem, peccatum, ac mortem inuexit hominibus,quæ tenebrarum, & ſingulorum errorem extitit procreatrix; dolorum fons; prima dies triſtitiæ quę;Euæ cõceptus decreta eſt, & appellata,id eſt, execrationũ gignens exordium. *In triſtitijs*, inquit, *paries filios*. Vt ergo corporis uehementem cruciatum Iobus indicaret, ortum ſuum, non item Deum malis precibus eſt inſecutus: nec præſentem diem, ſed præteritum,& ærumnarum cauſſam inſectatur. Et interna quidem,dum illi diei exprobrat,ſe ipſe conſolatur. Solet enim miſerabilium uerborum uſurpatio dolores corporis demitigare.

Geneſ. c. 3.

Nox illa ſit tenebræ, & non requirat eam Dominus deſuper; & non perueniat ad eam ſplendor; excipiant illam tenebræ, & umbra mortis.

CHRYSOST. Quoniam intelligebat Iuſtus malorum ſuorum attrocitate amicos accitos eſſe;& quanta plagę eſſet acerbitas, non ignorabat;diuturnę quoq; ſeſsionis amicorum,quibuſcum de ijs, quæ acciderant, nihil locutus fuerat;cum tædium cogitaret &, ut

 ſimpliciter

ſimpliciter dicam, cum uideret omnia ſibi grauiter aduerſantia, non propterea ſtulte ſuos repellit neceſſarios: cum rectum minime putaret, qui honoris cauſſa uenerant, eos cum dedecore dimitti: neque ad profectionem illos temere hortatur: amicitiæ enim iura uerebatur. Verum, cum ad hæc omnia meditaretur; omnibusq. torqueretur, ad hæc uerba deſcendit, cupiens propemodum probare amicis eſſe ſibi quidem in animo cum ijs ſermonem habere; ſed malorum impetu prorſus retardari. Sed quid ille dicit? *Nox illa ſit tenebræ:* id eſt; nec in notitia; nec in hominum uerſetur memoria: non illam tamquam ſuam ſibi uindicet Dominus; neque in noctibus numeretur. Et quoniam non de natura quapiam, quæ ui ſua cohæreret, aut de quopiam animali uerba faciebat; idcirco nec mortem, nec interitum, ſed diei contrariam intercapedinem precatus eſt, tamquam ſi diceret. Diem illam utrinque nox complectatur productioribus tenebris; nec in mentem ueniat numerare cupientibus. OLYMP. & SEVERIANI. Nimirum ſi uerba ſpectentur, natalem ſuum diem optat ſine ſplendore eſſe, itemq. noctem; nec Lunæ, nec ſiderum luminibus illuſtrari, ſed denſiſsimis tenebris potius circumfundi. Hoc enim mortis umbram nominauit. Illud autem ad ſententiam, atque intelligentiam pertinet, ut peccatum per ſeipſum quale ſit, nempe omni priuatum luce ab hominibus cognoſcatur; ne aut in ſimulatam ſeſe uirtutem induat; aut ſpecie quadam lucis rudioribus animis fucum faciat; ſed quo cæca eius perſpecta caligine, uitari facile poſsit. Sed nec diem illam requiri exoptat. Nec enim requiri illa poteſt, quin admiſſum ſcelus non ſtatim in nos tranſuerſum incurrat. Quod ſi minime requiratur, execrationis, & quæ eſt illam comitata, ſententiæ, nobis obrepet obliuio. Ergo poſtulat, ut ne dies ille ſplendeſcat; ne, quæ ab Adamo tunc peccata fuerunt, ſub noſtrum ſubiiciantur aſpectum. Ac ſi diceret; Adſit mihi in his precibus Deus, vt e dierum numero illa eximatur; ne ortus mei recordatio memoriam calamitatum adducat. Cum autem adiungit; *Excipiant eam tenebræ, & vmbra mortis:* ad diabolum vult uidelicet, quæ nobis machinatus eſt, mala pertinere, transfertq. noctis nomen ad ea, quæ in illa ipſa contigerunt, ad execrationem inquam, atque ſententiam. Vocabulo autem tenebrarum & vmbræ mortis ſignificat diabolum. Ad illud, inquit, diabolus properet diuerſorium, ſua republica perquàm dignum. Excipiat is mortem, qui illam inuenit; ſit ſane ſuis ipſe retibus implicatus: nequaquã propter eos, qui nullo certo conſilio ſibi obtemperarunt, audacter exultet in improbitate.

Irruat

Irruat ſuper eum nubiſica caligo.

Aquila, Symmachus, & Theodotio uerbis alijs extulerunt. Nam Aquila, Obnubilatio; Symmachus, Caligo; Theodotio, Nubium obductio dixit. Gnophos autem eſt e nube caligo. Ergo, ſi uerba duntaxat ſequamur; diei obſcuritatem precatur; ſi uero ſententiam, hoc petit; ut peccatũ quid ſuapte natura ſit, haud quiſquam ignoret; ne ue Satan, qui transfigurat ſe in Angelum lucis, mala nobis pro bonis obtrudat; ſed potius, ut, cum tamquam mala, ac tenebrarum cauſſa a nobis cognita fuerint, odio habeantur. Nam, ut hoc etiam diſcas, fac, inquit, peccatum cognoſci nõ poſſe; qui poterit ad hiſtoriam pertinere, cum rerum, quæ nuſquam ſunt, nullus poſſit eſſe ſenſus, nulla ſcientia?

Maledicta ſit dies illa, & nox illa; aſportent illam tenebræ.

Dies illa, inquit, humanam mentem numerãtem prorſus effugiat, hoc enim declarat, cum ait, *Maledicta ſit*. Illud autẽ, *Aſportent illam tenebræ*, interpretans Aquila, pro, *Tenebræ*, Lunæ obſcuratio, dixit. Et quidem huc Iobi pertinent uerba. Quemadmodum in tenebris, nec cernere quidquam, nec ea, quæ ante pedes ſunt, uidere poſſunt homines, ſic extra mentis notitiam ſit illa dies ortus mei. Verum ad magis abditam hæc referens cognitionem, de præuaricationis Adæ loquitur die, quæ ementita luce principes homines ſefellit; cum ob facilem decipiendi rationem diem ſe uideri uoluit. Quæ enim tum noſtra nox extitit, immani hoſti dies fuit; cui ad ſceleratum facinus nullum obiectum eſt impedimentum. Ac rurſus, ne hinc abeamus, ijs, qui ſunt corporis uoluptatibus deliniti, quæ uidetur dies, nox eſt, lux inquam, mearum deliciarum nox eſt; quæ cunctis eſt obducta mortalibus.

Non ſit in diẽ anni, nec numeretur inter dies menſis.

OLYMP. Symmachus uero, Ne copuletur, id eſt, deleatur, dies ille natiuitatis meæ, anni contracta periodo. Et quoniam; menſium quidam pluribus, partim paucioribus conſtant diebus, & annus certo quodam confecto circuitu, augetur, id quod quarto quoque anno ſolet accidere: Dies illa, inquit, a menſium numero ſummoueatur, nec tamquam dies anni ante uſitatam periodũ numeretur, quaſi apparere debeat. Immo uero obliuione prorſus obruatur. Sed altiora quædam indicans Domini aduentum,

annuū uocat acceptabilem. Obſecrat igitur, ut illo tempore eius diei funditus intereat memoria: ut ne, unquam, Dominus, cum ſeſe orbi terrarum oſtenderit, peccata nobis deputet: ſed obliuione potius obliteret ſempiterna. SEVERIANI: Fortaſſe etiam prophetice, ac figurate de futuro quo precatur, in quo Sancti uitam uiuent perpetuo lumine ſplendeſcentem, cum ſæculum hoc menſiū, & annorum numeris, & interuallis diſtinctum euanuerit, cuius profecto exitum obnixe precatur. *Sed ſit dolor nox illa.* Symmachus uero. Ablegata. Hebræus, Derelicta. Nox, inquit, illa ſit conſerta doloribus, neque ſit lætitiæ parte aliqua temperata: quamuis nox laxamenti cauſſam ſoleat adferre.

Et non ueniat ſuper eam lætitia, nec gaudium.

Eſt Iuliani hæc expoſitio in Codice Vin. Pinelli: ab utro alter acceperit minime mihi certum.

POLYCHR. Nequidquam Deo, eiuſque factis obtrectat, uerum iis, quæ non ſunt, maledicit, ſeipſum, calamitatesq. ſuas conſolās. Etenim, nec illa nox erat amplius, lumen aſtrorum & phoſphori, quæ noctem illam colluſtrarunt, præterierat. Sed quemadmodū qui a medicis uruntur, ſeu ſecantur, ad doloris ſignificationē morſus ueſtibus infigunt, ita beatus hic illa omnia flebiliter lamentatur. Sed tamen, quod præſtantiorem ſententiam habet, cum dixit, Nox illa ſit dolor, id ſignificare etiam uoluit. Peccatum, ut uere malum cognoſcatur: & tamquam uera cauſſa doloris habeatur odio. *Et non ueniat ſuper eam lætitia*, cui ſi ipſi obnoxii fuerimus; nec culpa fuerit condonata, nempe nox illa ſcelerum, parens noſter, inquam; aduerſarius omnibus inceſſet lætitiis. Ipſe igitur aduerſarius flagitioſo fruſtretur fine, eaq. re acerbe mærcat; quòd ei ſit præda elapſa de manibus: ne ſim ipſe facinoroſo hoſti lætitiæ cauſſa illius iaculis ſauciatus.

Maledicat ei, qui maledicit diei illi, qui debet magnum cete ſubiugare.

POLYCHR. Execrationis meæ, inquit, partes expleat Deus, qui ſolus harum rerum poteſtatem habet. OLYMP. Simul optat, & vaticinatur futura, ad CHRISTVM traducēs cogitationem. Is enim fortem alligans diabolum, huius uaſa diripuit. Quis enim alius aut maledicto addixit peccatum, aut id deleuit in ſemetipſo? Quis intelligentia præditum cetum, ſerpentem antiquum, peccati ducē, noſtris illiquefactis uoluptatibus adminiſtris exercentem tyrannidem Leuiatan illum in poteſtatem redegit? Leuiatan inquam illum nimia enatantem audacia, quem ſcriptura identidem draco-

nem

nem appellat:ſed in extremo hoc libro maxime, cũ ſuis uocibus teſtatur Deus fortem illum eſſe,atque omnibus ſuperiorem. Quocirca neque illum hoc loco,cetum ſimpliciter dixit, ſed ingentem addidit. Is igitur,inquit,qui ſolus cetum immanem capere poteſt; qui poteſtate,cui nequit obſiſti, pollet,is me de dici noctiſq. ratione expoſtulantem audiat. DIDYMI. Præclare dictum eſt, *Qui debet ſubiugare*, ut Incarnationis myſterium enunciaret,remq. declararet non factam,ſed perficiendam. Neque enim decebat,ſola Diuinitate eum,qui mortis imperium habebat,diabolum debellari,ſed opera templi uerbi, quod ex femine factum eſt eius, quem decepit diabolus. Inſolenter enim improbus dæmon gloriatus eſſet,ſi a nuda diuinitate captus,ac ſuperatus fuiſſet. Porro diuerſa eius nomina, diuerſas eiuſdem actiones, non item multiplicem naturam declarant. Namque diabolus,aduerſarius,malus,leo,draco,ſerpens, bellua, & cetus ob mores appellatur: quoniam multiplici artificio flagitium machinatur. Atque hoc ipſum, quod diximus,ualet ad Manichæorum dogma funditus euertendum.

Obtenebrentur ſidera noctis illius; ſuſtineant; & ad illuminationem non ueniant; & non uideat ſtellam[a] matutinam ſurgentem.

a aliter Luciferum Orientem.

OLYMP. & POLYCHR. Symmachus uero, Expectetur lumen, & non ſit, maneat in tenebris. Verborum hæc eſt plena ſententia. Ne ſuum ſplendorem impertiant,ne luceant; inquam; noctis illius aſtra; ſintq. occulta omnino; neuę ſiderum neceſſitatem oſtentent. Siderum curſus, quibus illa fuit nox obnoxia, inutilis appareat, *Suſtineant*, id eſt, curſum intermittant, atque illuminationem. Ita maneant, ut non appareant; neque curſum conficiant ſuum,ſed neque noctem illam lux excipiat, ut quiſpiã præteriiſſe illam ſentiat. Huc enim pertinet illud, *Non uideat ſtellam matutinam orientem*, quod etiam ad Solis aſtium referri poteſt. Quod ſi ſubtilius ſententiam perſequamur, hæc ait; Peccati inquit, quam noctem nominat, adumbiatæ uoluptates, formęq. eximiæ deleantur omnino;neue aliquando uirtutem uincat improbitas. Id enim ualet, *Ad illuminationem non ueniant*, pro eo enim eſt;Illud cognitum ſit, peccati illecebras ipſas eſſe tenebras, nec boni ſpecie fallat. Abſit enim illi ſtella matutina, id eſt ratio, quæ propter probabilitatem illuminata uideri poſſet [b] opinio. Nam qui libenter ruit ad flagitia,ſæpenumero perſeuerat in prolapſione;aut quia a uoluptate comprehenſus eſt, eiuſdemq. illece-

b Codex Card. Caraf. habet δοξὰ: puto mendoſe, cum δίαιτ‹α› potius ſententia requirat.

bris delinitus:aut quia probabiles ſibi fingit rationes, ob quas putat, nequaquam ſe in errore uerſari. OLYMP. Illud, *Non videat orientem Luciferum*, fortaſſe non deprecando pronunciauit, uerum id, quod eſt, indicauit. Nec enim Dei uerbum, qui Lucifer appellatus eſt a Petro, cum ſcribit, *Donec Lucifer oriatur in cordibus ueſtris*, præſtolari poteſt peccatum. Splendeſcente enim luce, tenebræ diſcutiuntur. *Quia non concluſit oſtia ventris matris meæ*. Hoc ad uerba. Quia non meum, inquit, prohibuit ortum? Atqui non in noctis erat poteſtate id facere, ut is ex utero ne egrederetur. Sed tamen, quod his omnibus ſignificat, illud eſt, Præſtitiſſet non eſſe natum, quàm natum hæc perpeti. Illud uero ad intelligentiam grauiorem. Deteſtor peccatum, inquit, quia non ſunt primi mentis meæ conatus repreſsi. Immo uero peccatū concepi, & peperi, id eſt, re ipſa expleui, cum a uetiti ligni guſtatu nō abſtinui, neque intra primos ad peccandum impetus conſtiti. 2.Pe. ca.1.

Abſtuliſſet enim dolores ab oculis meis.

POLYCHR. Quoniam in hanc lucem ueni, Cur non cum matris meæ doloribus, inquit, una extinctus ſum? Quod ſi non fuiſſem, haud me præſentia mala attigiſſent, niſi me mater mea pepeiſſet, in has calamitates haudquaquam proiectus eſſem. Sed illud ad reconditiorem notitiam. Niſi ſcelus, atque peruerſitas conſecuta fuiſſet, interitus, inquit, ac morbi mortalibus minime contigiſſent.

Quare in utero non mortuus ſum? de uentre autem egreſſus ſum, & non ſtatim perij? *

CHRYS. Quemadmodum cum dixit CHRISTUS, *Melius erat ei, ſi natus non fuiſſet*; id tantum ſignificauit, difficilia illum & acerba manere. Ita cum hoc loco Iobus ait, Vtinam natus non eſſem; aut natus continuo periiſſem; non Dei ſuccenſet opificio; ſed magnitudinem tantum calamitatis oſtendit. Ac uide hominis pietatem; ut iracundiam omnem in diem effundat; nec lineā hanc tranſilire audeat; ſemperq. diem, ac noctem inculcet. Ac ſi diceret; Etiamſi pietatis nullam a Deo mercedem tuliſſem, nullum eram, tamen facinus aggreſſurus. OLYMP. Si ſola ratio habeatur uerborum, plana ſententia, Rectius illi futurum eſſe, aut non naſci, aut natum confeſtim extingui. Illud uero anagogiam habet. Præclarum, inquit, eſt, aut nullam facinoroſam cogitationem mentibus noſtris innaſci, aut conceptam ſtatim deleri. Matt. c.26. Mar. c.14.

* Ex his Iobi uerbis prorſus conficitur, recto, iuſtoq. appetitu ini ta ſubductaq. ratione optari poſſe, atque deberi ab unoquoq; potius non eſſe omnino quidquam, quā miſerum eſſe in perpetuum. Ita ſenſit D.Hieron. in 20. cap. Hierem. Iobi uerbis adductus. ita hoc loco Chryſoſtomus, ita Polychronius, & Olympiodorus, ita D. Thomas, D. Bonauentura, & Scotus in 4. ſent. diſt. 50. Quamquam longe alia eſt D. Auguſt. opinio in 3. lib. de lib. arb. c. 6. 7. & 8. quem multi etiam ſequuntur.

Vt

Vt quid obuiauerunt mihi genua? ut quid ubera lactaui?

APOLLINAR. Amplificat ſua; dum optabile ſibi fuiſſe demonſtrat non eſſe principio procreatum. Nam *cur mihi genua obuiauerunt?* pro illo eſt; Cur ſupra genua educatus ſum, a nutrice geſtatus? Cur inuenta eſt mulier, quæ infantium moleſtias ſuſtineret? quæ genubus illum exciperet? quæ illi puerilem eſcam in os inſereret? OLYMPIOD. Non debebam, inquit, in genubus collocari nutricis, lac ad uitam ſuſtinendam mihi ſugendum nō erat. Verum hæc, quæ ſequuntur ſunt altioris doctrinæ. Cur inflexa genua præbui peccato? aut deceptus ſum, quando ad ligni uetiti geſtatum acceſsi? cur & ſceleribus ſcelera cumulaui? Nam *Lactaui ubera*, nempe id ualet, Mores improbos auxi.

Nunc ſopitus tacerem; dormiens autem requieſcerem cum Regibus, & conſiliarijs terræ; qui gloriabantur in gladijs; aut cum principibus, quorum multum eſt aurum; qui impleuerunt domos argento.

APOLLINARII. Dormitionem, & ſomnum mortem dicit, ab imagine nomen mutuatus; aut etiam hoc appellat uocabulo ob ſpem reſurrectionis. Quaſi diceret, Nihil mihi noui accidiſſet. Quod enim eſt hominum naturæ commune, id ipſe minime recuſarim. Nec enim eſt quiſquam, qui mortem poſsit euadere, & Reges, & qui ſapientiæ nomine glorioſi ſunt, ſi modo uitalem hūc ſpiritum ducunt, neceſsitati parent moriendi. Regno autem, & ſapientia quid tandem præſtantius fuerit? OLYMP. Hinc ipſi erudimur, neque in tyrannide ac poteſtate, neque in diuitijs, neque eſſe in ſapientia magnopere gloriandum. Quandoquidem Reges, & ſenatores terræ, hoc eſt, qui ſapientiam & conſilium uenditāt, & qui gloriantur in gladijs, id eſt in imperio atque dominatione, in victoriis, atque trophæis, adde eos etiam qui copia auri abundant, communem mortis conditionem, ſubire tamen coguntur. Nullam rem igitur aſperam laturus eram, ſi ortus comitem interitum excepiſſem; nullamq. eorum, quæ in uita putantur, bonorum partem tuliſſem; præſertim cum ipſi illi, qui ob eas res ſeſe magnopere circunſpiciunt, non ſecus quàm ceteri excedant e uita. CHRYS. Mihi quidem certe cohibere uidetur amicos, iiſq. perſuadere, ne magno res humanas æſtiment, Vel ipſa in calamita-

te

in philoſophiæ uerba recognoſce. Olymp. Quamobrem hæc, inquit, lugetis, quæ ſuapte natura fluxa ſunt, atque fugacia? Nũ mortem acerbam putatis? At illa portus eſt, & ceſſatio præſentium malorum: quæ me ſane in hanc lucem ingreſſum cunctis ærumnis liberaſſet: & nunc quidem, ſi mihi mori cõtingat, Regum & Principum haud ero diſsimilis. Vbi enim nunc illorum dominatus? aut uero diuitiarum fiducia? aut etiam conſilij, ac ſapientiæ inſolens gloriatio? Etenim, ſi uerba nuda ſpectentur; qui fieri poteſt, vt qui eſt in lucem editus, non neceſſario ſomnum & quietem capiat? Ad theoriam igitur confugiendum eſt; atque hoc pacto cogitandum. Primum parentem, niſi ſeſe ſcelere obligaſſet, fuiſſe ſẽpiterna quiete quaſi iucundiſsimo ſomno fruiturum.

Aut tamquam abortus egreſſus de utero matris, aut tamquam infantes, qui non uiderunt lucem.

Polychr. Poſtquam dixit de morte, quæ e matris utero foras progredientem ſua ſponte comitatur, nunc augendi cauſſa addit: aut quaſi embryo, cuius nulla poteſtas eſt adipiſcendæ lucis. Vtinam, inquit, maternos dolores excepiſſet interitus; atque ad ſepulchrum deportato nulla hauriendi lactis impoſita neceſſitas fuiſſet. Etenim non modo quidquam grauioris mali expertus eſſem; ſed etiam uitæ huius difficultates uitauiſſem, quamquam quid mihi primordia uitæ deguſtanti optem interitum? Vtinam prima mei corporis conformatio nuſquam exiitiſſet. Chrys. Ad omnem elationis auertendam ſuſpicionem cum inchoatis & abactis partubus ſe ipſe comparat. Olymp. Abortus; eſt fętus nondum in utero abſolutus, atque formatus. Infantem autem dicit eũ, qui nec malorum, nec bonorum, quæ ſunt in uita, ſenſum hauſit. Cur autem nonnulli partus non abſoluantur, alii uero perfecti quidem, ſed tamen mortui fundantur; quidam etiam quo tempore eduntur, extinguantur, huius inquam rei explicare rationẽ, non eſt humanæ mentis: cum id totum ad arcana Dei iudicia ſit referendum. Sed nimirum conceptibus rudibus inuideo; qui nec vllam ſunt ægritudinem, doloremue experti; nec e re quapiam moleſtiam ullam ſuſceperunt: ſed, quemadmodum ſine labore uenerunt, ſic ſine dolore aliquo, atque omni ſenſu uacui abierunt. Nec non ijs inuideo, qui immatura ætate deceſſerunt. Et hi enim quaſi per tranſennã ſtrictim uitã adſpicientes ſunt extincti celerius. Dein, ne quis illic paria eſſe omnia arbitraretur, quid inter pium, atq; impium diſcriminis conſtitutum ſit, oſtendit, dum addit.

Illic

Illic impij ceſſauerunt a furore iracundiæ; illic requieuerunt defatigati corpore:

CHRYS. Quid ais? Ego ne impius, ac facinoroſus? Verum nec huic hominum generi eſt negatum ſolatium. Laudationem deinceps mortis inſtruit; quòd uiuum nonnulli deſeruerunt; alij ex ęrumnarum fluctibus emerſerunt; quidam portum calamitatum inuenerunt; quidam etiam impedimenta nequitiæ offenderunt; ſed quod caput eſt, rerum, quæ in prætéritis relictæ ſunt, inanis eſt expectatio. Nam qui ſemel quietem illam complexi ſunt, nunquã dimittent. Vt mors acerbitatum omnium, ac malorum ſit planè ſolutio. OLYMP. Doctrina nos erudit præſtantiſsima; mortis enim utilitatem docet; quamuis eam peccatum in noſtrum genus inſuderit; Dei nihilominus benignitate, atque conſilio mortalibus conuertiſſe tamen in bonum; cum impij, atque ſuperbi ea ratione a malo, atque ab inſanabili furore prorſus arceantur? quandoquidem interimuntur inuiti; qui uero ſunt corpore defatigati, id eſt, qui corporis doloribus exagitantur, ac rerum mortalium moleſtijs excruciantur, laborum exitum conſequuntur. BASILII. Fuerint ſane defatigati, qui arctam, & ęrumnoſam uiam ambularunt; qui in hoc ſęculo laborarunt; qui in ſexcentis pro adipiſcenda uirtute ſuſceptis certaminibus deſudarunt; qui laboribus exerciti ſunt uehemētius. Talis fuit ille laborioſus & calamitoſus Lazarus; talis Iobus ob tam multas cum hoſte pugnatas pugnas defeſſus. Itaque hos, qui in bonis actionibus, ac rectè factis laborarũt, ad quietem Dominus inuitat; eos inquam, qui anguſtam, laborioſamq. uiam, præ facili, & laxa delegerunt. OLYMP. Nullam rem expeto flagitioſam; ſed id tantum, quod ad mortalium commodum inſtituit Deus, interitum. Verum enim, cum Biblia nonnulla habeant, illic impij inflammarunt furorem iræ, ſic ipſe commentabere: eos, qui poſtquam in terris caſtigati fuerunt, in impietate nihilominus manſerunt, diuinæ iræ ſupplicio eſſe coercendos. POLYCHR. Theodotio autem cum ad hunc modum interpretatur: Poſuerunt furorem iracundiæ, ſententiam quandam aliam adfert; nempe illos a ſua improbitate ceſſaſſe.

A *Vnanimiter autem ſæculares, qui non audiunt uocem exigentis tributum.*

Phorologus eſt, qui tributa colligit, exactor, qui multas pecuniarias redigit. Hoc igitur, dicit, poſt mortẽ nullum eſſe diſcrimen

Regis,

Regis,ac priuati;exactoris,& eius, a quo exigitur;diuitis,ac pauperis? Verum vitæ huius figura, atque imagine per mortem ſublata, peræq. eſſe omnes in poteſtate mortis: cum alios quidem laborum contentione relaxet; quorundam autem dominationem extinguat. Illic enim uerſantur,qui iam inde ab initio moriendi neceſsitati conceſſerunt; qui ſunt acerbis quæſtorum exactionibus liberati. CYRILLI. Vt ſignificet eos,qui e uiuis exceſſerunt, extra ærumnas eſſe, mortem omnibus ſuperiorem eſſe confirmat. Vt non modo nihil ij patiantur mali, ſed ne auditione quidem accipiant. CHRYS. Eſt autem hoc loco illuſtrior quædam quærenda ſententia. Nempe igitur diuinus ſermo eos prædicat beatos, qui uocem uectigalia, ac tributa exigentis minime audierunt. Qui enim corporis uoluptatibus, animiq. cupiditatibus reſiſtunt, & principatus, ac ſpiritualia nequitiæ proculcant,exactoris, hoc eſt, diaboli uoce nequaquam uincuntur. Nam ab iis, qui ſeſe ei ultro dediderunt,hoc pro tributo exigit;ut eius ſatisfaciaur cupiditati. Verum iuſti homines cum illius uocibus hortantis ad mala aures claudunt,tum demum in cęleſte regnum feliciter adſcribuntur.

Paruus, & magnus illic eſt, & ſeruus non metuens Dominum ſuum.

CHRYSOST. Mira eſt,inquit, huius uitæ inæqualitas, mira item poſt migrationem ex hac ipſa uita libertas, & æqualitas. Mutationis ut hic,ſic illic nulla ſuſpicio: mors malorũ ac ſcelerum eſt impedimentum; ærumnæ diſſolutio;nam quæ hominum opinione erant mala,profligata ſunt; & qui olim herum metuebat ſuum, haudquaquam illic extimeſcit, *illic paruus eſt & magnus*, id eſt perinde obſcuri, & humiles, ut qui dignitate clari extiterunt. OLYMP. Is qui tabe corruptus erat,ex quo uermium fontes redũdabant;qui ſanie perfluebat, adeo multis de morte philoſophatus eſt. Ac dolorum pene oblitus, incorrupta mentis acie optimas nobis tradidit diſciplinas. Ipſi autem nullam harum rerum cogitationem ſuſcipimus. Si enim in mortis memoriam rediremus, eſſet uidelicet uita noſtra rectius conſtituta. Diuitias uero, atque imperia, ac denique quicquid eſt in uita iucundum, facile contemneremus.

Vt quid data lux eſt iis, qui ſunt in amaritudine? uita autem animabus, quæ ſunt in doloribus?

OLYMP. Multifariam ſcriptura, *ut quid?* adhibet in ſupplicationibus

tionibus: cum nullum ob caſus aduerſos grauem animi ſenſum
Pſ.9. teſtatur, ut cum dicit. Vt *quid, Domine, receſsiſti longe?* Et, *ut*
Pſ.73 *quid Deus repuliſti in finem?* Nec enim quidquam aut expoſtulat, aut cauſſatur: ſed precibus hoc tantum contendit; ut ne in rebus aduerſis deſeratur; ne ue tandem repudietur. CHRYS. & POLYC. Nec uero criminantis hæc uerba ſunt: apage. Nec enim ea, quæ non eadem mente promuntur, eodem modo ſunt accipienda; ſed mærentis, & ſciſcitantis ſunt illæ voces; Quid ſit, cur ii, qui calamitatibus vexandi erant, in uitæ ſtadium ingrediantur. Nam ætatem cum aliis degere iucundum ſit ijs, qui & ſplendore præditi ſunt; & firma corporis fruuntur ualetudine. Quibus uero hæc ipſa denegata ſunt, vitaq́. angoribus & miſerijs conficiuntur, non uideo quid commodi huic ipſi uitæ poſsint adferre; illi enim vtilitatem quampiam fortaſſe præbuerint; at hi quãnam? OLYMP. Quando igitur tu Domine uitæ lucem mortalibus impartiris, circumcide dolores, circumcide animi ægritudinem. Nã, ut nũc eſt, hac, quæ doloribus conferta eſt uita, mors eſt optabilior. CHRYS. Hinc intelligimus non uitã ſolũ, ſed etiam mortẽ ad hominũ cõmoda demigraſſe. Ergo, quia mors habet, cur expetatur, adiungit.

Qui mortem optant, & non aſſequuntur; ſicut qui fodiũt theſauros: ualde læti facti ſunt, ſi inuenerint. [a]

POLYCHR. Ardentiſsimam quamdam his uerbis oſtendit cupiditatem. Eiuſmodi, inquit, qui premuntur calamitatibus, e morte capiunt uoluptatem, qualis eſt eorum, qui cum auri ſint appetentes, theſaurum inueniunt. Vt enim, qui aurum effodiunt, theſaurumue ſcrutantur, ubi inuenerint, lętantur; ita, qui acerbis plagis perculſi ſunt, cum adeſſe mortem ſenſerint, in ſpem ſolutionis malorum ingreſsi lętantur. CHRYS. Idcirco tempus, inquit,
Eccl. eſt rei cuilibet, ac rurſus; *O mors, quàm amara eſt tui memoria, ho-*
c.41. *mini pacem habenti in ſubſtantiis ſuis? uiro quieto, & cuius uiæ di-*
Eccl. *rectæ ſunt in omnibus, & adhuc ualenti accipere cibum:* & rurſus. *O*
c.eod. *mors bonum eſt iudicium tuum homini indigenti, & qui minoratur uiribus, qui ſumma eſt ſenectute, qui ab omnibus diſtrahitur, & qui perdidit patientiam.* Ita Iobus, cum in ærumnis iaceret, mortis cupiditate tenetur, atque hæc loquitur, ſcilicet ut intelligas, cum ei uxor ſuadet. Dic uerbum aliquod contra Deum, & morere; non ideo ei non paruiſſe, quòd uitæ flagraret deſiderio, ſed multo maxime religionis ergò: quippe qui accerſendæ mortis ſibi occaſione oblata uti noluit, quamuis eã magnopere expeteret.

[a] *Hæc interpretatio Polychronij eſt, uel Apollinarij in Cat. Vinc. Pinelli.*

Mors

B *Mors uiro requies.*

CHRYS. Sententia eſt hæc, Si igitur mors requies, quamobrē non ad eam feſtinant multi? ob id ipſum uitam optabilem nobis eſſe uoluit Deus, ne properantes incurſaremus in mortē. ISIDOR. Ex hoc loco, *Mors uiro requies*; perſuadere conantur nonnulli, fortibus tantum hominibus, atque excelſa mente præditis eſſe ipſam mortem requietem; ceteris hominibus non item. Quod mihi ſane frigidum, atque inane uidetur. Nam ſi magnanimo mors quies eſt, idcirco quia contentionum exitus eſt principium præmiorum; eſt illud etiam ſatis apertum clariſsimo Iobo non de iis, quorum generoſa eſt animi uirtus; ſed de illis, qui neceſſariis oppreſsi ſunt ærumnis, fuiſſe ſermonem. Quòd ſi id cuipiam uideatur incredibile, ex cognata, ac finitima ratione loquendi id facile perſpexerit; hæc enim fuerat horum poſteriorum uerborum præmunitio: *Vt quid data lux eſt iis, qui ſunt in amaritudine? & vita animabus, quæ ſunt in doloribus?* Quando igitur alio quodam locò dicit; *Cum tentationes undique fuerint ad cælum pertingentes, & ineuitabiles, & munimem ſuum ſuper me exaltauit, tunc mors iucunda & deſiderabilis eſt*: certe ab hac noſtra non diſcedit ſententia. Adde quòd uiri nomen non de mare tantum, ſed de fœmina etiam dicitur, ita homicidam eum etiam, qui mulierem interfecit, appellamus; & ἀνδριάντα, non quod ſolius eſt uiri, uerum etiam quod eſt mulieris ſimulachrum. Verum Iobus ſimul ut dixit, uiro mortem quietem eſſe, cauſſam attulit.

Concluſit enim Deus contra eum.

Duplici eſt, inquit, nomine mors uiro requies; tum quia cum uitæ ſit meta, hominū claudit actiones, facitq. ut a ſcelerate uiuēdo abſtineant; tum etiam, quia ſtudiis laboribusq́. uirtutis finem imponit: illic enim non amplius certamina, ſed corona: non amplius ſudores, ſed quies. Ea igitur uerba. *Concluſit Deus contra eum*; huic par eſt; laborum qui uirtutis cauſſa ſuſcipiuntur, ac uitij mors habet exitum. Fortaſſe etiam, ne quiſpiam diceret, Si mors requies eſt, cur igitur non eam eligis? *Deus enim*, inquit, *concluſit contra eum*. Portæ, inquit, clauſæ ſunt. Symmachus reddidit: Sepſit contra eum, id eſt, ei Deus ab agendo uacationem cōceſsit. Verum primum illud eſt probabilius. Habent nonnulla Biblia inter ea uerba, *Mors uiro requies*, atque inter hæc, *Concluſit enim Deus contra eum*, uerſum hunc interiectum, Cuius uia abſcō-

dita

dita eſt ab eo. Quorum uerborum hæc eſt ſententia. Mortis uia abſcondita eſt ab homine. Nec enim quiſquam mortis impendentis tempus animo complecti poteſt, cum illa repentina ſit, & incerta. Nam dictum eſt, *quia dies Domini ut fur in nocte, ſic ueniet.* 1. Theſſ. cap. 5.

Ante cibos meos gemitus mihi uenit: lacrymor autem ego compreſſus timore.

a OLYMP. & POLYCHR. Cauſſam exponit, cur optet interitum. Quod enim dicit, eſt huiuſmodi. Haud quiſpiam dixerit, hæc leniter a me, ac temere fundi, quaſi nihil mali patiente: quandoquidē nec cibum ipſum ſine labore capere poſſum, nec ſumere ſine ſuſpirio, oneratus ærumnis vſque ſuſpiro; malorum additamentum ſemper exſpecto, & ex eo, quod præteriit, quod futurum eſt, pertimeſco. Sed nec lacrymas tenere poſſum, ueritus ne me Deus plane deſeruerit. Cum mihi multo futurum ſit præſtabilius non fuiſſe omnino, quàm in hoc mali genus actum eſſe præcipitem.

a In Catena Vinc. Pinelli tribuitur interpretatio hæc Apolinario: haud dubito eſſe horum trium græcorum hominum.

C *Timor, de quo ſolicitus eram, venit mihi; & quem metuebam; obuiauit mihi.*

CHRYSOS. Hæc igitur cauſſa fuit, cur in tantis procellis, & fluctibus, qui oratione explicari nequeunt, Iuſtus hic inuicto animo ſemper conſtiterit. Namque, cum diuitijs, & opibus abundabat, paupertati præſtolabatur; cum ualeret corpore, morbum expectabat; cum tot liberorum pater erat, ſubitam orbitatem opperiebatur. Atque hic metus ille erat, hæc anxia exercitatio, quam domi ſemper alebat; cum nec rerum naturam ignoraret; & earū fluxam condicionem commentaretur. Idcirco dixit, *Timor, quem metuebam, obuiauit mihi*: præclare dixit, *obuiauit*: tamquam ſi dixiſſet, ad quem ipſe cogitatione progrediebar, ſemper, inquam animo ſeſe illi offerebat, illum expectabat, illi præſtolabatur. Quamuis diuitijs affluens, atque delitiis, in magna gloria uixerit, nihilominus alienas calamitates quotidie tractabat animo, & agitabat. Itaque ea, quæ grauia, & intoleranda uidentur mala, incurſantia nihil illum permouerunt. OLYMP. Illa Dauidis uerba haudquaquam uſurpauit: *Ego dixi in abundantia mea, non mouebor in æternum*: ſed ob excellentem potius philoſophiam magno ſemper erat in metu; rerumq. deteriorem conuerſionem meditabatur.

Pſal. 29.

D *Non pacem habui, non tacui, non requieui: venit autem mihi ira.*

Chrys. Non dixit. Non pacem habeo, non quieſco; uerum ſuperiore tempore, nec pacem habui, nec quieui. Quamuis enim illa, quæ iam abierunt, iucunde mihi blandirentur; tamen acerbitatum expectatio quieſcere animum, præſentibusq. frui delicijs non ſinebat. Ergo quæ ratione antea complexus eram, cum illa ipſa nunc mihi eueniſſe uideam, fero fortiter; ut quæ mihi multo antea fuerint præmeditata. Nec uero illa, quæ iam expectatione deuoraram, cum cernam præſentia, aut noua uidentur, aut quoquo modo perturbant: Immo uero expectata, inquit, mihi uenit ira, id eſt, pœna acerba atque intolerabilis, quam & expertus ſum; & prius quàm experirer, peruidebam.

ADDITIONES IN CAPVT III.

A *Non audierunt vocem exigentis tributum.*

Olympiodori.

Exactorem tributi diabolum dicit, quandoquidem peccatum ab unoquoque, ceu tributum quoddam iniuſtum exigit. Vel aliter. Quoniam iuſti homines exactoris uocem minime audierunt, ut eo ſuaſore improbe agerent; idcirco beata in Cœlo uita ſimul perfruentur.

Cyrilli Alexandrini. Diuinus itaque ſermo beatos prædicat eos, qui exactoris tributorum uoces nequaquam audierunt. Porro autem qui corporis cupiditatibus reſtiterunt: qui Principatus conculcarunt, & ſpiritalia nequitiæ uicerunt, ij ſunt qui uocem exactoris ſuperarunt.

B *Mors Viro requies. Cuius via abſcondita eſt ab eo.*

Verba hæc: cuius via abſcondita eſt ab eo: non extant apud ſeptuaginta. Sed tamen illa ſic exponit Apollinarius. Cuius proſpici nequeunt actiones.

C *Timor, de quo ſolicitus fui, euenit mihi.*

Apollinarii. Quo is timore percellebatur? ne forte eũ Deus plane deſeruiſſet. Quòd enim ante a nobis dictũ eſt, mille is corporis mortes ſubite maluiſſet, quàm ſuſpicari ſe a Deo deſtitui.

Non

D *Non pacem habui; non ſilui; non quieui.*

Apollinarii. Quid, inquit, illam mihi priorem obijcitis ſelicitatem? quæ mihi ad extremũ haudquaquam eſt commitata: adeo acerba, ac celeri rerum omnium ſacta commutatione: illud enim *non pacem habui*, pro eo eſt non eumdem ſtatum retinui. *Silui* autẽ, ideſt in bonorum parte aliqua fui; *quieui* autem, hoc eſt ex opibus, ac diuitijs nullam cępi uoluptatem. Venit autem mihi ira, ideſt nec dum uoluptate aliqua deguſtata, acerbam, ac deploratam expertus ſum calamitatem.

PROTHEORIA CAPITIS QVARTI.

OLYMPIOD. Iis, quę Iobus philoſophatus eſt, palam oſtendit, nec ſe doloris ſenſu carere; & nihilominus in medijs cruciatibus a corporis cõmercio pæne alienatum eſſe. Nam & præſtantiſſima eſt ab eo immortalitatis inducta doctrina; cũ animos cũ corporibus nequaquam extingui perſuadet, ſed in infernis ſedibus commorari: & diuites erudiuit, & pauperes ſolatus eſt, dum rerum omnium finem eſſe confirmat; tum eorum, quæ terribilia, tum eorum, quæ iucunda videntur in vita; Deumq; hominum rationibus vtiliter morte conſuluiſſe. Quando hac ratione, & improbitatem cohibet; & laboribus, atque moleſtijs quietem largitur; neque in amplis copijs deſpicientes ceterorum eſſe oportere, ſed vitæ inclinationem eſſe potius pertimeſcendam. Ac demum eſſe mori optabilius, quàm diuinum numen ſcelere violare. Hæc cum Eliphazi comitibus minime intellecta eſſent; ac verba, quibus moriendi deſiderium Iuſtus teſtabatur, impia in Deum maledicta arbitrarentur, inſipienti ſtudio concitati, atque ea parte animi, in qua irarum, & cupiditatum ardor exiſtit, inflammati in diuinæ prouidentiæ rationibus prorſus hallucinantur; quòd mala, quibus hominum vita tentatur, in ſcelus referunt omnia. Illi igitur, Dei cauſſa & defenſione ſuſcepta, cum Iobum tamquam culpis obnoxium iuſtis a Deo pœnis coerceri contendunt, nimirum qui conſolandi cauſſa commearant, viri Iuſti cruciatus ve-

hementius amplificarunt. Neque id mente agunt improba; verum ea re tantum adducti, vt terroribus etiam adhibitis amicum ad meliorem mentem, & ſaniora conſilia traduceret. Quocirca ſtomachatur ijs Deus, tamquam hominibus minus iuſta locutis. Sed tamen veniam impetrant, quòd non a ſcelerato animo, ſed a beneuolentia erga hunc Iuſtum, atque a pietate aduerſus Deum illorum cōformabatur oratio. Vt nec ipſa quidem amicorum refellendi ſtudio inducta oratio inutilis nobis futura ſit: licet nec neceſſaria, nec opportuna, nec eius perſonæ, qui haud illam audire debebat, digne acciderit. Principio igitur hoc docemur, non utcumq; adhortationes inſtitui oportere; ſed magna cum religione, ac precibus Deo adhibitis: ne ratiocinando erremus; ne ue peruertamur. Et quoniam is, qui contra quàm oportet, iudicat, non modo ex ſuo iudicio vtilitatem percipit nullam, ſed damnum potius ſentit, quamuis Dei cauſſam verbis tueri videatur: idcirco diuino timore duce eſt habenda oratio. Improbus enim dæmon noſtris libenter ſolet praeeſſe ſermonibus, eamq́; animi partem, quæ efferueſcit iracundia, perturbare; ut mente tenebris circumfuſa, & a pietate ipſi abalienati, qui vtilitatis cauſſa conueneramus, ijdem nobis mali, ac damni ſimus auctores. Et quidem exordio vtitur Eliphazus ad perſuadendum accommodato: ſed tamen in media concidit oratione. Probare enim nititur ob peccata Iobum torqueri malis, & ad virtutem conuertere, qui conuerſus eſt, conatur; & ad pietatem traducere eum, qui et omni reprehenſione uacabat; & Deum colebat religioſe; & qui in medijs cruciatibus talia fuerat philoſophatus.

CAPVT

CAPVT QVARTVM.

CAPVT IIII.

Suſcipiens autem Eliphaz Themanites, ait.

OLYMP. *Suſcipiens*, id eſt, Iobi uerba cum excepiſſet.

Nunquid ſepe tibi ſermo eſt habitus in labore? robur uerborum tuorum quis ſuſtinebit?

CHRYSOST. Nouit ſcriptura laboris nomine peccatum ſigni-
Pſal. ficare. Vt cum dicit; *Sub lingua eorum labor & dolor.* Sic ergo
10. Eliphazus, Vide, Iobe, ne forte aliquid locutus ſis in peccato; eaq́. de cauſſa his premaris ærumnis. Nec uero dicit; Numquid geſtum tibi eſt, ſed, *Nunquid ſermo eſt habitus tibi?* Nam, cum eſſet uita eius inſignis, & clara; & ubiuis gentium eius uirtutis plura extarent monimenta, ne eiuſmodi, inquit, utare oratione. Quamuis enim tuæ actiones præclaræ ſint, atque honeſtæ, id etiam accidit, ut peccetur in uerbis. DIDYMI. *Nunquid ſæpe tibi ſermo eſt habitus in labore?* hoc ualet, ipſe uidelicet ſæpe apud eos ſermonem habuiſti, qui caſibus urgebantur aduerſis; iiſdemq́. laborantibus conſolationem adhibuiſti; iis inquam, qui in calamitatibus & ærumnis uerſabantur. Nunc autem uerba tua contemptus plena ſunt, ut nullus iam ferre poſsit. Immo uero tuæ orationis aſperitas tanta eſt, ut uel eum, qui ſileret libenter, excitet ad reſellendum. OLYMP. [a] Theodotiònis hæc eſt expoſitio: Si cœperimus loqui ad te, laborioſe feres. Symmachus uero; Si receperimus ſermonem, affligeris: quæ quidem interpretationes huc pertinent; Noſti uidelicet, ô Iob, numquam ea nos tibi locutos eſſe, quæ moleſta acciderent. Nunc uero, cum uerborum tuorum aſperitatem ferre nequeamus, cogimur contradicere. Oportebat enim erga ortus tui auctorem te gratum uideri: quandoquidem cum prorſus non eſſes, ut eſſes, tibi largitus eſt. Pœnitentia opus erat illum peccatis infenſum tuis abs te placari, nec quidquam de eo dici abſurdi. Contra illum auſus es: & natali diei grauiter ſuccenſuiſti. Hæc loquebatur Eliphazus, quoniam quæ ab Iobo dicebantur, cuiuſnam modi eſſent prorſus ignorabat.

[a] *Theodotionis interpretatio eſt in latina editione, quā ſequitur hoc loco Ambro. lib. 1. de Interpellatione Iob.*

Si enim admonuiſti multos; & manus infirmi conſolatus es; infirmos erexiſti uerbis; genibus impotentibus fiduciam dediſti: nunc autem venit in te dolor, & tetigit te, & feſtinaſti.

CHRYS. & POLYCHRON. Non ea præclara perſecutus eſt facinora Eliphazus, quæ Iobus in opum poſſeſsione ediderat; hic enim facile paupertatem potuiſſet opponere. Itaq; eam tantum cõmemorat utilitatem, quæ ad alios ex illius uerbis peruenerat. Id autem, quod loquitur, eſt huiuſmodi. Præſentia hæc cum uetere illa tua pugnant ſententia. Qui enim fieri poteſt, ut, qui oratione ſæpenumero alios cõfirmaris; & prope labantes erexeris; bona ſpe illis ipſis obiecta, hæc tute ipſe patiare? Qui tandem inuadentem dolorem ferre non potes? Sed feſtinaſti, id eſt, perturbatus es. Ductum eſt enim ab ijs uerbum, qui tumultu perterrefacti, celeritatem addunt ad gradum. Atqui oportebat tibi tuorum uerborum uenire in mentem, & illa reuereri; nec ſolum in alienis, uerum etiam in tuis calamitatibus philoſophari. Illudq. obſerua; illud operis ac muneris Iobum habuiſſe diuinitus, tum ui alios doceret, tum, ut ad mala leniter, tranquilleq. ferenda adhortaretur. Huius enim uirtutis, nõ obſcurum illi, ut taceatur de ceteris, teſtimonium dat Eliphazus. Adhuc uerba Eliphazi minime dura: uerum, quæ conſequuntur, ſolantis perſonam haud decẽt amplius. Nam audi.

Vtrum non timor tuus eſt in inſipientia? & ſpes tua, & malitia viæ tuæ?

Verum Aquila, patientia tua, & ſimplicitas uiarum tuarum. Stultum implicat ſyllogiſmum. Nam quia dixerat: ***Timor, quem metuebam uenit mihi***; ait timorem illum inſanum fuiſſe, & ſpem fuiſſe animi improbitate ſubnixam. Eſt enim amentiæ a uiro bono talia expectari. Quare uel tuo ipſe teſtimonio uitam tuam flagitioſam fuiſſe comprobaſti. Nam, ſi te innocentiæ fiducia erigebat, ſane ſtultus, ac temerarius fuerit metus. POLYCHRON. Nũc demum rebus ipſis probatum eſt aperte, cum ſcelerate ageres, tum te dixiſſe, in uno Deo tibi ſpem omnem poſitam eſſe; quod quidem certum eſt ſtultitiæ argumentum. Id enim ad hunc modum conficitur. Si tu eos, qui mœrore conficiebantur, conſolatus es, ac proſtratos ægritudine erexiſti; Quî tandem ipſe præſenti implicatus ærumna, intolerandum tibi ducis dolorem? Igitur mentiebatur

tunc

tunc illa tua fortitudo: mentiebatur patientia; quandoquidem hęc ipſa te tantopere plaga commouit. Præterea, ſi homo frugi cum eſſes, metuebas,& grauiſsimi alicuius mali incurſionē exſpectabas, metus ille uidelicet,atq; exſpectatio inſipiens erat. Nec enim hominem Deo carum formidare fas eſt, ſed fidere, neque res triſtes, ac malas, ſed ſecundas, ac bonas exſpectare.

Recordare igitur, quis mundus cum eſſet, perijt?

Polychr. Diſcede, inquit, ab iſta uirtutis tuæ inani exiſtimatione; æquus eſto rerum æſtimator: haudquaquam reperias, qui, cum uiam e uirtute ageret, pœnas dederit.

Aut quando veri radicitus perierunt?

Olymp. Non ob illa, quæ geſſerat, ſed ob ea, quę patiebatur, diuini conſilij ignarus Eliphazus Iuſtum condemnat. Illud autem, *radicitus*, uim magnam habet; rerumq́. omnium interitum declarat, fortunarum, inquam amiſsionem, extinctionem liberorū, corporis afflictationem. Dicere fortaſſe poſsis, alios quoque mala eſſe perpeſſos; Sit ita ſane, inquit; At illa mala ad filios, & poſteros haudquaquam permanarunt. Tu uero cum tota familia funditus interiiſti. Quamquam, ô uir præſtantiſsime, uerus Iobus haud eſt periturus.

Quemadmodum uidi arantes, quæ non oportebat: ſeminantes autem illa, dolores metent ſibi metipſis: a præcepto Domini peribunt: a ſpiritu iræ eius delebūtur.

Galat. cap.6. Olymp. & Polychr. *Quod ſeminat quis, hoc & metit*, ut inquit ſacer Apoſtolus, dubitari id minime poteſt, & illud præclare dictum eſt ab Eliphazo, eſſe ſupplicia facinoroſis conſtituta. Hos egomet uidi, inquit, non potuiſſe calculum uitare diuinum; idq́. iure optimo; ſuis enim operibus fructum ferunt dignum. Etenim, cum ſcelerati homines uitiorum ſementem faciant, ſupplicium pro manipulo uiciſsim reportant. Et quoniam primum arandum eſt, deinde ſerendum, tum ad extremum metendum; nēpe recte atque concinne vſus eſt Eliphazus translatione ſermonis. Nam primum dixit, *Arantes, quæ non oportebat*: deinde, *Seminantes illa*: tum adiunxit, *Metent dolores*: Sed tamen id non uidit Eliphazus; non cunctorum hominum eſſe in hac uita remunerationem; cum multi multa admiſerint ſcelera, qui ſine reprehē-ſione ulla migrant e uita: qui idcirco pœnas nonluerunt in terris,

quia tribunalibus illis,& quæ illic exercentur, iudiciis reſeruabantur. Ergo non rectè illud uniuerſe pronunciauit, & iniuſtos in uita exerceri omnino; & iuſtos ab ærumnis eſſe prorſus liberos. Atqui hi fere diuexantur malis, ut eorumdem ſit ſpectata uirtus. Itaque errore mentis Eliphazus diuinæ aduerſatur ſcripturæ, de Iobo his verbis teſtificanti, *Et erat homo ille uerus.* Ille uero, inquit. Haud uerus es. Nam, ſi eſſes, radicitus non periiſſes, liberis, fortuniſq. orbatus. Chrysost. Illud *A præcepto Domini*, huc pertinet. Noli putare, inquit, aut ab improbo dæmone, aut ab hominibus iſta in te mala eſſe immiſſa Deus eſt, qui te ulciſcitur, ac punit. Dubitari igitur nullo modo poteſt, dignum, ac iuſtum eſſe ſupplicium. Polychron. *A præcepto Domini.* Haud labore defatigatur Deus ſolo videlicet imperio reorum ſupplicia decernit. Olymp. *A ſpiritu iræ eius*, huic reſpondet, a minis eius. Dictum etiam eſt, *Exterminabuntur, à ſpiritu*, ut ſeminibus a uento cōſumptis accidere ſolet, ut hic etiam metaphora retineatur. Nam qui talia ſpargunt ſemina, horum a fructu inanis eſt meſsis. Job. c. 1.

Robur Leonis, uox autem Leænæ, [1] *ſuperbia autem draconum extincta ſunt. Myrmecoleo perijt; eo quod non haberet eſcam. Catuli leonum ſe inuicem deſeruerunt.*

[1] Superbia &c. Aug. in lib. unico Annot. in Iob Græcum uerbum γαυρίαμα gaudiū interpretatus, eodē modo Ambr. in lib. 1. de Interpellat. Iob.

Didymi. Naturas ſumit mutorum; quæ non ſolum noſtro generi nullam magnopere præſtant utilitatem; uerum etiam eidem ſunt infeſta inſidiis: probatq. Eliphazus quicquid iniquum eſt, & arrogans, perdi a Deo. Nempe igitur, inquit, cum Deo viſum fuerit, intolerabilis concidit leo. *Vox item Leænæ opprimitur*, infirmiores belluas immanitate ſoni territantis. *Superbia draconum extincta eſt: Myrmecoleo periit. &c.* Olymp. Negant nonnulli Myrmecoleonem animal eſſe ad ueritatem hiſtoriæ, ſed compoſitione eſſe dumtaxat fabricatum. Alii beſtiolam eſſe aiunt ab Oceano ortam, ſiue e terra procreatam. Idcirco uero interire, quòd cibo caret cum eius natura congruente. Quidam etiam affirmant ſine cibo uitam illud ipſum animal tueri, ſic Deo ipſi conſulente. Verum, ſi in hiſtoriæ rationibus perſiſtendum ſit, a natura peritis exemplis nititur perſuadere Eliphazus haud uerum hominem eſſe Iobum. Nam interrogatione confirmans orationem, ſic eum propemodum alloquitur, Dic mihi, Iob, num leones ſuum amiſerunt robur? an non eſt adhuc robuſtum animal leo? Numquid draconum ſuperbia, & gloriatio extincta? an non adhuc exultant arroganter; nec quidquā terren-

terrentur? num Myrmecoleo periit, quamuis cibum non attingat? Num leonum catuli pecorum more gregatim paſcuntur? an non uitam degunt ſolitariam? atque in ſuo loco quiſque commorantur, primæq. naturæ parent inſtitutioni? Ergo ut hæc naturæ metas tuentur; nec eas tranſiliunt aliquando, ſiue puſilla, ſiue immania ſint animalia: ſic tu, ſi uerus homo extitiſſes, nec uerbis tantummodo pietatem iactaſſes, profecto nihil tibi huiuſmodi accidiſſet; nec a Deo deſcriptas lineas tranſiliſſes, ut eſſes ob recte facta infelix, atque ærumnoſus. Hæc uero ipſa ſi ad theoriam traducantur: dicemus impetus animorum, atque perturbationes ſuperiorum animantium ſequi ſimilitudinem. Myrmecoleonis ſimilis eſt diabolus. Is enim formica eſt pietate præditis hominibus, leo impiis. Quòd ſi apud te diabolus non inuenerit eſcam, nimirum perierit, id eſt, eius conatus ad nihilum reciderint, incurſanteſq. perturbationes reſtinctæ, oppreſſæq. fuerint. NILI. Ea natura eſt perturbationum; ut principio haud grauiore contentione ſuperentur; corroboratæ uero maiore ferantur impetu; infeſtumq. bellum, ac periculoſum iis inferant, qui a primo illis ipſis pugnando obſiſtere noluerunt. Idcirco propheta Babylonis ſemen deleri iubet. Igitur, quamdiu in ſenſuum officinis imagines impreſſæ reſederint, eas deleri ſuadet oportere.* Quidam autem alius felicẽ prædicat eum, qui uim perturbationis acrioris atque uigentis nũquam excepit, qui netiam priuſquàm mammis adhæreſcat, elidunt. Illud uero, *Perijt Myrmecoleo, eo quòd eſcam non haberet*, hanc ſententiam adfert. Cum enim oratione inſidiantis perturbationis naturam uellet oſtendere, coniuncti nominis appellationem excogitauit, nomenq. ex audaciſſimo leone, contemptiſſimaq. formica coagmentauit. Irruentes enim perturbationes a tenuioribus uiſis exoriuntur; & quaſi formicæ latenter obrepunt: Vbi uero ſe confirmarint, adeo eſt earum faſtus immanis; ut non minus quàm leo periculum iniiciant occurranti. Tũc igitur certamen ineunti cum perturbationibus, opus eſt armis decernere, cum inſtar formicæ progrediuntur in aciem, contemptam quamdam eſcam obijcientes. Si enim uires fuerint conſecutæ leonis, difficillimam habuerint expugnationem. Neceſſe quoque fuerit, iiſdem cibum ſubtrahere. Sunt autem eſca perturbationum, rerum, quæ ſenſibus hauriuntur, ſimulachra. His enim aluntur perturbationes, his ſpectrũ unumquodque ac uiſum contra animam uiciſſim armatur. Neque uero, cum hæc ipſa commentaremur, Eliphazi ſententiam perſecuti ſumus: ſed, cum uerba ad allegoriam torqueri facile poſſent,

* Quidam id eſt Dauid pſal. 136. qui multo ante id quod multo poſt Iſaias ca. 13. aduerſus Babylonem uaticinatus eſt fore, ut infantes Babylonii cõpreſſi, atque illiſi miſerabiliter ab hoſtibus necarentur.

ueterum uſi ſumus inſtituto. Illi enim,& in his theoriam inuenerunt;& Myrmecoleonis notionem in diabolum accommodarũt: ſiquidem cum is paruas principio ſubſtructiones comparet ad peccatum:poſtquam clam ſubrepſerit, edocet ad extremum contemnere. DIDYMI. Ad hiſtoriam illud eſt. Poſtquam dixit Eliphazus,eos,qui ferunt,quæ non oportet, Dei imperio interituros, addidit idipſum eiuſdem Dei nutu, leoni, ac draconi euenturum eſſe.Qui igitur in mutis tuetur ordinem, multo măgis hunc inter homines conſeruabit. POLYCHR. Sed alia quædam ſuperiorum

Iobus Rex. uerborum fieri poteſt interpretatio.Iobum ob regiam poteſtatem leoni comparat,in quo quaſi nutu ſignificat, eum tum ingenio ad rapacitatem procliui,tum elato animo fuiſſe. Vox leænæ ad coniugem pertinet,draconum ſuperbia,& faſtus ad filios; catulos uero leonum inter ſe reliquiſſe,illos ipſos morte diſſociatos eſſe oſtẽdit. Hæc uero omnia extincta eſſe dicit, ut hominis inceſſat calamitatibus. Ac Myrmecoleonis nomine Iobum indicat,qui peccati labe aſperſus Iuſti nomen ſit ſimulandi artificio adeptus. Quocirca ſtatim inducit.

Si autem uerbum aliquod uerum fuiſſet in ſermonibus tuis,nihil tibi horum occurriſſet.

Tuorum flagitiorum te pœnas dediſſe, a ſigno uериſimili facile quis poſsit argumentari. Niſi enim ſolis uerbis religionem prætuliſſes;ſed factorum etiam fuiſſes ueritatem aſſecutus:nihilq. ab officii religione declinaſſes, haud tantorum malorum acerbitatem deguſtaſſes; præſertim cum iuſtorum hominum actiones nullo pacto Deus aſpernetur. CHRYSOST. Illud, *Si uerbum aliquod uerum fuiſſet in ſermonibus tuis*;indicat,atque innuit,ſæpenumero plenam grauitatis orationem a Iobo uſurpatã eſſe,uel ad æmulatione concitandos nonnullos,uel alterius rei cauſſa.

1 ἐξαίσια magnifica. Ita quoque apud Augu. a *Interpretationem Symmachi habes in latina editione uulgata.*

Utrum non accipiet auris mea 1 *magnifica ab eo?*

a Symmachus autem, Ad me ſermo factus clam, furtiue, & accepit auris mea ſuſurrum ab eo.

Timor & ſonus nocturnus,incidens timor in homines: horror autem mihi obuiauit, & tremor, & magnopere oſſa mea conſtiterunt; et Spiritus in faciẽ meam irruit;

irruit; cohorruerunt autem pili, & carnes meæ. Surrexi non agnoui: vidi & non erat forma ante oculos meos; ſed auram, & vocem audiebam.

Olymp. Plane difficilis, atque impeditus locus; unde multiplices nobis notionum ſemitæ oſtenduntur. Nimirum igitur conatur hac oratione Eliphazus timorem Iobo inferre. Timeas, ô Iob, inquit, neceſſe eſt; nec abs te decet Deum ulla ratione contemni; quandoquidem non die ſolum, ſed noctu etiam de dormiētibus ſupplicium ſumit; cum nocturnis eos uiſis exercet. Id quod cum ipſe ab alijs, cum id dicerent, audiui; tum egomet ſenſi, qui territus ſomnijs ſępe cohorrui, atque contremui; cum oſsium harmonia pene conuelleretur uniuerſa: quidam etiam in me ſpiritus ruere uideretur, nulla mihi interim forma, certa ue ſpecie percepta. Solius uocis exterrentis ſonitum exaudiebam, qui ſenſim admouebatur; ac me tremere cogebat. Aut etiam tale quidpiam fuerit, quod dicit Eliphazus. Verere eum, qui immittendis etiam ſomnijs, irrogat ſupplicia hominibus; cuius quidem eſt formidoloſa notitia. Etenim, ſi quando naturæ illius admirabilem excellentiam mēte complexus fuero; &, quemadmodum, eum loca cōpleat omnia, extra omnia tamē ſit, intellexero; accidere idem mihi ſentio, quod iis euenit, qui intempeſta nocte, arctiſsimo ſilentio omnia occupante, mira quiete conſopiti a nocturno nihilominus ſonitu perterrentur. Quocirca huiuſmodi me notitiæ horrore, ac tremore perturbant; nec quidquam in animi intelligentia aliud relinquitur, niſi notitia quædam obſcuri, atque incomprehenſi ſpiritus. Quod ſi ratiocinando altius euolaro, prorſus nihil cognouero; nihil percepero. Cum enim diuina natura nulla ſit forma prædita, noſtri animi fugit obtutum; quantoq. magis ratiocinationibus, quod quærit, inuenire adnitatur, tanto minus quærendo inueniet. Eſt enim illius natura incomprehenſa; quam ipſam noſter animus tamquam tenuem auram, ſedatamq. uocem, qua mens reficitur, uidelicet, ſentit; oriturq. ille ſenſus a quadam diuinæ naturæ actione, ipſa natura nequaquam ſeſe oſtendente; quæ nec percipi poſsit ratione aliqua, ſitq. tota horrifica. Cuius quidem contemplatio tenebras, caliginemq. mentibus ratiocinātibus obducit; ac ſimile quidpiam, quod fit in uento, conſequi ſolet. Vt enim illum cernere nequimus oculis, ſic nec Deum rationibus inuenire. Vti enim uentus oculos, ſic Deus noſtram prætteruolat intelligētiam. Et quemadmodum uox, uentiq. flatus ſentiri quidem ipſa poſſunt, cerni non poſſunt; ita di

nina etiam natura, quãuis ſublimioribus illam ſæpenumero ratiocinationibus exquiſierim, a conſpectu ſeſe tamen abſtraxit. Cumq. quid Deus eſſet, noſſe cuperem, illius tantum actiones mihi licuit intueri. Hinc ergo diſce, ô Iob, ſermones & monita mea nequaquam contemnere. Nam ipſe quoque ſum illuſtratione dignatus diuina; ac quieta uiſa contẽplatus ſum; ſanctiq. ſpiritus recepi ſplendorem; atque intellexi eſſe diuinum numen ab omni ſpecie, ac figura ſecretum; natura ſimplex, & incomprehenſum. Quaſi auræ tenuis ſenſum mihi quemdam tantum obtulit. Hæc eo diſſerit Eliphazus, ut in Iobi animum facilius eius influat oratio; atque ut in ijs, quæ parat dicere, fide dignus habeatur. Fortaſſe etiam terrorem Iobo adferre conatur; eumq. ad pœnitentiam deducere nititur. Polychro. Annon, inquit, auris mea, quæ mediocritatem ſuperant, accepit a Deo? ut ipſe ne mihi fidem abroges? hoc enim loco, *Accipiet*, pro accepit, intelligendum eſt: multrifariam enim ſcriptura tempus pro tempore ſummutat. Et quidem cum ipſe ſæpenumero diſputantes de Deo audirem; ac diſputationem ego conarer attingere, perterrefactus ſum, ac tremefactus omnino. Quod autem ait, *Nocturnus ſonus*, hoc indicat; Quemadmodum intempeſtæ noctis ſilentio, cum quies eſt arctius cuncta complexa, quaſi cuiuſdam circumcurſantis ſoni cogitationem ipſi ſuſcipimus; & ſicut flatus ruentis motionem ſentimus, ipſum contueri non poſſumus; ſic de Deo mihi cogitanti, cum illum inueniſſe me credo, túc elabitur maxime; nec ea re tamen diuini ſplendoris plane ſum expers. *Spiritus*, inquit, *in faciem meam irruit.* Cur ergo Iob ſecus philoſopharis? cur non pertimes Deũ adeo præſtanti, excellentiq. natura præditum, quem quanto quis acrioribus rationibus uidebitur aſſecutus, tanto eum magis abſoluta perceptio fugerit, ingenijq. ſui tenuitatem, & quæſtionis pondus perſpexerit.

Quid enim? nunquid mundus erit mortalis coram Domino? aut ab operibus ſuis vir irreprehenſibilis?

Polychro. Inexplicabilem Dei naturam eſſe probauit, ad hominis audaciam refutandam. Nunc ad illum ipſum refellendum communis naturæ infirmitatem demonſtrat. Ne putes, hæc, inquit, a me exprobrandi cauſſa dici: peccata enim tibi profero. Nam, ut uniuerſe dicam, nemo reprehenſione culpæ uacat; quæ licet hominem lateat, latere tamen Deum non poteſt; idq. ſignificat, *Coram Domino*. Chrysost. Vide quemadmodum Deo contradicat Eliphazus. Deus enim de Iobo teſtatus erat: illum omni uacare reprehenſione:

henſione: hic autem, nequaquam, inquit, reprehenſione uacat: in quo propterea quibus ipſe erat affinis, ſuperbo decreto alios condemnat. DIDYMI, Ne dixeris hæc: te nulli peccato obnoxium pati: cum nemo, inquit, homo reperiatur, cuius ſit uita ad perfectã legum diſciplinam inſtituta. Fit etiam infirmitate naturæ; ut nõnumquam culpas uoluntarias,* ſæpe etiam, ut eaſdem nec uoluntate contrahamus; quod ipſum ſi pendatur animo, cùm uim habeat ad perſuadendum, propoſitum facile concludit. Nam, ſi ob peccatum quis miſere, & acerbe uiuit; nemo eſt autem a labe integer; profecto nullus non moleſte, atque ærumnoſe uixerit.

*Apud Dydimũ hoc loco non uoluntate cõtrahi culpas eſt non inſtructo perfectoq. conſilio, ac uolũtate prorſus deliberata, Vel certe eas culpas indicat quę tametſi uolũtate ſuſcipiuntur, earum tamen origo nõ prauitas eſt uolũtatis; ſed uel quępiam inſcitia, uel naturæ infirmitas.

Si contra ſeruos ſuos non credit; contra vero Angelos ſuos prauum quid excogitauit.

DIDYMI, OLYMP. & CHRYSOS. A maiore ſumit argumentum: nititurq. probare, nullum eſſe hominem, qui non peccet. Quid de hominibus, inquit, attinet dicere; cum nec Angeli quidem reprehenſionem uitare potuerint? quando & mutabilem ſunt adepti naturam; &, ſi diuini iudicij ponderibus examinentur, haud ſint Dei legitimi ſerui, atque adminiſtri? neq; cunctis in rebus firmitatem, conſtantiamq. tueantur? Quam ſententiam non obſcurę expreſsit Symmachus, ſic enim ille; In ſeruis ſuis inconſtantia; & in Angelis ſuis inueniet ſtultitiam. Ne igitur mirere, inquit, quòd dixi; Non erit mortalis mundus coram Domino: quandoquidem neque id ſeruis, ac famulis ſuis Angelis largitus eſt; ut reprehenſione conſtanter carerent. Illius enim munere continentur, quando illius tantum eſt, ut mutari non poſsit. ATHANASII. Rerum, quæ generatione, creatione ue effectæ ſunt, mutabilis eſt natura; ut quæ extra Dei ſit eſſentiam, atque ex ijs, quæ non erant, conſtiterit.
Pſal. Proinde, *Omnis homo mendax?* &, *Peccauerunt omnes, & egent*
115. *gloria Dei.* Diabolus uero cum inter medios Cherubinos uerſaretur,
Rom. eſſetq. ſignaculum ſimilitudinis Dei, tamquam fulgur e cęlo deci-
c. 3. dit: & Angelos iudicabimus, qui nimirum principatum minimè
Ezel. conſeruatunt. Hic etiam dicitur, *Si contra ſeruos ſuos non credit.*
*c.*28. Deniq; rerum creatarum ea eſt natura, ut commutentur. Nam eſſe prorſus immutabilem ſolius eſt diuinæ naturæ. OLYMP. Illud, *Prauum quid excogitauit,* huic alteri reſpondet; Mutabilem eorum naturam fabricauit: ut ea re in culpæ reprehenſionem poſsit incurrere. Quod ſane certe angelis deſertoribus euenit; ideo, quòd naturã non erant a mutatione alienam conſecuti: Verum libertatis conſilio de ſua ipſi ſtatione deceſſerunt. CHRYSOST. Recte illud dictum

eſt,

eſt, *Excogitauit*. Id enim declarat Dei ſapientiam; qui ne angelos eorum naturæ efferret excellentia, ſibiq. parerent in perpetuum, prauum quid contra eos excogitauit; hoc eſt, eos, qui proprium deſeruerunt domicilium, ſupplicio conſtrinxit.

Habitantes vero domos luteas, ex quibus & ipſi ex eodem luto ſumus, percuſsit eos tamquam tinea, & a mane vſque ad veſperam non amplius ſunt: eo quod non potuerint ſibi ipſis ſubuenire, perierũt: inſufflauit eis, & exaruerunt: perierunt, quia non habebant ſapientiam ipſi.

Olymp. Si Angelos, inquit, qui ſe ſcelere aſtrinxerunt, pœnis irretiuit, dum noſtra crimina ſupplicio ulciſcitur, mirabimur ipſi, qui tanto ſumus angelis inferiores? ac circa terras uolutamur, ad tã facile delinquendũ nos trahente natura? Et uerò delinquẽtibus nobis ſupplicia diuino conſilio irrogãtur; ne peccandi impunitate muniti, in ſumma ſceleris impietate bacchemur. Nã, ſi Angeli, qui ſpiritus ſunt, ac cęli incolæ, cum diuini iudicij ſeueritatẽ ſubeant, habent, quod in ipſis reprehendi poſsit, quid nobis fiet, qui ex argilla ficti ſumus, terramq. habitamus? Hoc ipſum Symmachi expoſitione illuſtratur: ſic enim ille. Quanto magis qui domos habitant luteas? quorum terrenum eſt fundamentum? Etenim ſi Deus percuſſerit, facile conſumimur, neque diem integrum ſuſtinemus, tãquam olera a uermibus pereſa; aut ueſtimenta conſumpta a tineis. Ex quo facile perſpici poteſt, & quanta Deus poteſtate polleat; & quanta noſtrę ſit naturæ imbecillitas. Nam quæ eſt olerum, eadem eſt noſtrum omnium infirmitas, celeriterq. conſumimur ipſi, uti tinea ueſtis; eaq. eſt Dei uis, tamq. ſine labore ullo, quæ uoluerit, perdit, ut quàm facile eſt homini ſpirare, iam etiam Deo ſit, ſolo uoluntatis nutu cuncta ſiccare. Chrys. Illud, *Percuſsit eos tamquam tinea*, huic par, eſt, perfacile ea etiam, quæ ſunt intima, corrupit. *Inſufflauit*, autem id eſt, nullo labore eguit, ſed dumtaxat uoluit, & quæ contra illos parabantur, perfecta ſunt omnia. Verum hæc dicuntur ab ijs, qui ira excandeſcunt, ſumpta tranſlatione, qui pro obiurgatione ſpiritu, atque inflatu uti ſolent. Illa autem uerba, *A mane vſque ad veſperam non ſunt amplius*, fortaſſe Iobi cauſſa dicta ſunt, quòd uno die ſuſtinuiſſet omnia, grauiter dolentis. Olymp. Iudicium, & condemnationem Dei, uſus uerbo tranſlato

flatum,& anhelitum nuncupauit, *Inſufflauit*, inquit, *in eos,& exaruerunt*, ut cum flante uento flores exareſcunt; qua quidem re Dei fit poteſtas inſignis. Illo enim tantum dicente, plectuntur mortales, ijs nulla uitandi ictus, ac repellendi facta poteſtate. Ac ne quiſpiam diceret, Deum imperio cuncta adminiſtrantem temere, atque indicta cauſſa iraſci hominibus, idcirco negat hæc ſine certa ratione conſilij accidere hominibus; ſed ideo euenire, quia non habent ſapientiam, id eſt, quia Deum non timent. *Nam initium ſapientiæ, timor Domini.* *Prouerb. c. 1. cap. 9.*

ADDITIO IN CAP. IIII.

A *Inhorruerunt pili mei, & carnes.*

DIDYMI. Quo acrius ratiocinando ad uim diuini numinis inueniendam nitebar, hoc magis perterrefiebam, tum ingenij mei infirmitate, tum rei, de qua quærebam, magnitudine perſpecta. Hebræus habet, inhorruerunt pili capitis mei; Vt id quod ex ipſa inquiſitione accidebat, oſtenderet; ſicut enim oculis uentus, ita eſt menti Deus incomprehenſus.

CAPVT V.

Inuoca autem, ſiquis tibi obaudiat; aut aliquem Sanctorum Angelorum uideas.

OLYMPIODORI.

QVID inquit, præter dignitatem loqueris? idq; homo cum ſis? Vſque eo eſt enim homo inferior Deo, ut non ſolum, nec uidere illum, nec comprehendere queas, ſed etiam ut nec a te millies inclamatus ſit reſponſurus. Quid loquor Deum? quandoquidem nec eius Angeli in noſtrum poſſunt adſpectum incurrere? POLYCHR. Quòd ſi recta ea eſſe putes, quæ diſſeruiſti, agesis ſententiæ tuæ comitem mihi profer aliquem. Sed nimirum ea es uſus orationis aſperitate, ut nec Angeli conſpectu dignandus ſis, ſi eum inuocaris.

Etenim ſtultum perimit ira.

OLYMP. diuina uidelicet.

Errantem

Errantem autem interficit zelus.

Zelum dicit Dei odium in improbos. CHRYS. Eum meo quidem animo inſipientem appellat, qui peccat, quem etiam ira interimit; non item ſapientem, neque enim illic eſt ira. OLYMP. Sic etiam intelliges; ſtulte iraſceris, atque ijs ſtulte uitam inuides, qui uitam iucunde, tranquilleq. traducunt; quando te ſanctum, & integrum eſſe conſtituis, atque audacia in Deum incitaris. Quocirca illius impetum, ac uim minime effugies. Tua etiam iracundia opprimeris. Cuilibet enim inſipienti, atque iracundo ſua iracundia adfert interitum.

Ego autem vidi inſipientes mittentes radicem; ſed ſtatim ipſorum conuerſatio deuorata eſt.

Symmachus: Et maledixi decori illorum ſtatim. OLYMP. Quoniam Eliphazi cauſſę non parum officiebat iniuſtos homines, ſæpenumero eſſe rebus ſecundis uſos, Iobi quoque rerum priorem ſtatum florentem fuiſſe: Ac ne hic ipſe multorum certaminum uir diceret; Si inſipiens eram, cur opibus ac diuitijs antea circumfluxi? Cõtrario huic argumẽto occurrit amicus, & dicit, Quãuis homo iniuſtus belle, atq; iucunde habere ſeſe uideatur interdũ, ac res ſuas felicitate, atque ſecuritate ſeptas eſſe arbitretur (Id enim eſt, *radices mittere*) illas tamen diuturnas eſſe non poſſe. Immo uero *illius conuerſatio*, id eſt, domus eius uniuerſa, & lętus ille, blandusq. conuictus concidit, atque interit. Cumque radicis, quæ in plantis ſpectatur, mentionem feciſſet, ut in tranſlatione commoraretur, addidit, *deuoratur*; ſiquidem plantæ, quarum exeduntur radices, exareſcunt. Impiorum deinceps exitia attexit: quæ optando quidem efferuntur; ſed tamen ex decretis, ex effectis, atque ex euentis oportet intelligi.

Longe fiant filij eorum a ſalute.

OLYMP. Hoc non raro contingit impijs. Terra promiſsionis iure hæreditatis Iudæorum nationi obuenerat; nihilominus eorum, qui illam antea habitarunt, ſcelere atq; impietate interfecti ſunt. Neque id tamen fit in hac uita perpetuo; cum non hic, ſed in eo, quod conſequetur, æuo prorſus reponatur hominibus. Ita cum ſine diſcrimine enũciarit, haud recte dictũ eſt Eliphazo. Illud uero, *longe fiant*, non optantis eſt, ut iam admonuimus, ſed pro hoc altero eſt, facti ſunt, tamquam id euenerit omnino. Tempora enim

abſque

abſq; diſcrimine uſurpantur, præſertim in hoc ipſo uolumine.

Tamquam porci verſentur in portis inferiorum, & non erit, qui liberet.

Olymp. Id eſt, conterantur, contemnantur, κόλαβροι enim puſillus eſt porcus, cui Aquila, Conterentur; Theodotio, confracti ſunt; Symmachus, humiliati ſunt, reddidit: Contempti enim nulliusq. pretij habebuntur. In alienis ianuis contabeſcent; in ianuis inquam humiliorum, extremaq. in eos incumbet calamitas. Et quia erunt Dei protegentis ope deſtituti, haud quiſpiam reperietur, qui illos ipſos uindicet ab ærumnis.

Quæ illi congregauerunt, iuſti comedent.

Symmachus autem, edent famelici; hoc eſt, quæ ab improbis fuerint cum labore congeſta, ijs homines pij potientur. Chrys. Nimirum id dixit, qui artibus improbis opes coaceruant, his eos nequaquam perfruituros.

Ipſi autem a malis non erunt liberi.

Polychron. Non modo impij ſuas, inquir, amittent diuitias, ſed nec etiam quibus premuntur malis liberabuntur; neque enim fieri poteſt, ut pœnas non perſoluant; licet ad breue tempus in rerum abundantia gliſcere uideantur.

Exhauriatur eorum fortitudo.

Id eſt, abſorbebitur, conſumetur, plane uacuabitur, ab ijs rebus ſumpta metaphora, quæ fiſtula, canalíue exhauriuntur omnino, ut nihil humoris plane relinquatur. Ita Symmachus, Exorbeat ſitiens potentiam eorum.

Non enim egreſſus eſt de terra labor.

Symmachus autem, Non egredietur de puluere labor.

Neque de montibus germinabit labor: ſed homo naſcitur labori; pulli autem aquilarum in ſublimia uolitāt.

Olymp. Tacite his uerbis Iobum conſolari uidetur. Minime decet, inquit, ideo re cōfici, quòd ærumnis afficiare, homo cum ſis. Neque enim cruciatus eſt rerum ſenſu carentium; ſed nimirum ipſę etiam uolucres (ex Aquila enim reliquas irem aues intelligit) multo minus, quàm nos laborioſam, atq; curis anxiam ſunt uitam adeptæ. Chrys. Quid ergo? an uolucribus magis conſulit Deus? apage.

apage. Quandoquidem, nec terra, nec montes, cum partem nullam ſenſus habeant; res enim tantum ſunt quædam naturæ; infelicitatem queũt ſubterfugere. Ac ne rurſus ſe iuſtum Iobus diceret, ideo eiuſmodi eſſe ait humanam naturam, ut nequaquam ſit immunis a culpa. Firmum igitur a natura Eliphazus petit argumentum, propriumq. dicit eſſe hominis uexari ærumnis. Statim igitur, ut homo eſt ſuſceptus in lucem, laborum, atque moleſtiarum adit hæreditatem, difficultatibus, atque miſerijs illius uita completur. Atque hoc nomine deteriore eſt noſtra natura ſtatu, quàm earum rerum, quæ e terra, montibusq. gignuntur; quoniã nec in ortu, nec in acretione, dolorem, acerbitatemq. poteſt. deuitare. Auibus etiam conceſſum eſt, ut ſine labore uolent, ac cibum ſine moleſtia colligant: nihil horum ſine tædio atque ærumna adeſt homini.

Verumtamen ego obſecrabo Dominum.

Olymp Sane certe hæc ita ſe habent, Ego tamen ipſe ad Deum confugio; illius opem imploro. Ad hæc, ut ad metum Iobum adducat, Dei narrat excellentiam, ſuaq. obiecta perſona eundem allicit ad pænitentiam. Illud autem, *ego*, dictũ eſt arroganter, ut ſe ipſe a Iobo ſecernat: tamquam ſi diceret, Ego ipſe precabor; quandoquidem tu precationem aſpernaris.

Dominum autem omnium dominatorem inuocabo, facientem magna & ininueſtigabilia, glorioſa, & imperſcrutabilia, quorum non eſt numerus.

Didymi. Poſtquam in homines inſipientes inuectus eſt, atque ea, quæ de illis dicere habebat, expoſuit, nunc prouidentię auctorẽ, atque opificem Deum confitetur. Nec uero improbabile eſt, eiuſmodi de Deo Eliphazũ habuiſſe animo perceptas notitias, qui rerum humanarum ſapientia antecelleret. Rerum igitur aſpectabilium, & quæ aſpectabiles non ſunt, mente continet comprehenſas notiones. Nam de iis, quæ perueſtigari nequeunt, diſſerit; de magnis atque illuſtribus rebus, de pluuia, & aqua, de earum diſcrimine, de iis, quæ e fontibus, torrentibus, uenisq. fluunt. Ergo dicit, Ipſe; nec opinor; nec ſapio, more impiorum. Verum, cum de prouidentia nequidquam dubitem, illud quoque mihi ſit exploratum, eſſe Deum omnium Dominum, temporum, locorum, rerum. Illum ſcilicet inuoco, decere, id ratus; quandoquidem ſtatis ipſe ille temporibus ad hominum commoda res efficit admirabiles; in quibus cunctorum animi merito obſtupeſcunt: quarum

etiam

etiam rerum multitudinem nemo oratione potuerit unquam percenſere;docetq. per omne tempus,tum erga omnes uniuerſe,tum erga ſingulos proprie, uarias diuinæ prouidentiæ rationes extitiſſe. Vt enim hominum numerus teneri non poteſt, ita nequit prouidentiæ diuinæ ratio plane comprehendi.

Qui dat pluuiam ſuper terram: qui mittit aquam in eam, quæ ſub cœlo eſt.

Chrys. Hoc primum illius beneficientię munus; quo & uita noſtra continetur;& temporum uiciſsitudo declaratur.

Qui facit humiles in ſublimitatem: & mortuos ſuſcitat.

Didymi. Ad eam prouidentiam delabitur, quæ noſtrum genus propius attingit. Atque hæc de Deo conſtituit, ipſum ſolitum eſſe,e ſummo loco deturbare ad imum: ex egentibus locupletes: ex obtemperantibus imperantes: ex ægrotantibus ualentes efficere. Polychr. Hunc ergo, inquit, inuoca: is enim per ſe ipſe poteſt te præſenti ærumna liberare, atque in priſtinum dignitatis gradū reſtituere.Idem tibi inſtantium calamitatum, & perturbationum ſanantem medicinam adhibebit, qui etiam deſperantes erigit. Denique hûc eius omnis refertur oratio;ut tum Dei prouidentiā maximam,tum eiuſdem erga omnia poteſtatem parē eſſe perſuadeat.

Qui immutat conſilia aſtutorum; & ut non faciant manus eorum uerum.

Olymp. Id eſt, non patitur, ut ueteratorum, callidorumq. conſiliis euenta reſpondeant. Quin etiam nullo negotio, cum illi collibitum fuerit, huius hominum generis artificia praua peruertit: uel etiam,ut Aquila interpretatus eſt, Irrita facit: ut Symmachus,Diſſoluit:ut Theodotio, Diſsipat.

Qui comprehendit ſapientes in prudentia; conſilium autem multiplicium auertit.

Olymp. Hoc eſt,Qui arguit,qui eminet;qui ſua uincit ſapientia, qui eam,quæ ſapientia uidetur hominibus, ſtultitiam eſſe oſten-
1. *Cor.* dit.Simile huius eſt illud. *Qui comprehendit ſapientes in aſtutia ip-*
c.3. *ſorum*. Multiplices uero appellat,eos qui ſunt nimiū prudētes, qui
et Iob perfidioſa, ac ficta inſtruunt conſilia: quos ipſos prauę ſententiæ
5. homines uocare conſueuerunt ij, qui uim propiam uocabulorum

aucupantur: ideo quod prauitas in eorumdem mente, & conſilio inſit. Illud uero, *Auertit*, pro illo eſt, Inutilia eſſe oſtendit, aut etiā irrita fecit; perfecitq., ut a ſcopo aberrarent. Id uero Symmachus his uerbis extulit; Conſilium prauum perturbabitur.

A ***Die occurrent illis tenebræ: meridie uero palpabunt***
B ***ſicut in nocte: pereant in bello; impotens autem egrediatur de manu potentis; ſit autem ſpes impotenti: iniuſti***
C ***autem os obſtruatur.***

Olymp. Diei, ac meridiei nomine uitę hilaritas, atque iucunditas ſignificatur. Hoc enim dicit, tum demum improbos florētis ſtatus improuiſam mutationem paſſuros eſſe, cum illorum erit ad ſummum perducta felicitas. Noctem uero, ac tenebras dicit calamitoſam rerum condicionem. Accidit quoque hiſce hominibus ut, quæ ſibi ab aduerſariis nox affertur, uitare non poſsint. Qui uero ad diuinarum legum normam humilis eſt, nullaq. poteſtate, ac ui munitus; cui in Deo ſpes eſt omnis conſtituta, hic potentiū petulantem iniuriam facile propulſarit. Chrys. Hęc, inquit, Deus agit, ut & qui nullis eſt uiribus, bene ſperet; & ut iniuſtus non efferatur; & ut lingua ſublimia loquens obſtruatur; & ut elatum ſupercilium deprimatur.

Beatus autem homo, quem [a] arguit Dominus. Increpationem omnipotentis ne abijcias: ipſe enim dolere facit, & rurſus recreat; percuſsit, & manus eius ſanauerunt.

[a] *Arguit eſt temporis præteriti.* ἤλεγξε.

Olympiod. Pręclarum quidpiam dicit, atque emendationi aptam tradit diſciplinam. Iobo enim auctor eſt, ut, quamuis eius a Deo errata corrigantur, non idcirco ferat acerbe. Deum potius plagæ auctorem, & qui ſolus mederi poteſt, precibus exoret. Quod autem dicit, eſt huiuſmodi. Didymi. Arguit Deus, & flagris admonet, non ut perimat; ſed ut eum, qui corrigitur, ſeruet. Ergo ipſe quoque ſpiritus depone, diuinamq. increpationem grata uoluntate complectere. Polychron. Sed neque tanta eſt plagæ magnitudo, ut te a diuina ſpe, atque fiducia queat abducere; certum enim id eſt prouidentiæ ſignum, caſtigari diuinitus. Neque enim iratus hæc fecit Deus, ſed tua curans: ut calamitatibus eruditus, tuorumq. erratorum iudex ipſe, & cognitor conſtitutus, priſtini ſtatus ſplendorem, ac dignitatem recuperes. Chrysost. Si

enim

enim illius nutu mala ſoluuntur, atque ad contrarium ſtatum cõmutantur; ſi ſumma pax ab illo tantum conceditur, profectò exiſtimare debes ab illius tantum conſilio non aliunde, hæc in te omnia eſſe profecta. SEVERIANI. Conſentiant hæc oportet cum iis, quæ contingunt erudientibus malis.

Sexies de neceſsitatibus eruet te; in ſeptima autem non tanget te malum.

CHRYSOST. Id eſt, Non hæc ſemper agit Deus, ſed primum quidem hominem tentationi permittit, deinde non item; ut nec liberatione poſtea egeas. OLYMP. *Sexies*, id eſt, ſæpius in te incurrent moleſtię. Verum, ſi, cum eas exceperis, erga Deum gratus uidebere, *in ſeptima*, id eſt, poſt multa intentata mala, Deus amplius te mala pati non ſinet. DIDYMI. Quorumdam hæc eſt expoſitio, Vſque dum in hoc, qui ſex diebus fabricatus eſt, mundo, quis commoratur, quæ in eo gignuntur, moleſtias ſemper experietur. Quantalibet enim ſanctitate polleat, corporis paret tamen neceſsitati. Cum autem mundum prætergreſſus in illius ſeptimæ diei requiete conſederit, nullum eſt amplius acceptutus ſenſum malorum; ſicut qui nulla pecuniæ cupiditate tenetur, nullo is damno, iacturaue tangitur. Intelligentia uero eſt huiuſmodi. In hoc quidem æuo te exercebit, in altero autem gloria cumulabit. POLYCHR. Nec uero deinceps, ac continenter neceſſe eſt theoriis hiſtorias explanare. Quidam ſex malorum liberationem ordine conantur exponere. Dicit enim, In fame liberabit te a morte, quam unam eſſe putant calamitatem; Alteram in iis, quæ conſequuntur, uerbis conſtituunt, De manu ferri: Tertiam uero illam, A flagello linguæ; Quartam, Ab ingruẽtibus malis; Quinctam, Ab iniuſtis & ex legibus; Sextam, A beſtiis. Quod ſeptimo loco cuncta inſequitur, Eſt domus illi pacem adferens. Sed tamen fuerit ſatius, *Sexies* non in certum, ac definitum numerum coniicere, ſed pro incerto numero uſurpare, ut idem ſit, quod ſæpius. Etenim cum hortatus ſit Iuſtum, ut in Deo ſpem ſuam defigat, pluribusq. id probare contenderit, Deum cum pęna quempiam afficit non ira, ſed prouidentia uti, conſequens illud erat, ut diceret. Hæc ſi tibi eſt ſententia, multis te Deus ærumnis liberabit. Ab illo uero, qui numquam a uirtute diſcedit, primum etiam malorum impetum auertet.

In fame liberabit te a morte: in bello autem de manu ferri expediet te.

POLYCHR. Egeſtate dominante, & cunctis fame enectis, faciet

is uidelicet, ut ipſe in rerum abundantia uiuas: quod ipſum Ioſepho, & Iacobo euenit. Sed neque regionem peruadentibus, & populantibus hoſtibus, ipſe mali quidpiam patiere: cuius rei in Daniele, atque Hieremia haud obſcurum editum eſt exemplum: Non enim te ſinet in bello occumbere. Manum autem ferri uim ferri peracrem dicit.

A flagello linguæ te abſcondet.

Id eſt, perficiet, ut contumelias facile uincas; ut in ore omnium tua uerſetur laus: flagellum enim linguæ, nequitiam, & calumniã appellauit. CHRYSOST. Haud hoc leue eſt, immo uero magnũ, cũ poſſe iuuante Deo hominem effugere, qui nihil boni umquam loquatur [a] lingua enim nihil improbius; quibuslibet inſidiis, quolibet enſe immanior eſt, atque intolerabilior.

[a] *Vide quanta ſit linguæ pernicies.*

Et non timebis a malis ingruentibus.

POLYCHRON. Aquila autem, A direptione ingruentium. Quid ſingula, inquit, commemoro? Nullum denique ad te malũ manabit. Cum ceteri miſeriis, calamitatibusq. opprimentur, tum libertatem ipſe retinebis, uitamq. duces ab omni metu exploratam. Famis autem & belli, & contumeliæ mentionem fecit; famis quidem propter inopiam, qua Iobus premebatur; Belli uero, quòd a barbaris illa uidebatur illi importata calamitas; contumeliæ uero, quia admirabatur ea uehementer, quæ in Iobum ſermone iactabantur. Tamquam ſi diceret, Hæc tibi mala acciderunt, quia cum Deo impie agis. Quòd ſi hoc ſcelus depuleris, non ſolum periculũ, quod ante pedes eſt, uitaueris; uerũ etiã ærumna & ægritudine affectis ceteris, ſecuro ipſe animo, tranquilloq. conſiſtes.

Iniuſtos, & exleges irridebis; a beſtijs autem agreſtibus non metues; feræ agreſtes pacificæ erunt tibi; deinde cognoſces quod pace fruetur domus tua. Conuerſatio autem Tabernaculi tui non aberret.

OLYMP. Vbi perſpexeris, inquit, quanta uis ſit pietatis aduerſus Deum, atque ad eum perfugij, mirifico riſu proſequeris iniuſtos: ferinos autem homines minime formidabis. Hi enim ipſi tuã pietatem ueriti, contra te non pugnabunt amplius. Verum, cũ ceteris bonis nullus erit tibi ab inſidiantibus metus, tunc demum

experi-

experimento intelliges, domum tibi fore pacatam; nec uitæ tuæ curſum fruſtraturum, id eſt, a ſpe bona deflexurum: nempe omnis tibi aberit infelicitas; nihil patieris acerbi; nulli erit uita tua obiecta uiciſsitudini, Deo prouidentia ſua tuam illam, in qua uiues, gloriam continente. CHRYSOST. Poſtremo non exteri modo tecum pacem habebunt, ſed domus etiã pace perfruetur incredibili: tuiq. domeſtici non ſolum inter ſe, uerum etiam nullas tecum contentiones exercebunt. Et nimirum pacatæ [a] domui, nihil par reperiri poteſt. Quid enim profuerit, externis eum non tentari bellis, qui turbis redundat inteſtinis?

a Pacata domui nihil par reperiri poteſt.

Cognoſces autem, quòd multum erit ſemen tuum: & filij tui erunt ſicut omnis herba agri.

Pace te, inquit, undique complectente, copioſæ ſobolis felicitatem aſſequeris. Pars enim quædam erat benedictionis priſcis illis temporibus, copia liberorum. Qui liberis nunc orbatus es, tunc ſpecioſę prolis pater eris: terramq. florentem, & herbeſcentem, ſpicisq. exuberantem imitabere. Erunt item filii tui, filiorum ue nati, *ſicut omnis herba agri*, id eſt, ſicut ager, qui omni herbarum genere effloreſcit.

Venies autem ad ſepulcrum, ſicut frumentum maturum, quod ſuo tempore demeſſum eſt: & ſicut aceruus areæ tempeſtiue comportatus.

CHRYSOST. Id eſt, cunctis bonis floreſcens, liberis tradita hęreditate ad lætam perductus ſenectutem, nullo nec a tempore, nec a uita petito neceſſario ſubſidio, decedes. DIDYMI. *Comportatus aceruus*, hoc indicat abſolutam copiam, & ubertatem, illudq. declarat ſibi in tuto collocato nihil in poſterum defuturum.

Ecce hæc ſic inueſtigauimus; hæc ſunt, quæ audiuimus, [a] Tu autem cognoſce te ipſum, ſi aliquid egiſti.

POLYCHR. & OLIMP. Nimirum hæc ita ſe habent: nec quiſquam dixerit, aliam eſſe rerum humanarum conditionem. Hæc ipſi, dum viximus, vſu percepimus, atque etiam ab alijs auditione accepimus: prorſus nihil eſſe, quod Dei ſubterfugiat prouidentiã: & improbos quidem ſupplicijs coerceri, pios vero multis potiri bonis diuinæ prouidentiæ lege. Quæ cum ita ſint, illud tibi cogitandum eſt; quotumnam peccatorum pœnas luas, ratioq. ineunda,

a Aug. in lib. Annot. in Iob Tu uero ſcito teipſum. *Ambr. in lib. 1. de interpellatione Iob.* Tu autem cognoſce tibi. *Græce* σὺ δὲ γνῶθι σεαυτῷ. *Vide quanto fuerit antea uſurpata hæc ſententia, quam externi philoſophi uiderint.*

quemadmodum, omni adhibita diligentia, diuinum numen placatum efficias; ſed non [a] fruſtra ac temere; id quod nunc grauiter, moleſteq. fers.

[a] ἀλλὰ μιτανά-λως: eſt in Codice Card. Caraſæ omnino corrupte, mea quidem ſententia. Nã vel legendum puto μὴ τηλαλλως. quod ipſi aduerbiũ interpretati ſumus; aut μὴτ' ἂν ἄλλως: quæ lectio longe aliã adſert ſententiam.

ADDITIONES IN CAPVT V.

A *De die occurrent illis tenebræ.*

EIVSDEM DIDYMI. Omnes, inquit, quicumque maiora ſuis viribus aggrediuntur: creduntq. abſque diuina ope, quod quærunt, ſe aſſequi poſſe, nihil reperiunt, perobſcura inquiſitionis tenebris circunfuſi. Reſq. ipſas, non ſecus quàm noctu fieri ſoleat, contrectant tantummodo; perfecte cernere nihil queunt: illa etiam, quæ cunctis patent fugiunt illos. Facit hæc inquit Deus, vt, qui frugi eſt, ſperet meliora; nequam autem, vt ne futiliter efferatur.

B *Impotens autem exeat de manu Dynaſtæ.*

Forma hæc dictionis eſt ad precandum accommodata, ad hunc modum. Faxit Deus, vt imbecillis ſuppetiæ ferantur, ut e potentium manibus elabantur: etenim ijs Deus opitulatur, qui ſuas in ipſo ſpes conditas habent: ut quamuis in rebus non nullis aduerſarijs ſuis ſuccumbere videantur, adiuti tamẽ diuinitus periculis liberentur.

C *Sit autem impotenti ſpes.*

Quamuis deſtitutus viribus videatur: ne deſperet ſe ipſum: ne ſpem omnem abijciat; nam & impotentibus eſt ſpes. Iniuſti vero tum demum os obſtruitur: cum ſuperbo aſtu imminens ijs, quos tractat contumelioſe, eoſdem videt tum e ſua ipſius eripi poteſtate; tum euadere glorioſos.

PROTHEORIA CAPITIS QVINCTI.

OLYMP. Adhuc Iobum cohortatus eſt Eliphazus ad reſipiſcendũ: ob ſua enim ſcelera in cruciatu eſſe Iuſtum arbitrabatur. Verum ad nihilum Eliphazi recidit conſilium; neque Iobo perſuadere potuit ſe noxa teneri, qui nullius rei eſſet ſibi conſcius. Itaque amici contradicendi ſtudio

dio Iobus animaduerſo, rerum ſuarum ſuſcipit defenſionem; de quibus vniuerſe, ſummatimq́; dicit, neque ſilentio amplius ſuam conſtantiam declarat. A natura quoque petitis exemplis ſuæ fidem facit orationi; ac Deum ſanctum appellat, eiq́; fidere ſe ait. Abditam ægritudinis ſuæ cauſſam aperit; quod vereatur, ne Deus illum plane abiecerit: nec non ſuas enumerat calamitates; ſuadetq́; diuitijs, ac poteſtati, nequaquam confidere oportere. Accuſat etiam amicos, quòd verbis illius moleſtias amplificarint; ijsq́; ſuadet, vt in alienas ærumnas intuentes metuant: optimumq́; cunctis hominibus ſtatuit documentum; tentationum eſſe vitam hanc refertam. Ac rurſus tragice ſuas perſequitur calamitates; contenditq́; a Deo obnixe, vt ſui recordetur, ſeque inuiſat. Ac denuo ſuos purgat ſermones, & humanæ naturæ nihilum adhibet ad precationem, petitq́; a Deo, vt, ſi quid fuerit ab illo peccatum, perpetua velit obliuione delere.

CAPVT VI.

A *Suſcipiens autem Iob ait. Si enim quis appendens appenderit iram meam, dolores autem meos ſimul ſuſtulerit in ſtateram, profecto arena maritima grauior erit.*

OLYMPIODORI.

CVM exprobrãdo dixiſſet Iobo Eliphazus. Si enim tu commonefeciſti multos, nunc autem uenit in te dolor, & perturbatus es: cumq; eum tamquam a philoſophia abhorrentem, nec conſolandæ ægritudinis rationes, ac uias tenentem criminatus eſſet; docet nunc Iuſtus eiuſmodi ſuam eſſe ægritudinem, ut nullam ſolatij admittat medicinam. Vtinam, liceret inquit, quam in me Deus exercet iram, meaq. animi, atque corporis cruciamenta in eamdem libram imponi, paribusq. examinari ponderibus; ut cuiuis perſpicuum fieret, inuecta mihi mala, & quę me conficiunt ægritudines, eſſe vel ipſa arena maris longe ponderoſiora. CHRYSOST. *Si enim* ſumit pro, vtinam; *iram*, pro ægritudine, ac męrore animi, quem ciebant ærumnæ, *Dolores* eos

dicit, quos corporis vlcera adferebant. Ad augendam autem vim mali ingentem, addit, *Simul*. Quod uero ait, eſt huiuſmodi. Vos in alienis ærumnis philoſophiam oſtentatis: & cum a meis longe abſitis malis, multa fiducia, mentiſq. ſecuritate, admonita mihi traditis. Quod utinam fieri poſſet, ut cunctæ acerbitates meæ, cunctiq. dolores in unum congererentur aceruum: atque hic in unam, maris autem arena in alteram eiuſdem ſtateræ lancem imponeretur; nimirum meorum lanx illa malorum multo maiore pondere deprimeretur. [a] Maris autem ſumpſit arenam, ut quæ ſit magis humida.

[a] Eandem cauſſam iiſdem uerbis explicat Didymus in Catena Vinc. Pinelli cũ Iobus ab arena maris comparationem duxerit.

Sed, ut videtur, verba mea praua ſunt.

Symmachus vero, Propterea verba mea amara.

B *Sagittæ enim Domini in corpore meo, quarum furor ipſarum ebibit ſanguinem meum: quando cœpero loqui, pungunt me.*

CHRYSOST. Vide pondus calamitatis ob ea, quæ ad miſericordiam mihi tribuendam ceteros deberent impellere: ipſe inuiſus ſum, ac condemnatus. OLIMP. & POLYCHR. Ipſi, qui conſolandi ſtudio eſtis adducti, contra quàm vobis antea conſtitutum, certumq. erat, nunc agitis; dum probroſam uſurpatis orationem, idq. mea ſpectantes vulnera: quæ inimicorum etiam mentes miſeratione facile permouerent. Sed nimirum ipſi, qui nihil in uobis grauioris mali ſitis adhuc experti, meorum ſermonum deſpicientes, in alienis calamitatibus philoſophamini; neque in iſta ueſtra animi remiſſione ad pœnas mihi inflictas diuinitus meditamini, quæ acri quodam morſu ſanguinem meum abſumunt, id eſt, uires elidunt; uitalemq. facultatem concidunt, neque me ſine cruciatu loqui permittunt: ſed, cum loqui voluero, tunc demum perfodiunt. Ita mihi dicenti merito fides habetur nulla, cum morbi atrocitatem nullo verborum genere conſequi poſſim. Illi etiam, qui audiunt, ad verborum meorum iudicium non meas calamitates, ſed ſinam animi mollitiem, & otium adferunt. Itaque nulla mihi a quopiam miſericordia impartitur; quæ a me dicuntur, contemnuntur. Mala, quæ nũquam antea audita in me incurſarunt, ſolus ipſe noui. Ipſe inquam, qui plagas a Deo inflictas meo excepi corpore. Sagittas enim ſupplicia dicit. Earum autem furorem, permoleſtam ac peracerbam incurſionem, itemq. dolorem, qui acutis quaſi ſtimulis confodiens, haud ei orationis poteſtatem faciebat.

Quid

Quid enim? non fruſtra clamabit aſinus ſylueſter, verum cibos quærens?

Symmachus autem, Nunquid gemit onager præ fame, præſente herba?

An etiam rumpit uocem bos in præſepi, habens cibos?

OLYMPIOD. Naturalibus[a] vſus eſt exemplis, ſuæq. orationi fidem conciliat, ac docet; cur adhortanti Eliphazo, minime paruerit; cuius conatum omnem ad refellendi ſtudium incumbere plane cognouerit. POLYCHR. Qui tandem & illud, inquit, non conſideratis, inopiã nec mutis quidem eſſe tolerabilem? Aſinus enim, cum cibus defecerit eum; bos etiam, niſi copioſum ſuppeditetur pabulum, perturbationem, atque dolorem voce teſtatur. DIDYMI. Haud fruſtra aſinus ſylueſter vocem edit, ſed cum cibi indiget. Neque ad præſepe bos mugit, eſca propoſita. Quare nec vitio mihi dare debes, quòd ego, vt ipſe exiſtimas, moleſtia coactus vociferer; cũ natura ſit ipſa perinfirma. Iuſti vero verba ad hanc ſpectant ſententiam. Sicut non fruſtra bos vociferatur, ſed tunc uocem emittit, cũ alimenta defuerint; ſic ego haud ita mærerem, niſi extrema implicitus eſſem ærumna. In quo perſuadere nititur Eliphazo, vt ei minime indignetur, qui in dolore exclamet. Neque enim eum qui iuſtus eſt, ſenſum omnem exuiſſe humanitatis neceſſe eſt; quamuis is conſtanter caſus ferat aduerſos. Nam, acerbarum rerum ſenſu ſuſcepto, cum quis in cruciatu propter Deum exclamat, ea demum uirtus eſt.

a Mutuatus eſt hæc a Didymo Olympiodorus, planum eſt ex Cat. Vinc. Pinelli.

Si comedetur panis[1] *ſine ſale.*

Symmachus autem, Nunquid comeditur aliquid inſulſum, cum ſal non habeat? Si etiam eſt ſapor in uerbis inanibus. OLYMP. Qui fieri poteſt, inquit, ut ueſtræ morem geram hortationi, cum nec quidquam probabilis rationis præſeferat; nec ſit ad leuandam ægritudinem comparata? Etenim quemadmodum panis, cui nihil eſt ſalis adſperſum, edi nequit; ſic ieiuni, inaneſq. ſermones a ratione, & probabilitate remoti perſuaſionem audientium animis admouere non poſſunt. Saporem enim uim perſuadendi appellauit, nihil interim a tropo diſcedens. Quamobrem aiebat Apoſtolus;
Ad *Sermo veſter ſemper in gratia ſale conditus*, quaſi dulcis ac iucun-
Col. dus, qui eodem tempore perſtringat & delectet eos, qui audiunt.
c.4. ISIDORI. Superioribus uerbis duas res quaſdam ſignificari crediderim: aut quòd ſalſum conuiciũ ab auribus longius non digreditur;

1 Puto legẽdum aut ἄναλτον, aut, quod videtur probabilius, ἀνάρτυτον, id eſt, non cõditũ: nam ἀνάρτητον mendo nõ caret.

tur: neque enim auditorum pellit intelligentiam; aut quòd eſt temperantet in oratione ſal adhibendum: ut & grata, & ad cibum idonea accidat audientibus: atque ut in eorum influat animos. Sales [a] uero, quibus sũt parænetici ſermones adſpergẽdi, teſtimonia ſunt e diuinis deprompta uoluminibus; cum uel Iudicij terrorem, uel de Cæleſti Regno orationem inducimus; quæ tum robur, tum efficacitatem addunt hortationi, tum etiam eamdem quaſi gratam parant eſcam, non ijs ſolum, qui ualent ſtomacho; uerum etiam illis, qui, quòd cibi ſunt faſtidioſiores, opportuna, & accommodata optant eſculenta. DIDYMI. Quod autem ad intelligentiam pertinet, quiuis ſermo inanis eſt, ac ſtolidus, qui uirtutis caret actione. Id ipſum plane illa uerba comprobant. *Non enim in ſermone eſt regnum Dei, ſed in virtute*. Non in pollicitationibus inanibus, uerum in ſermone efficaci ſalutis noſtræ cauſſa conſiſtit. *1. Corinth. c. 4.*

[a] *Quibus ſalibus ſint ſermones parænetici adſpergendi.*

Non poteſt ceſſare animus meus: fœtorem enim video cibos meos, ſicut odorem leonis.

CHRYS. Tamquam in communi orbis terræ theatro hic uir præſtanti, & generoſa uirtute conſiſtat, ſic cunctis hominibus ex ſuis ipſius calamitatibus comparata oratione loquitur; eoſq. ad illa fortiter ferẽda hortatur, quæ in uita contingũt; ne ue in malis, atque ærumnis contrahant animos, atque demittant. Nulla eſt enim, nulla in humanis rebus atrocitas, ad quam non peruenire hinc poſsit medicamentum. Quæ enim in omni terrarum orbe ſunt ſparſæ ærumnæ, hæ cõſpirantes uniuerſæ uno impetu in unius corpus incubuere. Quænam igitur ei uenia reliqua fuerit, qui earum acerbitatum, quas paſſus eſt ille grato animo, partem nullam ferre uoluerit, illo ipſo interim non partem aliquam, ſed genus omne malorum, quæ talia uidentur hominibus, perferente? Quid enim Iobo factum eſt umquam egentius? qui & illis, qui proijciuntur in balneum, & qui in camini cineribus dormiunt, ac cunctis denique hominibus ſpoliatior erat? Hi enim habuerint fortitan ueſtem laceratam: hic autem nudus reſidebat; & quam a natura ueſtem acceperat, quæ corporis eſſet operimentum, hãc diabolus putida, & intoleranda lue uſquequaque concerpſit. Et hi quidem paleis, ac ſtipulis ſe fortaſſe cõtexerint: ille uero pernoctabat ſub dio; nec puſillum ei tectum dabatur ad ſolatium. Et quod maius eſt: hi multa habuerint grauia, quibus ipſorum conſcientia exulceretur; id quod magnam partem obtinet ad ægritudinem leniendam, quãdo is, qui pœnas luit, iuſte ſe multari cognoſcit. Verum hæc etiam

illi

illi erepta erat conſolatio. Is enim, cuius uita qualibet uirtute cumulata enitebat, ſuſtinuit ea, quæ facinoroſiſsimis debentur hominibus. Et hi quidem principio ſua cogitatione proſpexerint calamitatem; ille autem nec præmeditatam tulit inopiam; ſummam illam quidem, & cui haud parem liceat reperire. Quid enim homine nudo, & tecto carente pauperius excogitari poſsit, cui nec fruendi pauimento erat ulla poteſtas? cui non humi erat, ſed in ſtercore ſeſsio? Vna igitur hæc ærumna cunctorum malorum materies uideri poſsit hominibus. Sequitur altera illa poſterior, ſeu potius illa ſuperior, corporis inquam plaga. Quis enim talem excepit? qua ſenſim illius corpus depaſcebatur, atque ex eius corporis membris fontes undique uermibus redundabant, eratq. uermium fluxio illa perpetua: & grauis odor complens omnia: & corpus paulatim diſcerpebatur: tantaq. lue tabeſcens, cibos efficiebat inſuaues: mira, nec opinabili fame cruciabatur; cum nec eius, qui miniſtrabatur, cibi potiundi daretur facultas. *Fœtorem*, inquit, *video cibos meos, ſicut odorem leonis*. Quid pœna hac fieri poteſt acerbius? non ſomnus ei quietem adferebat: non cibus eum alebat. *Sicut odor*, inquit, *leonis*. * Nam mirandum in modum tætri eſt odoris hæc bellua. Cum enim ſit natura inſatiabilis, alia quadam ratione eam fecit Deus ceteris beſtijs flagitioſorem. Ferunt etiam huius ipſius beſtiæ cibi reliquias a ceteris animantibus reſpui omnino; idq. ob grauem in eas inſpiratum odorem, qui ex illius corpore exhalatur. Quis igitur inuſitatam illam, atque inexplicabilem famem umquam oratione proſequatur? eãdem uoluntariam & coactam? Nam quo eam appellem nomine, haud inuenio; nec uocabulum occurrit, quod in genus calamitatis paradoxum queam accommodare. Et a menſa quidem appoſita abſtinebat; & qui ſub oculorum ſenſum ſubiecti erant, cibos non attingebat; propterea quod grauis, qui e corporis ulceribus manabat, odor illi occurſans cibi cupiditatem omnem extinguebat; ac nauſea menſam reddebat infeſtam; quod ipſum ſignificare cum uellet, dixit. *Fœtorem video cibos meos*. Atque famis neceſsitas manus in menſam porrigere plane cogebat; fœtor autem intolerabilis, qui mittebatur e corpore, uim famis facile ſuperabat. Ergo ob id ipſum, ut dixi, famem illam uoluntariam, coactamue appellem, haud eſt mihi ſatis conſtitutum. Nam qui uoluntaria uideri poſsit, cum cibos paratos cuperet deguſtare? qui etiam coacta, quando cibaria aderant, nec quiſquam prohibebat? IVLIANI. Huiuſce uero rei cauſſa non in morbo ſolum, ſed in improbi etiam dæmonis opera conſiſtebat.

*δυσῶδες γὰρ τὸ θηρίον τοῦτο μεθ' ὑπερβολῆς.

ſiſtebat. Hic enim Deo inuiſus odoris ſæpenumero afflare dicitur fœditatem.

C *Si enim dederit: & mea veniret poſtulatio: & ſpem meam dederit Dominus, cum cœperit Dominus, vulneret me: in finem autem non me interficiat.*

Aquila vero, & Symmachus non, *Cum cœperit*, ſed, Immittens manum ſuam, interpretati ſunt. Chrys. Iobi hæc petitio, ac ſpes, quam optat non eſſe inanem, vitæ exitus eſt, atque interitus: & ne diuturniores ſint cruciatus. Huc enim pertinet illud. *Ne interficiat me in finem*. Id vero, quod ait, eſt eiuſmodi. Vnum mihi reliquum eſt remedium malorum, mors & requies: nempe me ipſe educere ex hac uita non poſſum. Dominum igitur imploro, & obſecro, vt, cum mihi manum iniecerit ſuam; meq. flagris ceciderit, hinc uelit abducere; nec me ſinat in finem excindi, id eſt ſupplicium eſſe diuturnius. Ita mortem tamquam beneficium ſibi dari poſtulat; ut ea demum ratione ægritudine liberetur.

[a] In Cat. Vinc. Pinelli ſecutus eſt horum verborum. Sit aũt domus mea, etc. Iulianus eandem ſententiam.

Sit autem mea [a] vrbs ſepulchrum, in qua ſuper muros ſaliebam in ipſa.

Aquila, & Theodotio dixerunt. Et adhuc erit conſolatio mea. Huius autem uerſus hæc eſt ſententia. Illud mihi ad ſolatium, ægritudiniſq. medicamentum erit ſatis, ſi in ipſa mihi ciuitate mori, atque humari contingat. Chrys. Illud uerò, *ſuper muros ſaliebam*, pro eo eſt, in qua geſtiebam, & in qua mihi fiducia erat, & in qua cum voluptate verſabar.

Non parcam: non enim mentitus ſum uerba ſancta Dei mei.

Olymp. Vos, inquit, ipſos refellendi ſtudio minime parcam; nec remiſſa, ſed libera utar oratione: cum præcepti alicuius diuini uiolati nulla me conſcientia arguat: quæ me exiſtimare cogat hanc iuſtam eſſe uexationem: neque a me ipſe impetrare poſſum, ut contra quæ ſentio, loquar. Verum illa ipſa, quæ credit animus, uerbis lingua exprimit. Quam eius mentem, libertatemq. orationis minime mentientis cum commendaret ſcriptura dixit. *Et erat homo ille verus, irreprehenſibilis*. Intuere Abrabamæam cognationẽ Iacob qui Iſaaci filius fuit contemplare ſucceſſionem, illi non tam conditione ſanguinis, quàm genere pietatis ſuccedentem. De illis teſtatus erat his uerbis Deus, *Ego ſum Deus illorum*. At hic eſt

Iob c. 1.

Gen. c. 17.

eſt eorumdem proles legitima. Nam quid inquit? *Neque enim mentitus ſum uerba ſancta Dei mei*. Vidiſtin qua his erga Deum caritate exardeſcat? quemadmodum ſibi quouis loco uendicet Deum? Ergo eius laudibus proſequere ueritatem; quæ elucet ubique; & quanto erga Deum ſtudio formet orationem, cognoſce.

Quæ enim fortitudo mea, ut ſuſtineam? aut quod tempus meum, ut ſufferat anima mea?

Sed Aquila, & quis finis meus, ut patienter agam?

Nunquid fortitudo lapidum fortitudo mea? aut carnes meæ ſunt æneæ?

POLYCHR. & OLYMP. Siquis mihi, inquit, homini onerato ærumnis grauiter ſuccenſeat; ſcilicet hominem me eſſe cogitet; & a lingua, ui cogente ægritudinis huiuſmodi uerba dimitti: ideo quòd ſine dolore ullo hæc ipſa mala ferre non poſſum. Nam corporis imbecillitas morbo plane concedit. Num ego, inquit, aut doloris ſenſum amiſi? aut uero lapideus, æneuſue ſum? an non humana carne conueſtitus? An breuis mea hæc eſt calamitas? Nemo igitur mihi mœrenti, & liberationem malorum poſtulanti indignetur. CHRYSOST. Quibus tandem egomet uiribus polleo, ut tantis ferendis malis par ſim? Ergo tolerantia illa non a robore corporis, ſed pietatis, ac timoris Dei manabat. Alioqui ſibi ipſe manus attuliſſet: Nunc uero rem omnem non ſuæ audaciæ, ſed precationi permitrit.

An non in ipſo confidebam? [1] *adiutorium autem mihi abeſt: deſeruit me miſericordia: uiſitatio autem Domini deſpexit me.*

1 Auguſt. adiutorium receſsit a me: ita non ἄπεστι, Sed legiſſe uidetur illius interpres ἀπέστ. Ambr. eodem modo quo Aug. in lib. 1. de interpel. Iob. Sed impreſsi Codices, nec non Vaticana Biblia noſtrá comprobant lectionem.

Et corporis quidem calamitas eſt huiuſmodi. Quod autem animum ægritudine lacerat maxime, illud eſt, uidelicet; Quòd ex his malis facere coniecturam licet, me a Deo, qui mihi præcipue cordi erat, in quo ſpes meas omnes collocatas habebam, prorſus eſſe derelictum, eiuſdemq. uiſitatione, ac miſerationibus plane nudatum. Atque ea re Iuſtus angebatur uehementiſsime. Id enim ſecum ipſe expendat unuſquiſque, quantus eius hominis ſit mœror, qui cum diuino ſit amore ſauciatus; a Deo, quem unum optat, deſertum ſe tamen eſſe ſuſpicetur. Etenim, ſi nec uiuendum ſibi eſſe amplius putant ij, qui mulierum amoribus exulcerati, ab illis ipſis contemni ſe animaduertunt, quæ res amatoribus ægritudinem adfert

adfert intolerabilem animæ, quæ erga Deum caritate vulnerata eſt, quanta fuerit ægritudo, ſi non amplius eum ſibi adeſſe arbitretur? Mox ſuas ſubiungit acerbitates, ex quibus a Deo ſe deſpectum eſſe ſuſpicabatur.

Non reſpexerunt me proximi mei, ſicut torrens deficiens, aut ſicut fluctus tranſierunt me.

POLYCH. & OLYMP. Primum me Deus, inquit, deſeruit: deinde in eam ſum coniectus ærumnam, vt ope etiam ſpoliatus ſim amicorum, nec me vlla cognati, ac propinqui humanitate comprehendant. A me namque deijciunt oculos; neque me ob ea, quæ peccaui, ſed ob ea, quæ patior, execrantur. At vero torrenti ſe comparat, propter ſuperioris uitæ ſtatum affluentem. Nam torrentis ea eſt natura, ut hieme quidem fluat: & aquis modo redundet, modo exinaniatur; ut alueus tantummodo ſqualidus relinquatur: fluctus etiam talis eſt, ut numquam maneat idem, ſed interdum ſublimis efferatur, atque turgeſcat: nonnumquam uero deprimatur, abeatq. in ſpumam. DIDYMI. Et verò qui [a] amici dumtaxat uidentur, nec ſunt, dubiis temporibus facile declaratur, eoſdem, & mentitos eſſe; ac ſpecie tantum amicitiam oſtentaſſe. Propter inconſtantiam uero, atque perfidiam, torrenti, ac fluctui eorum comparatur ſimilitudo. Vt enim torrens natiui, ac perennis fluuij ſpeciem præbet; ac ſicut fluctum, cum ſublime ſe tollit, nũquam deiectum iri rudes arbitrantur: ſed tamen & torrentem ſqualor, ac ſiccitas aperte indicat, fluctum tranquillitas: ſic qui aſſimulatæ amicitiæ ſpecie fallunt, hos temporis procella ponit in aperto; & quantopere ueris amicis aduerſentur, prorſus oſtendit. Nam qui amicitiæ, ac uirtutis tuentur iura, conſtantiam & perpetuitatem ſeruant in eorum, quos diligunt amore. Hanc in utraque retinent fortuna, amicitiæ definitionem nequaquã peruertentes. Quod ipſum haud mirum uideri debet: quãdoquidem ipſis inimicis officia præſtant caritatis, cum ijs, quibus odio ſunt, pacem habent. At improbi ad certum quoddam tempus, id quod ſunt, occulunt; in rebus autem afflictis amicorum palam cernuntur, amicitiæ larua detracta. Nempe igitur hoc ipſum tunc Iobo ut magis eius probaretur uirtus, euenit. Aut eam etiam ob rem fortaſſe quia is, qui ad pęnam Iobum depopoſcerat, id ſubiiciebat, ſuadebatq. amicis; ut commoti [a] uehementius ipſum deſpicerent. Triſtibus uero temporibus amicorum abſentia, perquam ſolet eſſe acerba: quam cum Dauid ferre cogeretur, canebat. *Conſiderabam*

[a] *Quibus temporibus declarentur amici.*

[a] *Si verbum, διὰ τὸ πάθος, ad Iobum referatur, exiſtit hac altera & fortaſſe probabilior, interpretatio, vt Iobi aſpernarentur ærumnas.*

Pſal. *derabam a dextris, & reſpiciebam, & non erat, qui agnoſceret me;*
141. ac rurſus grauiter lamentans aiebat, *Obliuioni traditus ſum, tam-*
Pſal. *quam mortuus a corde; factus ſum tamquam uas perditum.* Chrys.
30. Et id quidem diuinæ derelictionis eſt opus, cum ij, qui uiuunt ærumnoſius, a domeſticis, ac neceſſariis negliguntur. Vbi enim a quopiam Deus receſſerit; eumq. ſuo auxilio ſpoliarit, cunctæ res in illum miſerum, arma atque odia conuertunt. Qua demum igitur ipſi ratione eiuſmodi exprobratis homini, cuius uita tantis eſt oppreſſa malis? cui a te nulla quidquam præbetur ſolatii? qui idcirco ægritudine exeditur, ac contabeſcit, quia rerum omnium ſtatus aduerſus eum nec opinantem obſedit?

Qui uerebantur me, nunc irruerunt in me.

Hoc certe multo atrocius, inſultare iacenti. Chrysost. & Polychr. Sed quid dico me a proximis haberi ludibrio? nẽpe ij meas ærumnas cruentarunt, quibus paulo ante erat nomen meum terribile, & horrificum. Didymi. Fortaſſe his uerbis accuſat amicos. Nimirum cauſſæ ignari ipſi malorum, iſta ueſtra oratione mihi imminetis audacius, qua, cum me antea uereremini, plane abſtinuiſtis. Eſt illud quoque ueriſimile alios item complures in eiuſdem calamitate inſultaſſe.

Sicut nix & glacies concreta, liquefacta orto calore, non eſt agnita, id quod fuit: ſic ego derelictus ſum ab omnibus: perij autem, & exſul de domo mea factus ſum.

Chrysost. Id eſt, ſuperioris felicitatis; nec monimenta ulla; nec ullæ extant reliquiæ. Olymp. & Didymi. Verum quemadmodum nix, & glacies, dum calore liquefacta dilabitur, ancipitẽ locum relinquit, nullo facto ueſtigio: Ita qui mihi ob generis propinquitatem miſericordiam tribuere debebant, ij me pro nihilo putarunt; & quod antea latebat, calamitas patefecit, eos ſcilicet adumbratam, ſimulatamq. amicitiam coluiſſe. Eſt etiam quid aſperius. Nam qui me antea reuerebantur, cultuq. & obſeruantia dignabantur, in meas nunc iidem miſerias impetum faciunt. Illud autem, *Perij*, ad vulgi dictum eſt opinionem, cunctarum rerum amiſsionem exitium exiſtimantis. Illud quoque, *extorris factus ſum*, huic par eſt, Cum omni domo funditus interij.

Videte

D *Videte uias Thæmanorum, qui ſemitas Sabæorum intuemini: & confundentur qui in ciuitatibus & pecunijs confiſi ſunt.*

Olymp. Alius quidam interpres eadem his uerbis expreſsit. Reſpiciunt in uias Thæman: itinera Saba expectant ſibi ipſis. Eos igitur, qui diuitiis, ac potentia gloriantur, hortatur, ut in earum rerum natura ne ſperent incerta. Qui animum, inquit, intendunt in uias Thæman, & in ſemitas Aethiopum: Saba enim Aethiopes ſunt. Ergo hoc dicit, Qui cum hoc hominum genere mercaturam ac commercia exercetis, atq; inde compendia expectatis, pecuniis, atque opibus ne confidite. Nam qui rebus huiuſmodi ſpe, atque animo incubarint, turpitudinem, ac dedecus uitare non poterũt. Ponit autem loca in conſpectu ac regiones, quæ quondam beatæ fuerunt, tunc uero deſertæ, ac ruina collapſæ. Hũc igitur admonet conuertẽdum adſpectum; nec fugacibus diuitiis eſſe fidendũ. Siue igitur hoc, ſiue illo ſe ſe res modo habeat: nempe eos, qui intuentur, ac cernunt, id eſt, qui res intelligentia & cogitatione exquirũt, commonefacit; ut in fortunarum poſſeſsione, atque poteſtate ſpem minime ponant. Hæc autem eo dicit; ut ſuggerat amicis, ne præſentibus bonis inſolenter elati, illum deſpicatui habeant; quòd ad ſummam inopiam deuolarit. Veſtrarum rerum uobis ueniat in mentem. Cumque ſit ratio temporis conſequentis incerta, omnium par eſt conditio.

Veruntamen & uos inſurrexiſtis in me immiſericordes.

Didymi. Atqui; nec eum, qui ſua culpa eſt irretitus ærumnis, quis admonendo obiurget; idq. non abſque ratione conſilii. Neque enim ut obiurget, hortanti propoſitum eſt; ſed multo maxime ut ad uirtutem, fortiterq. ferendum cohortetur. Id enim dicere, Quamobrem peccaſti? auget potius quàm leuet ægritudinem. Verum enim omni miſeratione abiecta, ideo amici Iobo acriter imminebant, quia totius mali cauſſam ignorabant. Ita, qui nulla erat reprehenſione dignus, reprehendere conabantur. Olymp. Eſto, inquit, fuerint me illi ipſi ſane aſpernati; quid tandem fuit, cur ipſi quoque amici mei, cum illis propinquis conſpiraretis? ac me tamquam impium idcirco condemnaretis, quia corporis luẽ eſtis intuiti? Nam ob id ipſum & me uerbis male accepiſtis; & imma-

ſmmaniter inceſsiſtis. Chrysost. Id eſt, nullo communis doloris ſenſu ſuſcepto, refellendi ſtudio accuſatoriæ, quæ me urunt, mala, conuiciis uehementius inflammaſtis, cum conſolatione a uobis eadem leniri oporteret. Olympiod. Ad hæc Iobus præſtantiſsimum, ac philoſopho eoq. homine, qui Deo carus eſt, dignum conſilium explicat; oportere eos, qui alienas calamitates cõtuentur, uereri, ac pertimeſcere. Addit enim.

Quare intuiti meum uulnus timuiſtis.

Chrysost. Videte inquit, ne iſtius immanitatis a uobis pœnæ repetantur. Nam, ſi nihil aliud, ſi non amicitia, ſi non mea in omnes beneficentia, ſi nihil uos denique aliud ad facilitatem traducit; uel ipſe uulnerum meorum adſpectus lenitate, atque æquitate ueſtros animos imbuiſſet. Didymi. A ſuis rebus ſumpto argumento, diligentiſsime Sanctus hic ſuos neceſſarios curat, atque ad ſaniora conſilia deducit; idq. molitur ex anticipata in eorum mẽtibus notione, ſuaſionis ducto principio. Nam, ſi omnis, qui peccat, uexatur ęrumnis, atque ob ſcelera illas ſuſtinet, neque eſt quiſquam mundus a ſorde; igitur & uobis metuendum eſt ex noſtro uulnere illato terrore.

Quid enim? nunquid aliquid uos rogaui? aut ueſtra fortitudine indigeo, ut ſaluetis me de manu hoſtium? aut de manu potentium liberetis me?

Chrysost. Vtrùm ullam uobis, inquit, aliquando moleſtiã exhibui? aut uos leuiter umquam offendi, ut me tàm crudeliter tractaretis? aut etiam ſuaſi uobis, ut aduerſus hoſtes meos ſuppetias mihi ferretis? aut uero uobis ipſis ſupplex fui, ut ad meam ſolandam inopiam ueſtras opes conferretis? Verùmenimuero nec ueſtra prius opera indigui; neque nunc egeo. Ipſi ueſtra ſponte conſolandi cauſſa ueniſtis: cur ergo inimicorum officia uſurpatis?

Docete me, ego obmuteſcam: ſi quid erraui, dicite mihi.

Polychr. Si in iis, quę adhuc a me dicta ſunt, quidquam mẽdacii reſidet, oſtendite, nimirum ſilebo: meaſq. ipſe contumelias, ob quas grauis alicui fortaſſe fui, mente pertractabo: arguite me, & ego tacebo: ſi opinionis errore inductus mortem expeto, ipſi docete. An non acerbæ, minimeq. ferendæ ipſæ calamitates? An non optabile cruciatibus liberari? Chrysost. Quòd ſi quippiam a me

peccátum uidetur, id mihi prorſus ſubiicite. Neque enim ij poterant aperta Iobo crimina ulla obiicere; coniectura illa tantū quærebant. Nam de uita, quam uirtus commendabat, dubitari non poterat. Eamdem nihilominus e uirtute non agi, e ſuppliciis ipſi illi coniecturam capiebant. DIDYMI. Ac nimirum ſumma animi lenitate rationem eos docet, quemadmodum apud mœrentes, & in ſordibus iacentes, uti doceat oratione. *Docete*, inquit, *me* id eſt, docere debetis, nō arguere importune; niſi ſi quando eſt increpatio adhibenda: in quo illud Apoſtoli cuſtodiendum eſt, *Argue, increpa, hortare, in omni longanimitate & doctrina*. 1. Timot. c. 4.

Sed ut uidetur, uerba ueracis mala ſunt.

OLYMP. Tāquā ſi diceret, Grauis multis accidit ueritas: hoc ipſum uobis euenit. Idcirco mea ipſi uerba, quamuis uera ſint, tamquam flagitioſa, ac nullius pretij tamen repudiatis. IVLIANI. Aut etiam ad hunc modum commentari licet. Quando auxilium cunctatur diuinum, licet uera quis dixerit, nulla ei tamen fides habebitur ab auditoribus. Neque uero mihi uobiſcum par poteſt eſſe contentio, ipſa me refutante calamitate.

Neque enim a uobis robur flagito: neque redargutio ueſtra ceſſare me faciet a uerbis: neque locutionem uerbi ueſtri ſufferam. Verumtamen in pupillum irruitis, & inſultatis in amicum ueſtrum.

CHRYS. Haud ueſtræ opis, inquit, indigeo; ne mihi obſecundetis; nec ad me confirmandum, gratiæ cauſſa, quidquam loquamini. Immo uero libera mihi oratione obſiſtite; neque enim ueſtras ego refutationes reformido; neque in ueſtra oratione acquieſcam; præſertim cum omni me culpa conſcientia liberet. Singulis igitur uerbis ueſtris reſiſtam; nec quidquam deſpero mihi adiudicatum iri uictoriam: Illud etiam mihi intellectum eſt; idcirco me a uobis nullam interim amicitiæ, nullam calamitatis rationē ducentubus, aſpere probris uexari; quoniam omni me diuina ope orbatum eſſe arbitramini; nec mentes ueſtras aut amicitia, aut ipſa inflexit ærumna. Sed tamen ego, quamuis ipſi in aduerſariorum meorum caſtris conſiſtatis, haud pugnam detrectabo; quin etiā pedem contra conferam: & meam cauſſam tuebor; nec enim cuiuſquam mihi rei ſum conſcius. DIDYMI. Et hoc fortitudinis eſt. Plerique enim eorum, in quos incurrunt ærumnæ, moleſtis audi-

tis

tis ſermonibus, deiecti ſunt. Hic uero Sanctus, neque reprehenſionem amicorum, neque eos, qui per iniuriam ab illis iactabantur ſermones, æquo ſibi animo ferendos putauit. Nec uero hæc ideo a primo pati noluit, quòd ad eius mentem commouendam uim ullam haberent, ſed ea re potiſsimum; ut inſanam illorum increpationem, ac ſtultam reprehenſionem, quam aduerſus eum meditati fuerant, palam comprobaret. Dicit enim. *Non me ceſſare faciet reprehenſio ueſtra*. Sermo enim, qui ſine opere profertur, nec conſtans eſt, nec fide dignus. Quòd ſi temere; nec uere promatur, eſt item imbecillis. Quamobrem cum eiuſmodi ſit a uobis uſurpata reprehēſio, haud ueros meos ſermones prohibebitis; neque offendetis hominem ueſtræ orationi libenti animo aſsentientem.

Nunc autem intuitus in facies ueſtras, non mentiar.

Olymp. Id eſt, ingenue, quod uerum eſt, eloquar, nihil ſubueritus, nullo rubore ſuffuſus. Didymi. Idipſum quod dicitur, doctrinam habet, abſentium famæ nequaquam eſſe obtrectandū; ſed coram, quę opus ſunt dici oportere. Dictum eſt enim, Ne detrahas; nec libenter audias detrahentem. Illud uero libertatem quādam orationis oſtendit egregiam, *Non mentiar.* Nam & huius
Rom. eſt illud Pauli ſimile. *Veritatem dico in Domino; non mentior.*
c.9. *Sedete iam, & non ſit iniuſtum, a ac rurſum cum iuſto congredimini: non enim eſt in lingua mea iniuſtum. An non fauces meæ meditantur prudentiam?*

a Ac rurſus cum iuſto congredimini. Hæc uerba deſiderātur in Aldinis extant in noſtra Catena abſque expoſitione. Verum in Catena Pinelli habēt interpretationem huiuſmodi Polychronij. Prodite inquit ad cōtradicēdum. Aggredimini ad ueritatis ſermones refellendos.

Olymp. Vos ipſos de mea controuerſia iudices ſumo; ueſtra iuſta ſuffragia imploro. Nec enim quidquam uos iniuſti dicturos eſſe confido; nec ueſtros puto, aut ſtultos, aut futiles futuros ſermones. Hæc autem dicit, ut ad diligenter inquirendum illos ipſos prouocet. Polychr. Perinde, ut ſi diceret, ſermonum, qui a me uobiſcum habebuntur, iudices ipſi adeſtote; dummodo ius calculo moderetur. A uobis ſit initium; ad refutandum deſcendite; ad uerborum meorum reprehendendam ueritatem aggredimini. Didymi. Elegantiam hæc quandam habent pari malorum tolerantia coniunctam: docentq. ad ſermocinandum uacuum, attentumq. animum, & inquirendi cupidum adferri oportere. Huc
Eccle. enim illud, *ſedete*, refertur. Dictumq. eſt alibi. *Priuſquam ex-*
c.11. *quiſieris, ne conqueraris,* Magnum uero eſt id, quod attexuit, *ne ſit iniuſtum*. Haud enim paruum eſt, in ſermone minime labi.

Poſtquam uero cohortatus eſt amicos, ut in illum inquirerent diligenter, quod ipſum uerbis illis aperte ſignificauit: *Sedete iam, & non ſit iniuſtum*. Verba libertatis & grauitatis plena uſurpat. *Non eſt enim in lingua mea iniuſtum.* In quo tacite illorum, quam de ipſo animo imbiberant opinionem, labefactat: ſic enim opinabantur; ob ſua ſcelera Iobum in illis malis uolutari; illudq. ſubindicat, non cum homine ſtulto iis agendum eſſe. Hac enim ratione ad eius cauſſam prudenter, ſapienterq. cognoſcendam illos erigit. OLYMP. Quaſi igitur illis iam pro tribunali ſedentibus, uerborum ſuorum Iobus inſtituit defenſionem, ſuamq. ex hac uita migrandi cupiditatem uacare culpa, duplici ratione confirmat. Primum quòd uita hæc fragilis undique eſt obuallata periculis. Deinde, quod communibus periculis, contentionibusq. ſepoſitis, ipſe præcipuis quibuſdam eſt obſeſſus ærumnis, quem interim huius communis uitæ exercet improbitas, dicitq..

ADDITIONES IN CAP. VI.

Si enim quis appendens appenderit iram meam &c.

A DIDYMI. Nouerat enim Iuſtus, non ob peccata, ſed ob certamina in ijs ſe malis uerſari. Ita dicebat: *Scio quod iuſtus apparebo*, atque ad hanc ipſam ſententiam amicos ſuos deducere conabatur. *Iob c. 13.*

B *Quarum furor ipſarum ebibit ſanguinem meum.*

DIDYMI. Furorem ſagittarum dicit ipſam ſtatus ſui moleſtiam, uim, atque acerbitatem; quæ nec loqui eum ſinebat.

C *Vulneret me; in finem autem non me interficiat.*

Ait ſe id unum optare, ut ſibi per Dei clementiam liceat eſſe ſuperſtiti; quo eius uirtus amicis cognita ſit: & ærumnæ, qua afficitur, haud ijs ſit cauſſa ignorata.

D *Videte uias Thæmanorum &c.*

DIDYMI. Ego, inquit, fortunarum, liberorum, & gloriæ poſſeſſione deturbatus, neminem, aut Thęmanum, aut Sabæũ ſuſpicio. Thæmanorum ualet deficientium. Sabæorum reuertentium.

CAPVT VII.

An non [1] *tentatio eſt vita hominis ſuper terram, & tamquam mercenarij quotidiani vita eius? aut ſicut ſeruus timens dominum ſuum, & conſecutus umbram? aut tamquam mercenarius expectans mercedem ſuam?*

AN non uobis uidetur, inquit, cunctorum mortalium uita tentationibus eſſe, atque ærumnis referta? Quilibet autem homo ad diurnum mercenarium, qui totius diei labore conficitur, ut exiguum quid ferat, habere ſimilitudinem? aut eum imitari famulum, qui herum ueretur, ac uix puſillum nanciſci poteſt laxamenti? aut denique eius mercenarij ſimilis, qui tametſi diurnam minime locarit operam, mercede nihilominus ita conductus eſt, ut niſi poſt multos labores, nulla ei merces perſoluatur? POLYCH. Angoribus & difficultatibus uitam hanc eſſe conſertam, & tamquam mercede conductum de uita ſua laborare unumquemque dubitari non poteſt. Aliter enim agricola cibum ſibi quærit; ſecus is, qui in ſordidis uerſatur artificijs; alia item ratione ij, quorum eſt ampla dignitas. Nullus eſt denique mortalium, qui uitæ neceſsitatibus non inſeruiat. Quinetiam dum uitam cum timore traducimus, nequidquam a ſeruis differimus. Siquidem pauper potentiorum timet rapinas; ij uero, quorum eſt condicio honeſtior, maiorum cupiditatem uerentur; & hi dominantium publicationes, proſcriptionesq. bonorum. Reges uero partim tyrannidem, alij inſidias pertiment. Vt igitur ſeruo aduerſus domini moroſitatem, eſt in una nocte perfugium; ſic miſeriarum, quibus humana uita affligitur, eſt in unica morte liberatio. Nam, cum dixit, *vmbram conſecutus*; pro umbra, mortem, ac requietem intellexit. CHRYS. Nititur his uerbis oſtendere, tum laborioſam, tum breuem eſſe hominum uitam: dicitq. Num laboribus tantum, non item periculis eſt hominum uita circumuallata? Nempe uidetur is mihi de ſeruo fugitiuo præ formidine ob fugam ſemper æſtuante induxiſſe ſermonem. Id enim declarat illud, *vmbram aſſecutus*; id eſt qui non præſentia tamquam præſentia propter metum opinatur, quæritq. tenebras ad obliteſcédum. Ac ſi tentationum locus eſt iſthæc uita, qui fieri poteſt, ut, qui in tentationum loco uerſetur, ſit a tentationibus immunis? Quocirca in ijs, quibus ego affligor, malis eſſe, non iniuſtitiæ tantum culpa, ſed naturæ etiam neceſsitate contingit.

[1] Græce πειρατήριον Ambr. Piraterium, locus tentationum, locus latronum, nauis, ſeu cetus Piratarum.

Sic & ego ſuſtinui menſes vanos.

Sic, inquam, in ærumna, in metu. Hoc autem non de uniuerſis hominibus, ſed de ſeipſo loquitur. OLYMP. Hoc concluſo, uitam hanc improbam, & ærumnoſam eſſe, ad ea, quæ illius propria ſunt, delabitur oratione, ac dicit; Ego de ijs ſum unus, qui ſpiritum huius uitæ anxium hauriunt; ac perdiu tabeſco ærumnis. Nam id ſignificat, *Menſes vanos*.

Noctes autem dolorum datæ mihi ſunt: & cum dormiero, dico quando erit dies?

Aquila autem & Theodotio, Quando ſurgam?

Cum vero ſurrexero, quando veſpera? plenus autem ſum doloribus a veſpera vſque mane.

Si mea, inquit, mala auetis ſcire hæc ſunt, Noctes, quæ ſunt ad quietem tributæ mortalibus, mihi ſunt uidelicet peracerbæ; ipſumq. ſolem intueri peropto, ut a die aliquid mihi forte ſolatij adſciſcam. Verum, ubi dies illuxit, paribus affectus cruciatibus, nocti rurſus præſtolor: qua ipſa appetente, in lucem uſque doloribus exedor. CHRYS. Et noctis intolerandam perpexiſti acerbitatem, nouam illam quidem, & inſolentem, atque hominum opinione longe ſuperiorem. Hominibus enim reliquis omnibus, etiamſi infinitis premantur ærumnis; quamuis uinclis teneantur conſtricti; licet lue corporis contabeſcant; licet affligentur inopia; licet morbo laborent, miſerijsq. excrucientur; nox nihilominus aduentans, medicinam adfert malorum; & corpus quidem a laborum moleſtia uindicat, animum; uero relaxat a curis. Iobo uero nox ipſa erat pro portu ſcopulus, pro medicamento ulcus; pro ſolatio cruciamentorum additamentum. Nam, quo tempore ceteri mortales tranquillitate fruuntur, tunc in ipſum tempeſtates formidoloſiſsimæ conciiabantur; nitebaturq. ad ſummos cruciatus diei quaſi fluctus ſubterfugere: ſed tamen in noctis procellas turbulentiſsimas, in turbines, in demerſa ſaxa, ac petras abditas incidebat. Ac rurſus, cum ſe ad lucis fluctus reciperet; atque id, quod aderat, illi moleſtiam exhiberet, eius, quod aberat cupiditate flagrabat. Ita confectus doloribus temporis interualla urgebat. Quapropter in huius recentis mali narratione, ſic ille exclamabat, *Cum dormiero dico, quando dies erit? cum vero ſurrexero, quando erit veſpera?* quid ita, amabo te? Nam, cum luce noctem exſpectas, næ tu recte facis; cum illa det cunctis mortalibus diurnorum labo-

laborum immunitatem. Verum, cum ad noctem perueniſti, quæ tranquillitas, quæ moleſtiarum ſolutio, quæ curarum ſolet eſſe relaxatio; quid rurſus diei exſpectatione torqueris? Scilicet huiuſce rei mihi cauſſam expone. Quia dies eſt mihi nox ipſa atrocior. Tantum enim abeſt, ut ullam mihi immunitatem tribuat moleſtiarum; ipſas iritat aſperius, ad eam rem terroribus quoque, ac perturbationibus incitatis. Quod ipſum eſt ab eo his uerbis expoſitum; Terres me inſomnijs, & in uiſionibus timore percellis. Perterrefiebat enim, terribilibus ſibi ſecundum quietem uiſis obiectis: & in metu quidem uerſabatur maximo; ſtuporeq. perculſus incredibili exhorreſcebat: &, quæ ceteris nox data eſt ad requietem, huic amplificatrix erat acerbitatum.

1 *Maceratur autem nunc corpus meum in putredine uermium: liquefacio autem glebas terræ de ſanie radens.*

1 φύρεται. Aug. miſcetur Ambr. fermentatur mihi corpus in putredine uermiū.

Olymp. Vtinam, inquit, ad doloris metas hæſiſſet ærumna. Nunc ſator, & procreator ipſe ſum uermium, qui meum corpus abſumunt: quem autem tabificum profundo cruorem, adeo uim habet immanem, ut ſi quando me forte teſta defecit, ad excipiendam ſaniem terræ glebas adhibere uolueto, uel ipſas glebas liquefaciat. Chrys. Dum ait glebas ſanie deliqueſcere, hoc ipſum mea quidem ſententia oſtendit tanta ſe inopia, atque ærumna laborare, ut non amplius teſta, ſed gleba abſtergere ſaniem cogeretur; omniq. conatur loco amicis ſuis tum fortitudinis, atque conſtantiæ exemplum edere; tum eam opinionem eripere, quæ illorum animum occuparat ob ſuum ſcelus in calamitatem illam eum præcipitatum eſſe; uulrq. eos hoc plane intelligere, haud eius tantam eſſe nequitiam, ut tanto foret multanda ſupplicio. Etenim oportebat eos ſuarum rerum, & actionum cogitatione ſuſcepta, de Iobi uita iudicare. Illi enim, qui numquam intermittebant dolores, illa ſanies, illi uermes nempe inuicti animi uirtutem teſtificabantur. Polychr. Nimirum igitur, & ut ſimpliciter dicam, graue eſt exulcerari; grauius autem, uermes e uiuo corpore redundare, & calamitoſi corpore paſci. Ergo, cum exempla ſubijcit; cum odoris fœditatem, cum uitę tędium, ac ſatietatem; nihil quod magnum ſit, prætermittit. Quamquam eſt illud maius, quod corpus ſuum non ſolum a uermibus exedi cernebat; uerum etiam illud ipſe ſumpta teſta perfricabat; ſibiq. erat ipſe carnifex: & glebas liquabat, neque poterat terra defluentem tabem ſuſtinere; uerum tanta lues

erat, & corporis uniuerſi corruptio, ut multa ſanie glebas molliret, atque diſſolueret; quæ quidem humore illo perfuſæ cœnum imitabantur: ita non ægrotanti modo, ſed ſpectantibus etiam erat morbus ipſe intolerabilis.

Vita autem mea [1] *velocior eſt loquela.*

1 Aug. in Iob, Exilior. Ambr. in primo de interpellat. Iob, leuior fabula.

Alij, Curſore, interpretati ſunt.

Perij autem in ſpe vana.

Symmachus autem. Dies mei conſumpti ſunt, cum non ſit ſpes. OLYMP. Cum ſuas interim commemoraſſet calamitates, addit ad extremum, ipſius uitam tamquam curſorem properare ad metam, nec ad ſpem meliorem quidquam adferre. Id enim ualet, *in ſpe uana*. CHRYSOST. Sed fortaſſe illud, *Vità mea velocior loquela*, ad fluxam uitæ condicionem poteſt pertinere, quæ minime conſiſtat, ſed quædam quaſi locutio dilabatur, & euaneſcat. Quamquam ad ægritudinis etiam referri poteſt uim incredibilem, atque ad graues difficultates, quæ propius aberant ab interitu. Illudq. *velocior curſore*, hanc commodam habet expoſitionem. Vt enim curſores, antequam inſiſtunt, reſiliunt; Sic & gloria non ante acceſsit, quàm auolauit. *Perijt autem*, inquit, *vita mea in ſpe vana*. Cur tandem? quoniam miſere ſum labore uexatus, nec ullam tamen mercedem tuli. Quia ſum in ærumnis; nec probabilem ullum exitum uideo. Poſtea ab amicorum diſputatione ad precationem traducens orationem ait.

Recordare igitur, quia ſpiritus eſt vita mea: & non amplius reuertetur oculus videre bonum.

OLYMP. Eiuſmodi precationem Dauid adhibuit, cum diceret. *Dimitte mihi, vt refrigerer, priuſquam abeam; & amplius non ero.* *Pſ. 38* CHRYSOST. & POLYCHRON. Vide, quemadmodum numquam Iuſtus e recte factis ſibi ſalutem quærat; ſed quoniam eſt eius uita breui ſpatio circumſcripta. Hoc enim loco, cũ dicit, [a] *Spiritus*; reſpirationem hanc, quæ ſenſu percipitur, & ſpiritum hunc, quem reſpirando ducimus, intelligit. Simile huius eſt illud apud Salomonem: *Quia ſpiritus in naribus vita noſtra.* Quod vero Iobus dicit, eſt eiuſmodi. Memineris eſſe vitam hominum diſſolubilem; a qua cum nos mors ipſa abſtraxerit, illius reuocandæ omnis eſt nobis præciſa facultas; nec datur, ut huius uitæ bona intueri, atque vt ijs frui poſsimus. *Sap. 2* *Iſa. c. 2.*

a *Nec ſecus ſpiritũ eſt interpretatus in Cat. Vincentij Piuelli Olympiodorus.*

Non

Non circumſpiciet oculus videntis me: oculi tui in me, & vltra non ſum; tamquam nubes expurgata de cœlo.

Polychr. & Olymp. Subitos mortis caſus his verbis declarat. Sæpenumero, inquit, acciderit, vt, dum in me forte quiſpiam figit obtutum, abeam ipſe atque decedam: eſtq. ita vitæ noſtræ volucris exitus, vt, qui nos hodie viderunt, cras non ſint viſuri omnino. Siquidem ſolo tuæ uoluntatis nutu, vno oculorum coniectu, cum me non amplius in vita morari volueris, ſtatim interimes. Hæc enim eſt his verbis; *Oculi tui in me, & vltra non ſum*, ſubiecta ſententia; diſiectæq. nubis, & quæ nuſquam conſiſtit amplius, ſimilis ſum. Id Symmachus aptioribus verbis illuſtrauit ad hunc modum: Sicut conſumpta nubes recedet.

Si enim homo deſcenderit in infernum, non amplius aſcendet; neque reuertetur amplius in domum ſuam: neque cognoſcet amplius ipſum locus eius.

Chryst. In hoc maxime iuſtum hunc admirari debemus; quòd, cum nihil de reſurrectione percepti haberet, tantum nihilominus roboris, atque virtutis ad cruciatus perferendos adhiberet. Nam nihil eum de regenerationis myſterio enucleate didiciſſe, vel hinc conſtat.* Negat enim ei, qui ſemel ad infernas ſedes deſcenderit, in vitam redeundi, domumq. ſuam reuertendi datum iri aliquando facultatem; ſed neque eum conſequentis temporis excipiet memoria, iam e viuorum cœtu abreptum. Nec vero fieri poteſt, vt, qui ſemel extinctus eſt, reuiuiſcat. Didymi. Alij quidem ſentiunt haudquaquam tolli his uerbis ab Iobo reſurrectionē mortuorum, ſed hoc doceri, eſſe vitam hominum caducam: adhæc eum, qui ſemel eſt hac vita functus, ad illam ipſam mortalem non amplius rediturum; neque vſitata eius munera executurum. Quare illa uerba, *Non amplius aſcendet* ex inferno, cum ijs connectunt, *In domum ſuam*; ac ſi diceret; Reuocabitur quidem ad vitam: ſed tamen domum ſuam minime reuertetur. Verum, licet hæc ſit probabilis interpretatio, eſt nihilominus prior illa verior. Quod reipſa reſurrectionis arcana Iuſtus ignorarit. Quo admirabilior is etiam videri debet, quandoquidem, cum nihil eiuſmodi ſperaret, virtutis tamen numeros omnes tam perfecte abſoluerit.

* Longe alia D. Hieronymo de Iobo ſententia, quo nullum affirmat, uel manifeſtius, vel cautius de reſurrectione corporum ſcripſiſſe, in epiſt. ad Paulinum. Planā quoq. & illuſtrē eiuſdem myſterij cognitionem Iobo cōcedit Apollinarius in 3. capit. huius Cat. quin etiā Chryſoſtomus explanans cap. 14. & 19. ad rationem numerandi latinam. Didymus etiam in cap. 14. apertis verbis ſcripſit Iobū nihil de futura corporum reſurrectione dubitauiſſe. Didymi verba quære in additione E. & G. cap. 14 & in additione D. cap. 10.

Dixi,

Dixi, quia conſolabitur me lectus meus.

Symmachus,* Mitigabit. Verum Theodotio: Congeſtabit me in [1] meditatione mea lectus meus.

* παρηγορήσει.

[1] ἀδολεσχία in ſacris literis vſurpatur nonnumquã pro acri cogitatione, atque meditatione: tametſi alia ſit eius nominis perulgata notio.

Exterres me inſomnijs, & in viſionibus ſtupefacis.

Chrysost. Quod Iobo contigit, nulli id prætereà euenit; ut non ſolum nullum a nocte diurnæ calamitatis haberet alleuiamentum: uerum etiam terribilia noctis ſpectra uim malis nouam adferrent. Nam de malis grauioribus, quæ illi oriebantur e ſomnijs, uel ipſum audi, *Cur me*, inquit, *exterres inſomnijs, & in viſionibus meis obſtupefacis?* Quis ita ferreus, ita ſit adamantinus, ut tantis tolerandis acerbitatibus, par eſſe poſſit? Nam ſi per ſe ſingulæ ſint intolerabiles: in vnum cocuntes uniuerſæ, tute cogita, quantam uim habeant ad perturbandum. Sed tamen hæc ille ſuſtinuit omnia; nec quidquam in ijs, quæ acciderunt ei, peccauit labijs ſuis: quamuis malorum nulla eſſet intercapedo, nullum interuallum; quamuis ijs dies, noctesq. uehementius vrgeretur. Taceo de diuturnis ærumnis, quarum nec in noctis præſidio ullam reperiebat immunitatem. Idcirco aiebat; *Me in viſionibus ſtupefacis.* Aio ipſum tempus quietis & laxamẽti, cum ad meas ipſe ratiocinationes paululum exerceri voluero, & partem ſomni & quietis capere, tum demum mihi eſſe ſomniorum terrore infeſtum. Quod phyſica ratione profecto ijs accidere ſolet, qui quidpiam grauius ſunt die perpeſsi. Id quod ſapiens confirmauit Eccleſiaſtes, cum dixit. *In multitudine tẽtationum aduenire inſomnium.* Id etiam ad veritatem valde propendet; a diabolo fuiſſe terribilia uiſa illa oblata; ut & metum Iobo inferret; & cum in quiete turbaret. Verum, cum nondum eſſet Beato huic exploratum, a diabolo ſe eſſe expetitum, tum hæc, tum ceteram turbam malorum, auctore & duce Deo, in ſeipſum irruere arbitrabatur: & illa tamen omnia agebat, ac moliebatur diabolus. Nec enim ei Deus mali quidquam inuexit. Verum omnis calamitatis diabolus princeps fuit, & architectus.

Eccl. c.5. ex edit. 70.

Liberabis a ſpiritu animam meam.

Liberabis, eſt pro, Libera. Verum [a] Aquila, Eligit ſuſpendium anima mea.

[a] *Aquilæ interpretationem in ſuã tranſtulit Beatus Hieronymus.*

A morte autem oſſa mea.

Symmachus, Et mortem propter oſſa mea.

Non enim in æternum viuam, vt ſufferam.

Olympiod. Hæc mea eſt ſupplicatio, Accipe animam meam,

&

& illata morte, a dolore libera, ut, qui hoc tempore crucior, in poſterum quiete, & placate uiuam. Nihil igitur, quod ſit æquo tuo decreto indignum contendo Domine: nempe me mortalem, non immortalem procreaſti. Ergo mihi mortem adſer. CHRYS. Me inquam, interime. En tibi uerba atrocia. Sed tamen quid habent atrocitatis? calamitatem exponit, mortem exoptat. Nihil, inquit, ago iniuſti; ſi, mortalis cum ſim, interitum expeto. Id quoque

Num. Moyſes his verbis precabatur. *Si hoc mihi facturus es, interfice me.*
c.11. POLYCHR. Dum Iobus, inquit, *Liberabis animam meam a ſpiritu,*
ex e- aut ipſum dolorem, & ægritudinem ſpiritum videtur dicere; aut
dit.70 vero reſpirationem, & anhelitum hoc ipſo declarat nomine; quæ quidem reſpiratio à functione muneris, quod præſtat corpori, ſimul cum animo abſoluitur. Denique exceſſum e vita precatur, atque eius doloris, qui ad oſſa uſque peruaſerat, liberationem in morte, id enim ualet, *A morte.*

Recede a me, vana eſt enim vita mea.

Symmachus, Quia uanitas ſunt dies mei. Quidam autem alius, Vapor ſunt dies mei. OLYMP. & POLYCHR. Deſine mihi, inquit, plagas infligere, in vitæ uanitate degenti, needum partem ullam ſecuritatis adepto; quia plane me vires deficiunt, nec robore ſuſtentor ullo. Hoc enim indicat. *Vana eſt vita mea.* Huiuſ-
Pſ.38 modi preces Deo Dauid adhibebat, *Amoue a me plagas tuas: a fortitudine enim manus tuæ ego defeci.* Mos enim hic Sanctis fuit, plagas, quas acceperunt ab hoſtibus, Deo acceptas referre; quòd eas & depellere poſſit, & permittendo haudquaquam prohibeat. Nec enim alium nouimus, inquiunt: in tuo arbitrio ac poteſtate cuncta uertuntur.

Quid enim eſt homo, quia magnificas eum? aut quia intendis animum in eum? aut viſitas eum vſque mane? & in requiem iudicabis eum?

OLYMP. Tum humanæ naturæ humilem condicionem, tum Dei erga homines prouidentiam adhibet ad ſupplicationem. Quid inquit, eſt homo, ſi per ſe ipſa eius ſpectetur natura? prorſus nihil: quamquam ipſe pro tua erga hominum genus eximia benignitate mirifice illum ipſum extuliſti: & in eo obtutum defigis: & quotidianas eiuſdem rationes, atque actiones accurate cognoſcis. Id enim ſignificat, *Mane.* Et ſane uel hac una re hominis præſtantia, quam a Deo adeptus eſt, declaratur; quòd eius uindex,

&

& ultor Deus eſt. Prorſus dignus, inquit, eſt homo, qui pœnis a te coerceatur: & qui in tua cogitatione uerſetur. Quod enim pœnas ab eo expetis, illum ipſum aliquid eſſe certo eſt argumento. Vel, *Viſitas eum*, id eſt, illi opitularis. Verba, quàm uaria, & quàm tum lenitate, tum dolore temperata ſint, animaduerte. Mihi quidem certe a cruciamentorum magnitudine uerba hæc elici uidentur. Quid autem ſibi vult, *In requiem iudicabis?* Pro illo eſt, Mori iubes, & in quiete conſidere. Quandoquidem igitur iudicio, decretoq. tuo quies danda eſt homini; atque ei uia munienda eſt ad uitæ exitum, ne diutius meos duc cruciatus, ideoq. addit.

Quouſque non ſinis me? nec dimittis me, donec deglutiam ſaliuam meam in dolore?

Haud ab irato animo, & rebus aduerſis ſuccumbente huiuſmodi uerba proficiſcuntur. Verum hoc tantum ſupplex ſcire auet, quàm diu ſit illi in cruciatibus manendum; utrum, quoad nulla ei fuerit amplius ſpuendi, loquendiue facultas? POLYCH. Ergo quàm breuiſſimum mihi ſpatium ad animi remiſsionem concede, ac me ſolue doloribus. Illud enim, *Donec abſorbeam ſaliuam*, id quod ſolet accidere morientibus, ſane exprimit. Cum hoc illud Dauidis congruit, *Dimitte mihi, vt refrigerer, priuſquam abeam, & amplius non ero*. OLYMPIOD. Illeq. ipſe, *Quouſque Deus iraſceris? accendetur ſicut ignis ira tua? Recordare, quæ mea ſubſtantia:* non hæc ſuccenſens, ſed ſupplicans promebat uidelicet: naturæq. imbecillitatem ad ſupplicationem adiungebat: quod ipſum hoc loco Iobus facit, qui dolores ſuos non ad extremum uſque ſpiritum protrahi, ſed paulutum ſedari poſtulat. Poſtea magis Deum deliniens, inquit;

Pſ. 38
Pſ. 88

Si ego peccaui, quid tibi poſſum facere?

Perinde, ut ſi diceret. Quamuis peccaſſem ipſe, quid tibi tandem facere poſſem? præſertim cum peccatum meum in te conferri nulla ratione poſſit? Quid igitur mihi reſtat aliud, niſi ut ad tuas confugiam miſerationes? Attende hominis demiſsionem. Similiterq. facit, ut quiſpiam pauper, qui omnibus, quæ ſibi aderant, deuoratis, cum nihil ei ſuperat præterea, cõmodanti, & a quo mutuum ſumpſit, dicit. Quid tibi faciam? qua ratione nomen explicabo? quaue excuſatione utar? Hebręus pro illo, *Quid poſſum tibi facere*, habet, Quid te læſi? tamquam nihil poſſit noſtrum peccatum beatæ illi naturæ officere, ac nocere.

Qui

A *Qui ſcis mentem hominum. Quare me poſuiſti* 1
B *oblocutorem tuum? Sum autem tibi onus?*

1 Vulgata,& Ambroſ. contrariũ.

OLYMP. Tenes tu Domine, quem intimi hominum ſenſus latere non poſſunt, quàm ſæpe me ſeruum tuũ hæc patientem, & abiectum cum intuentur, impie tuo obtrectant nomini, ac propemodum graui tibi ſum oneri; cum grauibus de te ſermonibus, ac maledictis cauſſam ipſe adfero. Illud igitur, *Oblocutorem*, querelæ cauſſam cogitare debemus, quamuis de Deo nequaquam ipſe quereretur.

Et quare non es oblitus iniquitatis meæ, & purgaſti peccatum meum? a

a Sunt hæc Olympi in Cat. Pinelli.

Et hæc item uerba ad ſupplicationem referuntur. Nam illud, Cur, cauſſa optandi, & deprecandi dici, iam ſæpenumero oſtenſum eſt: ſiquidem illarum ærumnarum cauſſam Iobus perſpectam habere cupiebat. Hæc autem eſt hiſce uerbis circumſcripta ſententia. An non homines benignitate complecteris? An non perfacile tibi eſt errata concedere, atque eum, qui ſe ſcelere obligauit, a noxa liberare, atque integrum declarare? Quamobrem non ipſe quoque ex tuæ bonitatis fontibus hauriam? CHRYS. Ac, ſi non mea, certe tua cauſſa id feciſſes. Quid fuit, cur, cum magnus ſis ipſe, non condicionem contemptam meam aſpernarere? Qua de cauſſa præterita pœna, culpas, & errata, quæ tua eſt humanitas, aut non contempſiſti, aut planè deleuiſti? Quaſi ad calculos cuncta reuocares, ſic a me eorum, quæ peccaui, pœnas repetiſti: idq. perfeciſti, ut ob nimiam libertatem dicendi quaſi graue onus incumbere tibi ipſi uiderer, cum maiora quædam, quàm communis naturæ conditio ferat, cum Domino meo loquar; ac tibi obtrectare propemodum uideat: quod non ſempiterna obliuione, ſi quid a me peccatum eſt, obliteraſti; præſertim cum natura ſim mutabili, procliui, ac perinfirma.

C *Nunc autem in terram abibo, ſurgens autem mane non ſum amplius.*

Et uitæ breuitatem in ſupplicatione intexuit, & quouis loco Deum excitat ad miſerandum. Illud autem, *Surgens mane non ſum amplius*, huiuſmodi ſententiam adfert. Non perinde, ut ſomnus eſt mors. Homines enim poſt ſomnum rurſus ſurgunt de mane, & ad humanum conuictum ſe referunt. Qui uero ſemel mor-

tuus eſt, neque exorientem exſpectat Auroram, dum expergiſcatur; neque hominum conſuetudini & collocutioni præſtolatur. Quòd ſi uſque eò inconſtans eſt uita mea, & ad interitum ruens, ac ſi paulo poſt moriturus, non amplius ero, quaſi a ſomno excitandus, cur hoc breuisſimum uitæ ſpatium, non a ſupplicio uindicaſti? Hæc autem non ideo Iobus loquebatur, quòd ulli culpæ eſſet affinis; ſed quaſi conceſsione utatur, huiuſmodi uerba uſurpat. Quamuis culpam, inquit, minime uitauiſſem; ego quoque cum aliis omnibus Dei benignitatem, atque clementiam debueram tamen experiri. Ita Iobi uoluntas, atque ſententia, religioſa, Deo grata, iuſta, ab omni reprehenſione uacua; ex omni parte ſeſe plane oſtendit, quamuis ſermone is obſcuriore uſus fuerit.

ADDITIONES IN CAPVT VII.

A *Quare me poſuiſti oblocutorem tuum?*

OLYMPIODORI.

VEL qua ratione cum mea tibi ſint cognita, tamquam me impie agentem condemnaſti? Eiuſdem Olympiodori aliā habes huius loci interpretationem multo illuſtriorem in Catena Cardinalis Caraffæ.

B *Sum autem tibi oneri.*

POLYCHRONII. Ob nimiam, inquit libertatem loquendi tibi ſum oneri, cum maiora, quàm communis concedat natura, cum Domino meo loquor.

C *Nunc autem in terram abibo.*

POLYCHR. Ideſt ne breuiſsimum quid uitæ tempus ſupplicij expers reliquiſti.

PROTHEORIA CAPITIS SEXTI.

QVAE ab Iobo adhuc dicta ſunt, refutaturus Baldadus, eum tamquam verboſiorem accuſat in primis. Deinde ad Eliphazi rationem, orationemq́; delabitur, ob peccata ratus homines conflictari ærumnis. Verum, cum illud obijci ſibi poſſe intelligeret. Eſto, Iobus haud fuerit inſons, cur filij communi ſunt conſtricti ſupplicio?

cio? Hoc Baldadus ante occupat; aitq́; illos item ſuorum flagitiorum pœnas dependiſſe. Iuſtoq́; auctor eſt ad deprecandum Deum; eiq́; phyſicis exemplis nititur perſuadere, prorſus peccatis irrogari ſupplicia. Atque eodem, quo Eliphazus, eſt mentis errore abreptus, licet Deo patrocinari videatur. CHRYSOST. Nempe cœtus aderat amicorum qui, communis doloris ſenſu aſſimulato, reipſa, quæ hoſtium ſunt, præ ſe ferebant. Et quidem iacenti acrius imminent; & vlcerum ſcindunt dolorem, cum alter alterius excipit orationem; nec Iobo ſpatium dant vllum reſpirandi liberum; multosq́; circulos nectunt, & verſant orbes, ac moleſtam quandam choream conficiunt: Sed tamen quid Baldadus loquatur, videamus.

CAPVT VIII.

Suſcipiens autem Baldad Sauchites dixit, Quouſque loqueris hæc? Spiritus verboſus [1] eſt oris tui.

[1] Ambr. multiloquus.

OLYMPIODORI.

THEODOTIO autem, Grauiſsimus, dixit. Verborum, inquit, turbam, in qua ſpem uictoriæ collocatam habes, aliquando miſſam facito. Grauis enim, ac moleſtus es nobis: cum & uerborum profluentia pugnas, & quę nullam ſedem, ſolumue habent, loqueris. Adhæc Iobo tãquam inſcite nuganti indignatur: dumq́. Dei iudicium iuſtum obtrudit, illius ſe obſtructurum os arbitratur. Sic enim Baldadus.

Numquid Dominus iniuria afficiet iudicans? aut qui fecit omnia, perturbabit iuſtitiam?

CHRYSOST. Vtrum nõ animaduertis in hac rerum uniuerſitate quanta iuſtitia, quanta ordinis dignitas emineat? POLYCHR. & OLYMP. Neminem ſolet Deus iniuria, indictaue cauſſa contemnere. Is, qui cunctarum rerum naturam, ac deſcriptionem admirabili ordinis, concentusq́. ratione conſtituit, ac deſignauit, & facilitate omnibus moderatur, nequaquam tua cauſſa æquitatis iura peruertet; neque te, contra quam oportet, malis affliget. Ita Sanctum tacite peruellit, tãquam ſuo ſcelere, ac iure illa ſuſtinentem:

amiciq. ſuperioris hic quoque animo imbibit opinionem, cum nocentia, & ærumnoſa in culpam refert uniuerſa. At illud etiam noſſe oportebat: non facinoroſis modo, ſed frugi etiam hominibus, illa quæ ancipitem naturam habent, accidere ſolere; & iuſtum quidem tum eſſe admirabiliorem, cum in miſeriis, doloribusq. uerſatur. Sed, quoniam nullius peccati Iuſtum coarguere poterat, ſe conuertit ad liberos.

Si filij tui peccauerunt coram ipſo, miſit in manu iniquitates eorum.

Verborum ſententia eſt huiuſmodi, Si nati, inquit, tui culpa lapſi ſunt, an non iuſtam pœnam tulerunt? Illud, *Coram ipſo*, idcirco dixit, quia Deum nihil latere poteſt. *In manu* autem, id eſt, in actione: id enim dicit, eos ſuarum actionum mercedem tuliſſe, Deoq. ſuorum facinorum pœnas interitu expendiſſe. *Et miſit in manu ſua iniquitates eorum*, id eſt, ſcelerum pœnas. Ac nutu ſignificat domus ruinam, qua liberi fuerunt oppresſi. [a] Verum enim miſcet orationem Baldadus & dogmata inuoluit, quando ſic dicit, Etiam ſi tu non peccaſti, ſeſe tamen filij ſcelere obſtrinxerunt. In quo nec illud uidit, ſupplicium, quod uni debetur, haud ab altero ſuſcipi ſolere.

[a] *Verum enim etc. hanc partem interpretationis ſumpſerunt a Didymo Polychr. & Olympio. perſpicuum ex Cat. Vinc. Pinelli.*

Tu autem ſurge diluculo, ad Dominum omnipotentem deprecans; & ſi mundus es, & verax, orationem tuam exaudiet. Reſtituet autem tibi [1] vitam iuſtitiæ. Erunt autem prima tua pauca; verum poſtrema tua inenarrabilia.

[1] Vitam Aug. in lib. vn. annot. in Iob. & Olymp. in cõmentario. Ambroſius habitaculum *δίαιταν*.

Olymp. Hoc tibi, inquit, do conſilij, ut ſedulas Deo preces adhibeas, & quidem eas ſummo ſtudio: id enim ualet, *Surge diluculo*. Ac ſi uerax, & ſimulationis integumentis euolutus fueris, eam tibi uitæ condicionem, conſuetudinemq. reſtituet, quę iuſtum hominem cum primis deceat: tantopere autem rerum tuarum ſtatus efflorefcet; ut exigua prior tua felicitas exiſtimanda ſit, ſi cum poſteriore conferatur. Polychr. Si ergo plagis iſtis tuis minime ſuccenſes, Deum ratione placa diligenti. Quòd ſi tuam illam pietatem priſtinam non umbra & ſpecies dumtaxat commendabat, ſi recta ratione religionis pietate defungebaris; cum Dominus facilis ſit ac clemens, ad ſuperiorem felicitatem te quàm citiſſime reuocabit; laboribusq. pro uirtute ſuſceptis prorſus par referet. Amplius

plius dico, rerum, quæ perierunt, numerum exhibebit. Deniq; rerum, quæ tibi concedentur diuinitus abundantia, præterita facile obliterabit; huic tuæ tolerantiæ vberem ipſo Deo mercedem perſoluente. Et nimirum frui in hac vita bonis putat Baldadus ad beatam Iuſtorum ſortem pertinere. CHRYS. Addubitare videtur Baldadus; quamobrem illa patiatur Iobus, ſi mundus ſit. Sic ergo habeat, innocentem etiam in malorum perpeſsione verſari; non ut pœnas luat improbitatis; verum vt eius ſit probata, & exercita uirtus. Neque [a] eſt illud omnino verum, veracis, & integri hominis precationi Deum ſemper fauere. Vſu enim venit interdum, vt, quæ conducibilia non ſunt, poſtulet.

a Deus precationi integri hominis non ſemper fauet.

Interroga generationem primam: inueſtiga autem iuxta genus primum: heſterni enim ſumus, & ignoramus. Vmbra enim eſt vita noſtra ſuper terram.

OLYMP. Perquire vetera; & patrum ac ſuperiorum temporum memoriam replica: ipſi enim heri, ac nuper in uitam ingreſsi ſumus; heſternæq. & unius diei eſt uita noſtra. Hæc deniq. uita noſtra uelut vmbra dilabitur; facitq. uitæ per breue ſpatium; ut rerum, nec rationem, nec orationem perfectam conſequamur. Quare niſi ad hæc, quæ diſſerimus, priſcorum accedat memoria, fides noſtro ſermoni fortaſſe abrogabitur: quandoquidem nec multo ante fuimus ipſi: & poſt aliquanto haud futuri ſumus. Ea eſt enim uitæ noſtrę condicio, ut &, cum non eſſemus antea, procreati ſimus: & iam ſati, rurſus ſimus diſſoluendi. Vt enim diei inclinatione vmbra, ſic noſtrum omnium vita commouetur, & hac illacq. perfluit. Eo autem hæc a Baldado dicuntur, vt e veterum monimentis fidem ſibi conciliet. Veteres enim illi plurimo rerum uſu fuerunt, quo eos carere neceſſe eſt, qui eorumdem ætatem minime attigerunt. CHRYS. Quod autem dicit, eſt huiuſmodi. Cum perpuſilla ſint vitæ noſtræ interualla, ab ijs qui affecta ſunt ætate, ſciſcitari debemus; qui ſane dicent; ſicut abſque humore e terra herbeſcens viriditas elici non poteſt, ſic fieri non poſſe, ut ſine iuſtitia conſiſtere felicitas poſsit: nec item fieri poſſe, ut iniquorum hominum copioſa poſſeſsio corroboretur; nec pœnam vllam ſine culpa contingere.

An non hi docebunt & annunciabunt, & de corde educent uerba?

b Congruit hæc explanatio Polychronij cũ illa Didymi, quæ extat in Cat. Vinc. Pinelli.

[b] POLYCHR. Maiores, inquit, quorum uita uirtute ornabatur; O qui-

quique pietatis ſuæ monimenta prodiderunt iis, qui mente prædi-
ti ſunt, ſatis eſſe poſſunt ad diſciplinam. Nimirum hi tum uerbis,
tum factis, qui fines facinoroſorum hominum ſint, plane docent;
eorum denique fluxam eſſe felicitatem perſuadent. Præclare uero
& illud dictum eſt, *De corde educent uerba*, cordis enim, men-
tisq. cogitata uerba ipſa dimittunt, atque hæc illinc erumpunt.

Numquid uiret ſcirpus ſine aqua? aut exaltabitur [a] carex ſine irrigatione? adhuc in radice manens, & non metetur; antequam bibat, omnis herba exareſcet. Sic igitur erunt extrema eorum, qui Domini obliuiſcuntur. Spes enim impij peribit: domus enim eius erit inhabitabilis: araneæ autem tela euadet tabernaculum eius.

[a] πάπυρος, βούτομον. herba paluſtris acuta. Hieronymus Carex dicit.

OLYMP. Quemadmodum, inquit, fieri non poteſt, ut ſcyrpus, carectumue aut adoleſcat, aut demetatur, niſi humorem ante combiberit; quin etiam omnis herba, niſi irrigata fuerit, exareſcit: ſic & rerum florens ſtatus ſine pietatis ſtudio permanere non poteſt. Quare adiungit, *Sic igitur extrema erunt* impiorum; id eſt, non eos ad extremum ſpiritum iucunda, & beata uita comitabitur, ſed tamquam aranearum tela, quæ tactionem & ictum ſuſtinere non poteſt, diſſoluetur; atque is funditus interibit. DIDYMI. Id enim ualet, *Domus inhabitabilis*. Verum, ſi de his ipſi rebus ſit magnificentius diſſerendum, prorſus dicendum erit, ſpem impiorum rebus, quæ nuſquam ſunt, quæque firmitatem non habēt, eſſe ſubnixā. Nec enim ſpes eſt aliud, ſi eius quæratur genus, quàm rerum bonarum exſpectatio. Et uero qui timet, exſpectat etiam, ſed non bona; namq. metus malorum eſt exſpectatio, ſicut ſpes bonorum. Cum igitur impiorum exſpectatio rerum ſit nō ſubſidentium, ſpes eorum uidelicet euaneſcit. Iucunda enim tamquam manentia, & fixa ſectantur, in quo ſatis apparet inanem, ac ſtultam illorum ſpem eſſe. Contra Iuſtus, cui in una uirtute conſtitutum ſit domicilium; ut qui domi maneat, eam numquam deſertam habebit. *Iuſtitia enim ipſius manet in æternum*. Improbus uero, *Pſal.*
cui uirtus curæ non eſt, neque iuſtitiæ domum exædificat; neque *111.*
in ea commoratur. Tela uero ipſa araneæ uarietatem oſtendit; quæ cum ſit a natura contexta, facillime quoque diſſoluitur, eam quopiam contingente. Improborum igitur actio, ac uita, aranearum telam,

telam, quæ nihil firmitudinis, nihilq. conſtantiæ retinet, imitatur. Nam nequam hominum cogitatio, quod tabernaculum appellatur, ita caducum, ac lubricum, ut numquam fuiſſe uideatur. Nili. Virere in aqua ſcirpum, & carectum, & quamlibet herbã, non hauſto humore, areſcere, hoc fortaſſe indicat, perturbationes, ac morbos, qui mentis terram occupant, atque ex ea progignuntur, cum cogitationum uiciſsim ſibi ſuccedentium, ſordidis ac noxiis imbribus perfuſi fuerint, multiplicem atque uberem uitioſitatis fructum ſolere adferre. Verum horum prohibet ortum irrigationis inopia, atque defectio. Didymi. Aliter. Sicut ſine aqua palus non augeſcit, ita fieri non poteſt, ut mens fructum utilem ferat, niſi res bonas, ac frugiferas comprehenderit. Id etiam, quod dictum eſt, ad humanas actiones rite transferri poteſt, quæ tamquã ab aqua, ſic a diuina prouidentia irrigantur, cuius humor niſi hæc attingat humana, nullo negotio ſiccata uaneſcent. Nihil eſt enim ſeu magnum, ſeu paruum, quod Dei ſubterfugiat prouidentiam. Cuncta denique exareſcunt, niſi ad ea prouidentiæ ſplendor acceſſerit.

A *Si ſuffulſerit domum ſuam, non ſtabit; ſi captus fuerit, ipſe non ſuſtinebit.*

Olymp. Quamuis ſumma animi contentione adnitatur; ut in tuto ſuas collocet rationes; nihilominus, ſi captus fuerit, id eſt, a diuina ultione comprehenſus, non ſuſtinebit, hoc eſt, non conſiſtet. Ita Symmachus, Innitetur domo, & non ſtabit.

Humidus enim eſt ſub Sole.

Aquila, Squalidus eſt in conſpectu Solis.

Et in putredine ſua a Rhadamnus eius egredietur.

a *Rhadamnus eſt ſurculus, ramus ſtolo, ut ex cõmentario diſcimus Olympiodori. Ambr. ramus.*

Quemadmodum inquit, ſcirpus & carex, licet aquæ humorem habeant, ardore Solis exuſta exareſcunt; eorumdemq. ſtolones putreſcunt; ita & impiis plane contingit, cum diuini numinis in eos exarſerit ira. Rhadamnorum autem nomine, qui adnata, & ſurculos, aut etiam ramos, & flores imitantur, liberorum Iobi interitum ſignificare ſubobſcure uidetur. Eiuſdem uerſus hęc apta poteſt eſſe ſententia. Scirpus in limo, & cęno augeſcit tamdiu, dum Solis eſt expers; Solem autem ferre non poteſt; ſed pęne putreſcit, flore decidente, ac defluente. Hoc uero aliud, *Rhadamnus eius egredietur*, huic par eſt, Corruptus dilabetur.

 Super

Super congregatione lapidum dormiet: in medio ſilicum uiuet: ſi autem abſorbuerit locus, mentietur eum.

Olymp. De impio, ut de planta aliqua in mediis lapidibus, ſilicibusq. ſata, quæ nec ſemper manere poteſt, & corrupta flaceſcit, ſic diſſerit Baldadus. Earum ſtirpium, ac plantarum prorſus ſunt impii ſimiles, quæ nec in alta uigent terra, & ſaxeto aſpero inhærent. Nam aut radices agunt nullas; aut uero, ſi egerint, quod terra caret altitudine, ita profecto areſcunt, ut in eo loco numquã fuiſſe appareant. Illud autem, *Si abſorbuerit*, pro hoc altero eſt, Si radices egerit; fixusq. fuerit. Illud autem, *Locus mentietur eum*, huic reſpondet, inobſcurat eum, infuſcatq. calamitas. Vt enim cæſa arbor ſui memoriam relinquit aliquam, ita herba reciſa nullam. Perſcienterq. ſaxorum, & ſilicum eſt ab eo ſermo inductus. Namque impii in improborum uita, in qua nihil eſt æquabile, nihil non aſperum, nihil non ad offendendum paratum, conquieſcunt; in quos dictum eſt illud, *Deiicite e uia lapides*, quamuis non nullam pietatis rationem amplecti uideantur, protinus uomunt eam; qui non habet fertilem animam, ac frugiferam. Didymi. Si quid autem clarius commentandum eſt; dicemus domui, quæ artificioſa quædam eſt lapidum ſtructura inter ſe cohærentium ſimilem eſſe uirtutem, ſanctitatẽ, diuiniq. ſpiritus communionem. Cumq; acetuus lapidum, & ſilicum commiſtus cumulus ſit quiddam diſsipatum, huic finitimum eſt uitium; in quo nil copulati eſt, nihilq. deſcripti, certoq. ordine deſignati. Ergo impius ſemper in uitii uerſatur, degitq. domicilio, diſſolutus ille quidem pro exterioris ædificii lapidum natura, qui tueri exædificandæ ad paſtoris normam, conuenire non poſsint. Neque audiunt, *Vos autem ſuperædificamini ſupra fundamentum Apoſtolorum, & Prophetarum.*

Iere. c. 50.

A

Ephe. c. 2.

Non uidiſti talia quod [1] *exitus impij eſt talis?*

Olymp. Hæc, inquit, ex iis, quæ acciderunt aliis, ſpectare debes. Polycr. Vtrum eorum, quæ dicta ſunt, quidquam ipſe addubitas? An non uere impiorum exitum oratio ipſa deſcripſit? Num hæc te fugiunt, quæ cunctis ſunt nota hominibus?

De terra alium germinabit. Dominus enim non [2] *deſpiciet ſimplicem.*

Olymp. Longe alius eſt impius, ac pius. Dicit igitur, Tametſi hominis pii miſeræ, & afflictæ uideantur eſſe rationes, a Deo tamen non

1 Subuerſio Ambr.

2 ἀπωπομένει probabit Aug. potius dicẽdũ reprobabit: Amb. nõ proiiciet nos: interpretationẽ ab Olympiodoro ſumus mutuati.

non deſpectum iri omnino. Nam quemadmodum florentem impiorum condicionem Deus euertit, ac funditus delet, ſic innocentium uita, quæ aliquando defloruit, facit, ut ad florentem ſtatum reuocetur, ac reuireſcat. Sed neque ad extremum contemnitur iuſtus; neque feliciter impius peruenit ad extremũ. DIDYMI. In herbarum autem tranſlatione perſeuerans; poſuit, *Germinabit.* * Simplicẽ uero hoc loco dixit, non ſtolidum, ſed uitii expertem: * ἄκακον·
rem enim utramq; nomen ſimplex declarat. Quando enim de
Rom. hæreticis dicit, quòd orationis facilitate corda decipiunt ſimpliciũ,
c.16. ſimplices eos uocat, qui rudes ſunt, fatui, & ad cogitandum tardi.
Pſal. Cum uero ait, *Simplices & recti adhæſerunt tibi*, iuſtos ſignificat:
24. Poſteriorem hanc notionem ſecutus hoc item loco dixit, impium quidem euelli a Domino, iuſtum autem pro eo inſeri. POLYCHR. Illum quidem ſupplicio mactat. Si uero pietatis laudẽ tulerit, nec ceteris malo fuerit, quamuis uitam uixerit ærumnoſiſsimam, maximam nihilominus illi ipſi Deus partem tribuet prouidentiæ.

Omne autem donum impij non recipiet; ueracium autem os implebit riſu: labia autem ipſorum confeſsione.

Poſtquam de Dei prouidentia erga pios, deque eius odio erga impios diſſeruit, deinceps munerum impii mentionem facit. Necnon lætitiam, concinnamq. laudem, quam Deus iuſtis dilargitur, deſcribit: cõtra turpe impiorũ exitium præconio enũciat. OLYMP. & POLYCHR. Impiorũ dona, inquit, minime ſunt grata Deo: haud ſe illorum uult dignari honoribus. Qui autem ex animo & uere pietatem colunt, hos gaudio complet, ut gliſcant, ut geſtiant, ut Dei gloriam efferant. Sed tamen recte Iobo dicere uidetur, eum quondam aſsimulatam, atque adulterinam uirtutem ſectatum eſſe; eaq. re & ſimulationem ipſius a Deo condemnatã; atque de eo ipſo ſumptum eſſe ſupplicium. Atque ea de cauſſa, nec tuos admittebat honores; nec quas mactabas hoſtias: nam uerax haudquaquam fuiſti. DIDYMI. Is profecto uerax eſt, qui nec ſimulat; nec falſo prætexit uirtutem, ac temperantiam; qui cum modeſtus ſit, ac temperans, id quod iuſtum eſt, iuſte perſequitur. Horum ueracium os Deus implet riſu, hoc eſt, lætitia. Pro, *confeſſione*, autem dixerunt alii, a Alacri uociferatione.

a ἀλαλαγμῷ *quod eſt, clamor militum, quem tollunt, cum prælium eſt ineundum.*

Inimici autem ipſorum induent confuſionem: conuerſatio autem impij non erit.

Iuſtorum aduerſarii turpiter uerecundabuntur, ſua ipſi ſpe deturbati: omnisq. impiorum uiuendi ratio euertetur, eorumdem quoque memoria interibit. Quibus omnibus probare nititur Baldadus, ſuo ſcelere Iobum ad illam ſtatus conuerſionem defluxiſſe.

ADDITIO IN CAP. VIII.

A *Si Suffulſerit domum ſuam.*

DIDYMI. Quamuis eam munierit pecunijs:

Si captus fuerit non ſuſtinebit.

DIDYMI. Omnis improborum callida ratio, quod tabernaculum appellatur, concidet, perinde quaſi numquam fuiſſe uideatur.

PROTHEORIA SEPTIMI CAPITIS.

QVONIAM hæc Baldadi verba fuerant, Numquid Deus iniuſte aget iudicans? aut qui fecit omnia, perturbabit Iuſtum? Idcirco iuſto Dei iudicio Iobus aſſentitur, cum inquit, In veritate noui, quòd ita eſt. Cum autem omni aſſeueratione affirmauit Deum iuſtum eſſe, eumdem ſapientem, potentem, & magnum teſtatur; eſſeq́ cuilibet perdifficile cum illo contendere. Ad hæc pluribus verbis Dei potentiam, atque eius incomprehenſam naturam confirmat. Atque etiam ait, apud Deum neminem eſſe iuſtum, qui non illius munere talis ſit; nihilq́ ſibi conſcium eſſe, ſed non propterea iuſtificatum eſſe. Itemq́ vitæ breuitatem in ſupplicationem ſumit, & illud dicit. Si tamquam impius fero ſupplicium, nempe præſtabat me emori. Et quoniam amicis perſuadere nulla ratione poterat, nullas ſe ſcelerum pœnas luere, idcirco anxio metu poſito, & vehementi erga Deum caritate incenſus apud Deum, qui index eſt integer, & incorruptus, cauſſam dicit; illius iuſto iudicio magnopere fretus: cum illud intelligat, numquam paſſurum Deum, vt iniuſti quidquam loquatur. Hæc nec duri aſperitæ

hominis

hominis verba ſunt, ſed quaſi filij oratione apud patrem vtentis confidentius, & cum Deo ad hũc modum pæne ſermocinantis, Nimirum, o pater, libenti animo tuo experior iudicio: ſcio enim mendacium te ferre non poſſe. Quæ cum dicit, nempe Deum, vt verum, & perſonarum diſcrimina aſpernantem honore afficit perquam eximio. Hac ergo is mente Dei poſtulat iudicium. Et quia cum eo colloqui ſemel eſt auſus, Parce mihi, inquit, Domine. Nam qui me vrunt dolores, ſermonem mihi prorſus extorquent. Ac rurſus Dei erga homines benignitatem, & voluntariàm peccatorum obliuionem, & munificam, prolixamq́, voluntatem vſurpat; effectoremq́, precibus obſecrat, vt ſuæ ignoſcat effectioni, atque opificio. Dei quoque vim, & poteſtatem docet; petitq́, ut ante mortem, paullulum ſibi detur laxamenti. Quamquam eam, quam optat liberationem malorum, non eo pertinere exiſtimo, ut ſibi certum ſit in vita manenti, aut nec Deum eſſe iratum; aut nec ſe a Dei clariſsimo adſpectu fore in tenebras ablegandum.

CAPVT IX.

Suſcipiens autem Iob dicit. In veritate noui, quoniam ita eſt.

OLYMPIODORI.

IPSE quoque noui, inquit, haud iniuſtum eſſe Deum, & æqua ratione ab iniuſtis pœnas expetere. Vt autem doceret, hoc ſibi dogma certum, ac conſtitutum eſſe, quaſi iureiurando illud confirmat his uerbis. *In veritate noui, quoniam ita eſt.* CHRYSOST. Quantam uerba hæc præ ſe ferunt piloſophiam? Scio, inquit, perire impios ſolere, iuſtos non item, uiden, ut nuſquam Deum iniquitatis condemnet. OLYMP. Hoc autem eſt uſus procœmio, ut reliquam orationem præmuniret; ut, cum dicturus eſt; Libenter apud Deum cauſſam dico, nemo ſuſpicetur illò eius uerba ſpectare, quod per iniuriam affligetur ærumnis: ſed potius, quia diuini iuris æquitate fretus, ac Dei iuſtitia, & caritate confiſus, eiuſmodi ſermonem expromat. Di-

ctum namque eſt. *Niſi cor noſtrum nos reprehenderit, fiduciam* 1. *Io.*
habemus ad Deum. Illius ergo conſcientiam nullius fuiſſe peccati *c.3.*
labe adſperſam, ex eiuſdem uerbis perſpicuum eſt. Verum enim,
cum intelligeret non uacare quempiam culpa, ſi Dei ſubierit iu-
dicium ſeuerum, idcirco mox addit;

A *Quomodo iuſtus erit mortalis a Domino? Si enim*
B *voluerit iudicari ab eo, non auſcultabit illi, vt contra-*
dicat vni verbo de mille: ſapiens enim eſt intelligentia,
fortis & magnus.

Olymp. Quamquam, inquit, nec illud me fugit; neminem
fore iuſtum, ſi ad perfectam diuini iudicij normam cujusq; uita
exigatur; ſed *Neque iuſtificabitur in conſpectu eius omnis viuens*, niſi *Pſal.*
quem is gratis iuſtum effecerit. Nemo igitur apud Deum, hiſcere 142.
audet. Nempe, poſsit quiſpiam iuſtus eſſe, ſi cum ceteris confera-
tur hominibus; uerum, cum in Dei exiſtimationem uenerit, quî
tandem iuſtus uideri poſsit? Neque uero Tyrannorum more iu-
dicia Deus exercet: uerum ei, de quo iudicium facit, perſuadet; ut
diuini iudicis ſententiam, ac iudicatum exoſculetur. Et ſane qua
ratione queant ij, qui degunt in terris, cum Deo exæquari, cum
inter hunc & illos tantum ſit interuallum, tantumq. diſcrimen?
Nam, ſi in idem ius Deus & homo uenire uoluerint, fieri non po-
teſt, ut quiuis, aut Dei orationem ſuſtinere audiendo, aut uni uer-
bo de mille, quaſi perperam dictum ſit, reſiſtere queat, refellendo.
Nam eum, qui ipſa eſt ſapientia, omnino neceſſe eſt cuncta co-
gnoſcere; nec ignorare, quæ a noſtro adſpectu obliteſcunt. Vt
enim is, qui ſapientia pollet, aut ſtulti quidpiam loquatur, aut quid-
quam, ſeu in ſermone, ſeu cogitatione peccet fieri nequit; immo ue-
ro ad ſapientiam infinitam uim naturæq. præſtantem dignitatem
habet adiunctam. Polychr. Si quiſpiam igitur apud Deum ex-
periri uoluerit, profecto nulla fuerit ei dicendi poteſtas. Vilem
namq; Iudex cotemnet hominum condicionem, nec uni uerbo
de mille reſpondebit. Eius igitur rei, quæ ab Iobo enunciata eſt,
duplex poteſt eſſe interpretatio. Vel, ut ad Deum contemnentem,
nec reſpondentem, uel ut ad Iobum hæſitantem, & æſtuantem,
& qui contradicere non poſsit, referamus. Olymp. Ruſus ani-
maduertendum eſt, uerba, quæ principio Iuſtus poſuit, illis Beati
Dauidis eſſe cognata. *Et non intres in iudicium cum ſeruo tuo, quia* *Pſal.*
non iuſtificabitur in conſpectu tuo omnis viuens. Vt, cum audieri- 142.
mus

Ferme omnem hanc interpretationem hauſit a Methodio Olympiodorus, planum ex Cat. Vinc. Pin.

mus eum, unius Dei iudicio uelle ſe niti; atque apud eum de iure decernere, non ita putemus de eo, quaſi his uerbis loquatur. Patior iniuſta, ac diſceptans cum Deo de iure, tamquam agentem iniuſte eum redarguere poſſum. Apage, longe iſthæc a magni, & Deo cari Iobi eximia intelligentia abſunt. Hoc nobis tantum cupit eſſe perſpectum, iudicia ſe uitare hominum, imperite & ad gratiam loquentium: quo quidem uitio illius laborabant amici, in diuinæ prouidentiæ rationibus hallucinantes; qui in eo ipſo Deo ſe patrocinari arbitrabantur, quòd contra Iuſtum hominem ſuffragia ferebât. Obſecrat autem, & obteſtatur Deum; ut cauſſæ ſuæ iudex & cognitor eſſe uelit; a quo ſit omnis falſitas perquam aliena. Sic enim fieri poſſe, ut uero Dei iudicio declaretur, ob quampiam conceptam fraudem nullas pœnas ab eo pendi.

Quis factus durus coram illo ſuſtinuit?

OLYMP. Pro, *Suſtinuit*, Aquila, Pacem habuit: Symmachus, Perſeuerauit, eſt interpretatus. Sed nec quiſquam, inquit, qui aduerſus Deũ obdurauit, tulit impune. Quamuis enim ad breue tempus impune ſit, haud ita tamen perſiſtet. POLYCHR. Quis contra Deum mentem obſtinate obfirmauit? Pharao, diabolus, qui coram Deo ceruices nequaquam inflexit, etſi ij omnes duri eſſe apud Deum cēſentur, qui corda lapidea gerunt, in quos dictum eſt

Iſaia. illud. *Scio, quia durus es, & neruus ferreus eſt collum tuum.* OLYMP.

c. 48 Et hoc etiam loco præmunitione uſus eſt Iobus; ut diſcamus quæ dicit uerba, hominis eſſe non peruicaciam, & ſententiæ obſtinationem, ſed ſupplicationem ad orationem adhibentis, diuinæq. ueritati fidentis. Qui enim præclare tenebat, quantum homini adferret incommodi, contra Deum pertinacia uti, ea qua tandem hic ratione utatur? Atqui non ita multo poſt, ſed in conſequente oratione poſt inductum procœmium, & poſtquam mentem noſtram apte muniuit, Dei poteſtatem uerbis exequitur, prope id ſuadens unicuique, ut nullo pacto ei orationc obſiſtere audeat, cuius tanta ſit uis, tanta poteſtas, tanta maieſtas, qui nullam umquam partem iuris poſsit, aut peruertere, aut deflectere.

Qui montes redigit ad vetuſtatem, & ignorant; & ſubuertit eos ira.

Hoc Symmachus dixit apertius. Qui ſummouet montes; nec apparere eos facit. Sed tamen quænam eſt huiûs uerſus apta ſententia? Nimirum, ſi uerba tantum ſpectentur, hoc dicit. Qui nullo negotio exterminat montes: ut cum illo congruat. *Qui tangit*

mon-

montes, & in fumum euaneſcunt. Illud autem ad intelligentiam pertinet. Qui elatas improbi dęmonis inſidias uincit; transfertq. ab hominibus, illis nec ſentientibus. DIDYMI. Alios noui ego montes, Moyſem, inquam, & prophetas. *Leuaui oculos meos in montes*. CHRISTVS ſenio conficit uetus teſtamentum; nec id animaduertunt Iudæi, in quos dictum eſt illud. *Si crederetis Moyſi, crederetis & mihi*. Is montes Hieruſalem, & ſanctuarium a litera ſolo euertit. Ille ſuo ſplendore ſolis, ceterarumq. ſtellarum luminibus officit. Papæ, quænam, & quanta is homo loquitur, qui morbo eſt, plagisq. confectus? qui teſtam manibus tenet? qui ſaniem radit: qui ſedet in ſterquilinio: *Qui montes*, inquit, *redigit ad vetuſtatem, & ignorant*. Ergo, cuiuſmodi ſint hæc uerba uideamus; & quæramus, quinam montes ſint, qui inueteraſcunt; & quorum opera uetuſtate conſeneſcunt: & quinam ij ſint, qui ignorant. Venit IESVS ad literæ traditionem labefactandam, & plane conuellendos eos, qui poſt gratiam ad litteram adhæreſcũt, de quibus inquit Apoſtolus, *Peruenit autem in eos ira*. Euerſa ſunt uetera: litera eſt antiquata: inſtaurata eſt ſpiritus diſciplina; *vt nos ſeruiamus in nouitate ſpiritus, & non in vetuſtate literæ*. Maius quid hominum opinione in aduentu ſuo IESVS meus perfecit. Etenim ipſos prophetas eodem tempore antiquauit, & innouauit.

Pſal. c.103
Pſal. c.120
Ioan. cap.5
1.Thes. cap.2
Rom. cap.7

Qui commouet eam, quæ ſub cœlo eſt, a fundamentis: columnæ autem eius concutiuntur.

OLYMP. Columnas dicit, ipſa firmamenta, & fulcra; quæ fundamentorum architecto, ea ratione, quæ illi nota eſt, firmata nituntur: qui poteſt etiam illa conuellere. Huius ſimile eſt in Pſalmis. *Qui reſpicit terram, & facit eam tremere*. DIDYMI. Verum, ſi concinnior eorumdem uerborum facienda eſt interpretatio, columnæ Domini mei IESV CHRISTI erant Apoſtoli. Hi enim quo tempore patiebatur IESVS, commoti ſunt, ac fluctuarunt. *Omnes uos ſcandalizabimini in me nocte hac*. Terræ motus ſæpe fiunt in terris: uerum, qui ante, uel poſt CHRISTVM extiterunt, partem quandam terræ occuparũt. Mei autem CHRISTI tempore non priuatus fuit aliquis terræ motus, ſed tota ipſa terra conquaſſata eſt e centro conuulſa.

Pſal. 103.
Marc. c. 14

Qui dicit Soli, & non oritur. [a]

Non quia Sol audit; ſed quia præſtantem uim ſuæ poteſtatis oſtentat.

a Vide quid ſenſerit Didymus de eo terremotu, qui in CHRISTI nece contigit.

Obſi-

Obſignat autem aſtra.

Id eſt, claudit & prohibet. Poteſt enim, inquit, imperare Soli, ut in certa commoretur regione, nec exoriatur; aſtra etiam obſcurare, ut minime luceant. DIDYMI. [a] Fertur, quo tempore paſſus eſt CHRISTVS, tres ipſas horas Solem defeciſſe, tunc item ſtellas uiſas eſſe, tamquam in nocte.

a Quod autem Didymus, affirmat etiam Methodius in Cat. Vinc. Pin.

Qui extendit cœlum ſolus.

Verum, & cœlum, inquit, mira facilitate retendit; ut alio
Pſal. quodam dicitur loco; *Qui extendit cęlum ſicut pellem*. Quod qui-
103. dem CHRISTVS, concinente Dauide, diſtendit. *Verbo*, inquit, *Do-*
32. *mini cęli firmati ſunt.* Verbum autem eſt ipſe Dei Filius unigenitus.

Et qui ſupra mare ambulat, tamquam ſupra pauimentum.

OLYMP. Ad hiſtoriæ ueritatem. Cuius, inquit, pedibus ſubiectum eſt mare. Qui ob naturam ab omni materiæ concretione ſegregatam cuncta permeat; cunctiſq. rebus ineſt, ac præeſt. Videtur etiam tamquam uates incarnationem Verbi ſignificare, quādo CHRISTVS ad Apoſtolicam nauem accedens, fluctus extimos
Pſal. ambulabat. Hûc enim refertur illud, *In mari via eius.* Et hoc
76. quidem Verbum fecit forma humanæ naturæ indutum.

Qui facit Pleiades & Heſperum, Arcturum & [1] receſſus Noti.

OLYMP. Cum inſigniora appellauit, complexus eſt reliqua. Ac ſi diceret; qui omnem cœli ornatum diſtinxit. A Noto ceteros uentos ſignificauit. Receſſus, ſeu promptuaria uentorum, theſauros nuncupauit: ut intelligamus haudquaquam uentorum rationes nobis eſſe perſpectas. Hebræus ſic. Et omnia aſtra circundantia Notum. Vt ex promptuarij nomine aſtrorum appareat multitudo, ex ea plaga ſeſe oſtendentium. Promptuaria igitur ſunt aſtra in auſtrali cœli parte, tamquam in promptuario recondita. Differt autem aſtrum a ſtella. Nam aſtrum cōſtat e ſtellis, quamquam ſine diſcrimine ſcriptura diuina utrumque uſurpat uocabulum, nec quidquam ea re lęditur; quādoquidem ſic rerum utitur uocabulis, ut ab hominibus intelligi queant. BASILII. Arcturi ſcriptura meminit, * ſubrufi aſtri, quem poſt Orionis partes ſitum uideo [b]. Pleiades quoque eadem ſcriptura dixit, nomine utens ſimiliter, ut ij utuntur, qui reconditiora una cum Hebræis curioſius peruеſtigant.

1 *ταμεῖα* promptuaria. Ambr. Auguſt. miniſterium.

* *ὑπόκιῤῥον.*

b Vergiliæ appellantur a M. Tullio, & Plinio: ideo Baſilius poſteriorem Arcturum eſſe ſcribit. Quia Arcturus eſt in Libra, Orion autem in Gemini.

gant. In ipſis autem Vergilijs ſeptem apparent ſtellæ continentes, atque confertæ, non ſex, ut eſt uiſum nonnullis; & trianguli quidem tuentur figuram. Heſperus autem ſidus eſt lucidiſsimum, qui Lucifer etiam ideo appellatur, quia de mane oritur, nunciatq. auroram; hæc autem diluculum, ac diem. Ille igitur, *qui numerat multitudinem ſtellarum, & omnibus ijs nomina vocat*, earum omnium tum numerum tenet, tum nomina. Paucę enim ſuis ſunt appellatæ nominibus; quæ cum ſint Græcis familiares, ex ijs oſtendunt reliquas. Sed tamen innumerabilibus quibuſdam illas ipſas uocabulis notant, cũ & errantes faciunt, & inerrantes, & quaſdam in duodecim partes diſtribuunt, ad ſigniferi orbis, quem Sol conficit, rationem partientes; nonnullas in Auſtri, Boreæq. lateribus defigunt, & quibus maluerint nominibus illas appellant. POLYCHR. Id hoc loco Iobi oſtendit oratio, Deum, cum hanc rerum conderet uniuerſitatem, tum ſapientiæ, tum ſuæ erga hominum genus prouidentiæ inſignia dediſſe documenta. Sapientiæ quidem in tanta rerum, quæ cernuntur, uarietate; prouidentiæ in earundem uſu, quo homines perfruuntur. Aſtrorum enim ortus, atque obitus, & lunæ ſeneſcentis diminutiones, oſtendunt agricolis, quo tempore ſementem facere debeant; & quo ſtudio colenda terra; iiſdemq. ſerenitates, tempeſtateſq. cęli præſignificant, itemq. nautis nauigandi opportunitatem. Verum dicuntur Phœnices ad ſuos curſus maritimos Minorem urſam ducem adſciſcere. Ergo opificij eius, inquit, eximij, quotidie argumenta licet intueri. Cęli inquam conuerſiones, tempeſtatum mutationes, temporum uiciſſitudines, diei, ac noctis præclaro ordine deſcriptam ſucceſsionem. Etenim, cum aſtrorum mentionem fecit, aëris quoque meminit, uariumq., ac multiplicem uſum indicauit: quare addit;

Pſal. 146.

Omnis interpretatio hæc Baſilij ſũpta eſt ex eius comment. in Iſaiã Prophetam explanantis ea uerba ca. 13. Stellæ cœli et Oriõ, et omnis ornatus cœli lumẽ non dabit; vbi de nomine Stellæ, & aſtri, & de Orione multo diligentius differit.

C *Qui facit magna & ininueſtigabilia, glorioſa & ſtupenda; quorum non eſt numerus.*

POLYCHR. Id eſt, quorum ſumus ipſi ignari. Dixerat hæc ipſa ante Eliphazus, quæ hic loquitur Iobus. Subindicat autem niuis ortum, grandinis impetum, tonitruum ſonitus, fulminum ſagittas, & iactus, & quæ e genere ſunt eodem. CHRYSOST. Quæ nuper, inquit, a me dicta ſunt; nec magna ſunt; nec ex earum rerũ genere, quæ inueſtigari nequeant. Nam in ſenſum ea oculorum incurrunt. Quanti illa fuerint, quæ ab oculorum abducta ſunt conſuetudine, atque iudicio? Ac uide, quemadmodum numquam diuinam naturam, ſed Dei dumtaxat opera proferat. Sed quid attinet,

ret, inquit, de ſingulis dicere? Nempe eiuſmodi ſunt Dei opera; vt nec informari animo, nec numerando perceuſeri queant. DIONYS. Vidiſti, quænam de Deo Iobus Beatus diſſerat? qui cum ſæpius, cum in ſingulis rebus religioſa mente veneratus eſſet; tum illuſtri laude extuliſſet; ſummatim nunc cuncta complexus dixit. *Qui facit magna, & inuueſtigabilia, & glorioſa, & ſtupenda, quorum non eſt numerus*. Nam, quamuis numerus numerari non poſſit; nec ullo ſit termino circumſcriptus; poſitq. additione ſemper augeri, nec vllum numerandi exitum habeat: nihilominus, inquit, Dei opera quemlibet numerum, qui pertranſiri non poteſt, longe ſuperant. Quòd ſi opera, quanto magis ille? Quod enim eſt homini nec comprehenſibile, nec terminatum, hoc ipſum eſt Deo minimum, & quantitate quidem, ut hic dicitur; magnitudine autem, quemadmodum eſt in Pſalmo, ipſum ſuper magnitudines eſſe
Pſ.47 prædicante, *Magnus*, inquit, *Dominus & laudabilis valde, & magnitudinis eius non eſt finis*. Siquidem omni eſt laude ſuperior, quauis admirabilitate admirabilior, & omni gloria glorioſior, & qua-
Pſ.95 uis ſublimitate ſublimior, ſicut ſcriptum eſt. *Terribilis Dominus, & magnus valde, & admirabilis potentia eius. Qui glorificatis Dominum, exaltate quantum poteſtis; ſuperexcedet enim amplius*. Multumq. laboris eſſet ſuſcipiendum, ſi diuinarum ſcripturarum hymnos ſingulos, quibus ſumma Dei celebratur magnitudo, ſeligere uellemus; ut in hunc locum contraheremus: quos quidem hymnos ſua Deus laude & excelſa natura longe ſuperat uniuerſos. Nunc igitur ad reliquam interpretationem pergamus.

Si ſupergreſſus fuerit me, non videbo; ſi tranſgreſſus fuerit me, non nouero.

OLYMP. Is plane, inquit, mentis, oculorumq. aciem fugit, vt, quemadmodum ſit in omnibus, extra omnia, ac ſupra omnia, ſciri non poſſit. Quid illum dico? quando nec eius iudicia omni naturæ conditæ poſſunt eſſe comprehenſa? Ea enim vi, ac poteſtate, quę a noſtro eſt ſecreta adſpectu, omnia molitur, quæcumque molitur; ut iam quæ aguntur ab ipſo, non ſenſus modo noſtros, ſed animi etiam præteruolent intelligentiam. Ita nec eum lenem agnoſco, nec iratum contemplari poſſum, licet me ſupergrediatur, & tranſgrediatur, ut plane non animaduertam.

1 ἀπαλλάξει. Auguſt. Si morti tradiderit. Ambroſ. ſi diſceſſerit. Si abire iuſſerit: ſi dimiſerit: ſi occiderit. Nā uerbū eſt hoc πολύσημον.

Si[1] *abduxerit, quis reduxerit? vel quis dicet ei, quid feciſti?*

En, inquit, abripuit a mundo: quis reportabit abreptum? Olymp. Quis referet, inquam? quis de ijs, quæ ab illo aguntur, contradixerit? ſi uelit cuncta plane delere, quis illius arbitrium, decretumue correxerit? Polych. Si contra quempiam ſententiam dixerit, ad quem prouocabitur? cuiuſue implorabitur auxilium? quis illi quaſi minus recte facienti, exprobrarit? cum liberum in res omnes imperium obtineat? cum ijs propitius, ac placatus ſit, quibus eſſe uoluerit? ac rurſus, quos uoluerit, plectat?

Ipſe enim auertit iram.

Olymp. Hoc unum, inquit, ſcimus, nulla animi commotione ab eo irrogari ſupplicia, noſtris interim rationibus utiliter cōſulente. Vſus autem ſynecdoche ab ira, uitium omne ſignificauit: nec enim iram tantum auertit, ſed ceteras etiam perturbationes. Symmachus autem ad hunc modum, Deus, cuius ira[2] auerti nequit: ut intelligamus diuinum impetum uitari non poſſe. Quis enim illius uindicem, & ſupplicio ulciſcentem manum poſsit auertere?

2 ἀναπέστρεπτος. Aug. Inauertibilis ira.

Ab eo autem incuruata ſunt cete, quæ ſub cælo ſunt.

Olymp. Symmachus, Sub eo curuabuntur innitentes faſtu, Arrogantium, inquit, deprimit ſupercilium. Rurſus Hebræus, Ab eo, inquit, omnia perduntur: id eſt, niſi ſponte, & clementia in homines uſus iracundiam flexerit, ad nihilum reciderint omnia. Græcus uero, *Cete* dixit, ut omnia indicaret, quæcumque inuicto robore, ac robuſta uidentur eſſe fortitudine. Didymi. Illud uidelicet, ad uerba. Nec ceti, nec ueneno imbutæ feræ hominum ferrent imperium, niſi illa Deus ſubegiſſet. Verum hoc ad theoriam. Ceti ipſi nequam ſpiritus per allegoriam dicuntur; ideo quia animi noſtri fluctibus innatant. Horum ille cetorum compreſsit, fregitq. audaciam. Neque enim ijs poſsit hominum natura obſiſtere, niſi inflectantur a Deo.

Si autem me audierit, aut diiudicarit verba mea.
D *Si enim iuſtus fuero, non exaudiet me: iudicium eius deprecabor. Si autem vocauero, & audierit, non credo quod exaudiuit me, ne de caligine conterat me.*

Proſus difficilis, atque arduus locus, quem nullus ſine labore

per ſe ipſe expedierit. Duce nihilominus Deo, Iobóq. locum ſua illa teſta, qua ſaniem abſtergebat, complanante, eſt tentandus [a] aſcenſus. Quæ igitur horum uerſuum poterit eſſe ſententia? Baldadi hæc fuerant uerba, *Non iniuria afficiet Deus iudicans* additq., *Surge diluculo ad Deum deprecans; &, ſi mundus es, deprecationem tuam exaudiet, & reſtituet tibi uitam meliorem prima*. Ad hæc Iobus reſpondet. Qui ſciam, o amice, utrum me Deus audierit, precationisq. uerba diiudicarit? Nam, ſi iuſtam eſſe meam cauſſam apud eum probare uoluero, haud mihi reſpondebit. Hoc enim ualet, *Non exaudiat me*. Illius porro iudicium, atque ſuffragium libenter implorarem, ſi certum haberem, inuocantem me, & implorantem auditum iri. Nec enim ſe in cōſpectum dat Deus, nec uocem mittit aliquam: ita multò magis metuo, ut, cum prorſus uideri is nequeat, e turbine & procella me conterat, quòd de iure cum eo ſim auſus diſceptare. OLYMP. Sed tamen hoc pacto commentantur nonnulli. Si meum ipſe ius, atque innocentiam probare uoluero, repellar a Deo; cum illius iudicia, nec mentem noſtram ſequantur; nec illa poſſit animus noſter aſſequi. Quo etiam magis illius eſt mihi iudicium exorandum. Quòd ſi Deum inuocauero; ac meæ cauſſæ æquitatem, meamq. innocentiam complexus fuerit; haud credam meam illi cauſſam probatam fuiſſe. Is enim noſtrum fugit obtutum; & illius mihi eſt ignotum iudicium, ut uerear magnopere, ne ipſe obſcuro aliquo conſiſtens loco, quaſi quæpiam procella, ac turbo, plane me perdat. Id autem, quod dicit, eſt huiuſmodi. Turbo cum circumagatur, undiq. cuncta complectitur: quocirca, ſi ex una parte inſons uiſus fuero, ex altera me coarguet. Quæ quidem a me uere dici præſentia mala teſtantur. Nam ſubito tam uarijs me circumuallauit ærumnis, haud peccati alicuius pœnas perſoluentem. Idcirco attexit.

[a] *Catena habet ἀνάδυσιν, mea quidem ſententia corrupte: crediderim veram lectionem eſſe ἄνοδον, ut nos ſumus interpretati.*

[1] *Multas fecit contritiones meas fruſtra.*

[1] Ambr. Multas autem mihi fecit contritiones in uanū. lib. 1. de interpell. Iob.

Vnum illud ſane noui, quòd cauſſam tantorum malorum nulla aſſequor ratione. Id enim ſignificare uidetur, *Fruſtra*. Aut id etiam dicit. Nihil attinebat Deum his cruciatibus de me periculum facere. Nam ante cruciamenta me præclare nouerat. Quamquam alii pro, *Fruſtra*, interpretati ſunt, Sine cauſſa, & gratis. CHRYS. Hoc ipſum de Iobo Deus diabolo dixerat. *Tu vero dixiſti, vt fruſtra perderem ſubſtantiam eius*. (Iob. c. 2.) Quid ergo miraris, id quod a Deo dictum eſt, dici quoque a Iobo? Etſi illud, *Fruſtra*, non eo pertinet, quòd aberrauerit, ſed quòd ex illa pœna, atque ſupplicio nil maius eſt conſecutus.

Non

Non enim ſinit me reſpirare: impleuit autem me amaritudine.

Chrys.& Olymp. Referta eſt uita mea ærumnis; ac ſine dolore reſpirare non poſſum: tanta eſt malorum acerbitas, ut nullas faciant inducias.

Quia enim robore poteſt, vincit, quis ergo iudicio ipſius reſiſtet?

Symmachus autem, In robore fortis eſt. Polychr. Cum poteſtatem, quæ expugnari non poſſit, obtineat, cuncta, inquit, adminiſtrat imperio; cum reperiatur nemo, qui in re aliqua ſit ei aduerſaturus. Olymp. Et ipſe quoque, cum illius animo complector fortitudinem, audax eſſe facinus aio, illius obſiſtere iudicijs, cum uiribus, & iudiciorum æquitate, peræq. ſit præditus: quibus duabus rebus haud quiſpiam repugnabit. Hæc uero Iobi oratio attingit amicos, illas ab eo ob ſcelus aliquod pœnas ſuſceptas eſſe exiſtimantes.

Si enim iuſtus fuero, meum os impium erit.

Alij, Condemnabit me.

Si autem fuero irreprehenſibilis, prauus euadam.

Olymp. Quamuis, inquit, meas apud eum rationes expoſuero, impius ero. Quamuis factorum fortaſſe iuſtitiam fuero conſecutus; dictorum tamen condemnationem minime uitauero. Si enim me iuſtum eſſe dicere audeam, id demum dicere puto eſſe impietatis. Quòd ſi illud etiam ſim dicere auſus, omni me reprehenſione uacare, mihiq. ipſe fuero blanditus, hoc ipſum meá prauitatem coarguet; nec me rectum eſſe teſtabitur: quandoquidem, ſi iuſtus eram, id ipſum ſilendum erat: neque enim de ſe iuſtus prædicat. Huic finitimum eſt illud, *Factus ſum inſipiens; vos* 2.*Co-*
me coegiſtis. Polychr. Fortaſſe & aliquid dicit huiuſmodi. Qui *rinth.*
tandem meum ipſe ius in Dei iudicio perſequar? Qui homo ipſe *c.*12.
imbecillis cum rerum omnium Domino diſputem? Is enim, qui tanta eſt poteſtate, facile oſtendit, iniquos meos eſſe ſermones. Nam, licet uitam a labe uacuam uixerim, improba nihilominus apud Deum uidebitur; cuius accuſandæ, atque emendandæ habet poteſtatem.

Si enim impie egi, non noui animo meo; niſi quòd ablata eſt uita mea.

1. Corin. c. 4. POLYCHR. & OLYMP. Illud Apoſtoli dixit, *Nihil mihi conſcius ſum; verumtamen non in hoc iuſtificatus ſum.* Nullius quidem peccati me torquet conſcientia: hoc tamẽ unum noui, urgeri me malis. Cumq; ad extremam miſeriam meas rationes uideam deuolutas, æſtuo uehementer, quoties eorum, quæ mihi contigerunt, cauſſam cogitatione pertracto . . .

Propterea dixi; Magnum & potentem perdit ira; quia improbi in morte [1] erunt ingenti: ſed iuſti deridentur: traditi enim ſunt in manus impij.

[1] Aug. in magna morte Ambr. in morte graui.

OLYMP. Hæc mecum ipſe reputans aio eum, qui ſuam magnã & robuſtam eſſe iuſtitiam arbitratur, perdi a diuina ira. POLYCHR. Aut etiam, quia omnes Dei coercet ira, ſiue quis pietate inſignis, ſiue uita clatus extiterit. OLYMP. Nec uero illud ignoramus in flagitioſos ultima eſſe, & improuiſa ſupplicia conſtituta. Sed tamen pij, ac religioſi homines a facinoroſis ridẽtur in uita, tantiſper, dum Dei bonitas delitefcit; & quæ in poſterum ſunt reſeruata utriſque, haud ipſa ſe produnt. Porrò autem iuſti in manus impiorum traduntur ſępenumero; non ut hi honore afficiantur; ſed ut illi probentur. Hæc dum dicit, ac patitur Iobus, tibi prorſus perſuadere deberet: Eorum enim, quæ dicuntur, res ipſæ, perneceſſaria ſunt confirmatio. Is enim à Deo eſt Diabolo petenti deditus, resq. illius ſunt direptæ ab hoſtibus; illo, cur hæc fierent, cauſſam ignorante.

Facies iudicum eius cooperit. Si autem non ille, quis eſt?

Symmachus, Et nunc quis eſt. OLYMPIOD. Quoniam in memoriam diaboli redijt, dum dixit, *Traditi ſunt in manus impij*, conſecutioni obſequens orationis addit, peccatũ iudicantium ſubterfugere cognitionem; cum ipſum ſimulationis artificio iuſtitiam ſæpenumero mentiatur, Ita nullus peccati expers. Quòd niſi ueterator eſſet, haud magnus exiſteret: quamquam ſuperari facile poteſt peccati architectus diabolus. Etſi hæc ipſa Iobus, tamquam Sanctus ac uates, occultius tamen in mediam diſputationem conicit. Rurſusq. ad ſua reuocat orationem, & quæ conſequuntur, appingit, POLYCHRON. Alij uerſum hunc ſic exponunt, Quia di-

xerat; *Magnum & potentem perdit ira*. Nunc ait, eorum, qui audacius diuinæ iræ æquitatem perſpicere conantur, facies cooperiri, id eſt, acri eius rei cognitioni tenebras prorſus offundi. Ac, ſi horum omnium auctor non is eſt, quinam ſit, uos ipſi docete.

Vita mea velocior eſt curſore.

Id eſt, maxime incitata, ſiue flagitioſa, ſiue ea ſit laudabilis. Symmachus autem: Dies mei.

Fugerunt, & non viderunt: Si eſt veſtigium via nauibus, aut aquilæ volantis.

Symmachus autem. Abierunt ſimiliter, ut naues feſtinantes, ut aquila uolans ad eſcam. Qui immatura, inquit, morte extinguuntur, ſingulos humanæ uitę caſus intueri non poſſunt. Vt enim nauis, aquilęque nulla extant impreſſa ueſtigia; ita beatę, florentisq. uitæ nulla relinquuntur argumenta. Ergo ut nauis nulla in mari, nec ulla aquila in aëre ueſtigia facit, ſic humanę felicitatis certum nullum ſignum adfertur. Id quod rerum mearum condicio certiſsime comprobat: ea enim, quibus ipſe ad breue ſpatium fructus ſum, bona pari celeritate auolauerunt, atque nauis incitata a uentis, aut uero aquila, quæ alarum celeritate aëra diffindit. Nam illud, Ad eſcam & cibum aquilam uolare, pernicitatem oſtendit. Aquilę uero, nauisq. ſimilitudo eodem pertinet, licet non ex eodem ſit ſumpta.

Si enim dixero, obliuiſcar loquens; procumbens autem facie ingemiſcam. Concutior autem omnibus artubus. Scio enim quod non innocentem me dimittes.

Olymp. Duplex eſt huius loci expoſitio. Aut enim hoc dicit, Si me tueri voluero oratione, nimium ea longa futura ſit, prætterquam quod gemo, & contremiſco, veritus ne alicuius rei per imprudentiam contractæ forte conuincar. Chrysost. Aut id potius ſignificare uoluerit: Si de meis rebus dicere conor, ac mea narrando pertexere, profecto doloris acerbitas obliuionem mihi adducet. Tanta enim uis eſt cruciatus, ut mihi plane memoriam eripuerit. Ac licet ex his malis emergerem, nihilominus iam ipſum ſupplicium contra me cunctorum ora diduxit. Olymp. Ita ore obuoluto gemo, atque lamentor, & artubus contremiſco: cum intelligam, ſi tuum mihi ſeuerum iudicium ſubeundum ſit, neque innocentem, neque a culpa me vacuum uiſum iri. Didymi. Hominis modeſtiam,

ſtiam, & gratæ uoluntatis ſignificationem habent hæc uerba inſi-
Iob c. gnem. Etſi enim dixit; *Scio quia iuſtus apparebo*; nihilominus,
13. quia exploratum, perſuaſumq. habebat, apud Deum, qui æquis cũ-
cta ponderibus examinat, ipſa etiam âſtra eſſe impura, nedum ſe-
ipſum, ideo inquit, Si in me inquirere ſubtiliter uolueris (Deus
enim es) haud me inſontem dimittes. Quando igitur ſum impius,
cur non perij? OLYMP. Aquila autem. Vt quid fruſtra laboro?
Si integrum de mea impietate factum eſt iudicium, an nõ mihi re-
ctius futurum erat, antequam ad impietatem delaberer, interire?
Matt. Tale quid de Iuda noſter Liberator dixit, *Bonum erat ei, ſi natus*
26. *non fuiſſet homo ille*. Idipſum nunc Iobus Deo amicus uſurpat.
Emori me præſtabat, quàm impietatis poſtulari, mortemq. magis
opto, quàm tantis uexari conuicijs, quaſi diuinas leges perfrege-
rim. Cur tandem non perij? Prorſus eſt mihi diuini conſilij ra-
tio ignorata.

Si enim niue lotus fuero, & purgatus manibus mundis, ſatis in ſordibus me tinxiſti: abominata eſt me veſtis.

CHRYSOST. & OLYMP. Mos erat antiquis balneis eluere ſor-
des: illud item in priſcis moribus fuit; ut, cum probare uellent cu-
iuſpiam ſceleris ſocietatem ad ſe haudquaquam pertinere, manus la-
uarent; dicerentq. Innocens ego ſum, & ab hac re integer. Id quod
in Saluatoris noſtri cauſſa fecit Pilatus. Dauid etiam canebat. *Laua-*
Pſ.25 *bo inter innocentes manus meas*. Dicit ergo. Quantalibet mea exti-
terit innocentia, hæ minime obſcuræ conuictiones, hæc peracerba
ſupplicia, ex præiudicata iam opinione impuritatem, labemq. meã
coargunt. Vt iam uel ex ipſa ueſtis meæ contrectatione inquinari
ſe ceteri ſuſpicentur; præſertim cum ob mea non pauca ſcelera hęc
me pati unuſquiſque arbitretur. Hæc amicorum cauſſa loquitur,
culpa ac noxa eum teneri ex ipſis eius calamitatibus comprobantiũ.
CHRYS. Quod uero dicit, eſt eiuſmodi. Videlicet ipſe impietatis
exemplum ſum cunctis propoſitus. Cur igitur non perij? Improbũ
enim oportebat tolli de medio; ne ceteris magiſter eſſet improbi-
tatis. Quamquam, ſi ſole nitidior fuero, ac purior, macula nihilomi-
nus, nec tamen qualibet aſperſus fuero. Verum, qui me pari, ac
ueſtis corpus propinquitate contingunt, oderunt me: ipſum mihi
corpus inuiſum, & execrandum euaſit, hoc enim, *veſtis*. Poteſt etiã
ſic intelligi, *Abominata eſt me ueſtis mea*, uel ipſa me ueſtis quaſi
 incitata

incitata odio fugit; ut pro illo ſit; Nec ob plagarum acerbitatem poſſum amiciri.

Non enim es homo, ſicut ego, cui in iudicio reſpondeam; ut ſimul ueniamus in iudicium. Vtinam eſſet mediator inter nos, & redarguens, & audiens inter utrumque.

OLYMP. Quoniam anticipata ſuppliciorum opinio Iuſti impietatem palam teſtari uidebatur; neque opinionis falſitas ex ijs, quæ oculis hauriebantur, poterat refutari, apud ipſum Deum, qui uerax eſt, & genera perſonarum ignorans, uult iudicio experiri. Illius enim iudicatui in primis confidit, tamquam ſi diceret. Vos amici ex ijs, quę in me incubuerunt, malis, contra me ſententiam pronunciatis. Quòd ſi Deus cauſſæ meæ ius complecti uoluerit, qui nec perſonarum in iudicio intuetur diſcrimina; & ipſa ueritas eſt, nimirum is probabit, haud me ob peccatum ullum his urgeri ſuppliciis. Nec uero aliam eſſe Iuſto mentem, atque ſententiã, atque ob eximiam caritatem erga Deum, magnamq. apud illum libertatem, & ob magnam, quam in Dei ueritate poſitam habebat fiduciam, quòd humana fugiat iudicia: contra uero, a Deo, qui ſine mendacio & errore cuncta pronunciat, iudicari uelit, uel ex eius uerbis, quæ cum Sopharo diſputans dixit, diſce. Diſputationem enim & errantem, & recto iudicio minime progredientem ab amicis auertens, loquitur his uerbis. Verumtamen ego ad Dominum loquar, uidelicet, qui non mentitur; nec perſonas accipit: arguam autem coram eo, ſi uoluerit. Vos enim eſtis medici iniuſti, & ſanatores malorum omnes. Vides, quemadmodum hominũ iudicia fugiat iniqua, & ad iuſtum animorum medicum Deum cõfugiat? Diuini deinceps iudicii æquitate magnopere fretus audet,
ac dicit. *Scio ego, quod iuſtus apparebo:* ruriusq.. *Ecce in cęlis te-* *Iob.c.*
ſtis meus, ^a *cognitor uero meus in altiſsimis.* Audet ubique, ut qui 13.
fallax hominum iudicium uitet: Deum ipſum rogat, ut idem iu- *Iob.c.*
dex, aduerſarius, ac teſtis eſſe uelit. Quantam hæc demum caritatẽ 16.
teſtantur: quantam libertatem; quantam fiduciam. Itaque Deus, qui mentem Iobi penitus perſpectam habebat; & quo ſtudio, animique inductione is loqueretur, cum minime ignoraret de homine, haudquaquam reticuit; immo uero illi aduerſus amicos uictoriam adiudicauit; pronunciauitq. non peccati ullius pœnas ab Iobo fuiſſe perſolutas, uerum, ut illius iuſtitia atque innocentia teſtata eſſet,

a συνίστωρ. cognitor, conſcius teſtis.

eſſet, illa incommoda pertuliſſe. Cum ergo de Iuſti erga Deum caritate haud dubitare poſsimus; quæ deinceps ſcribuntur, huc ſcilicet referre debemus. Neque uero illa nos Pſaltis uerba per-
Pſal. turbent, *Ne intres in iudicium cum ſeruo tuo; quia non iuſtificabitur*
142. *in conſpectu tuo omnis uiuens.* Hoc enim ipſum nequaquam dubitabatur a Iobo, ad ſincerum, ac ſubtile Dei iudicium neminem futurum eſſe innocentem. Neque hoc tempore eſt Iobo propoſitum ad diuini iudicii ſeueram normam cauſſam ſuam dirigere; aut etiam iniuſtitiæ Deum conuincere, quòd pœnas de eo ſumpſerit iniuſtas: Verum hoc tantum pugnat, ut mendaciū, falſitatemq. coarguat amicorum, ob flagitia irrogata illi eſſe ſupplicia arbitrantium. Quapropter & Deus Iobi ſententiæ, ac uoluntati obſecundauit; nec eum propter ſceleris impietatem quidquam eſſe perpeſſum, palam dixit. Quin potius omnis illa tentatio, atque calamitas, ad generoſam eius uirtutem pertentandam, comprobandamq. pertinebat. Sed hunc ſermonibus percelebratum hominem audiamus. *Non enim homo es, ſicut & ego, cui in iudicio reſiſtam, ut ſimul ueniamus in iudicium.* Polychr. Hoc mihi, inquit, euenit, non maleficij cuiuſquam conſcientia ſtimulato: ſed ideo, quòd apud eum mihi dicendum eſt, cum quo nulla mihi eſt naturę communio, nulla par dignitas. Quod utinam ſicut apud homines, ſic apud te, qui iudex es incorruptus, experiundi æqua daretur poteſtas. Et dum ad maiorem aſsilit libertatem orationis, ſequeſtrum quempiam, & interuentorem adeſſe optat in cauſſa; *Vtinam mediator eſſet inter nos, & redarguens; & audiens inter utrumque.* Ipſa conſecutio planam facit hanc omnem orationem. Mea, inquit, mihi nota ſunt. Sed, quoniam amici mei ex iis, quæ me circunſiſtunt, ærumnis haud recte ratiocinantur, ob peccata excruciari me malis; ideo tua ſolius contentus ſum approbatione. Vtinā deligendi arbitri, ac ſequeſtri mihi daretur facultas, qui de re tota pronunciaret; & æquo iure cum utroque ageret; atque eum, qui iniuriam impoſuit, libere coargueret. Hæc, ut iam diximus, eo loquitur Iobus; ut & diuinæ ſe ueritati confidere oſtendat; atque ut falſo ratiocinantes amicos refellat. Iobo enim dicente, nullius tanti admiſsi ſceleris opprimi conſcientia, ut eiuſmodi eſſent illi pœnæ ſufferendæ; Deo item confirmante, non peccati ullius eumdē ſupplicium ſuſtinere. Quid ullius præterea arbitrio compromiſſo ue opus erat? niſi ut arbiter utriuſque ſententiam comprobaret? & amicos mendacii condemnaret? Quod ipſum reipſa Deus deinde perfecit. Deinde quaſi quiſpiam obiiceret. Quamobrem, cum

tua iura protuleris? * respondet. Si mihi Deus poteſtatem facit liberæ orationis, nempe is me cruciatibus liberabit: ſcilicet me timere non ſinet. Impetrata autem ab eo libere dicendi uenia, loquar; & ex animi ſententia loquar, & defenſionis meæ ius perſequar. Quocirca attexit;

Auertat a me uirgam, & timor eius non me [a] *circum agat: & non timebo, ſi loquar.*

Polychr. Ad interuentorem hæc nonnulli referunt: ferme, inquit, me ſequeſter e præſentibus malis eripuit, factusq. eſt uas, ex mea fidenti oratione, nil me laturũ incommodi, ſi de rebus meis ſine trepidatione aliqua diſputaro: incorruptaq. atque integra cõſciẽtia (neque enim cuiuſquam iniuriæ, ac labis mihi conſcius ſum) ſupplicii, animaduerſionisq. cauſſam poſtulato. Verum hæc ipſa alii in Deum conuenire confirmant. Olymp. *Auertat a me uirgam ſuam*, id eſt, tormenta, ſuppliciaq. inferentem manum; nec eius me timor obterat: id enim eſt ϛροβείτω ſtrangulet, circumagat, percellat: fidenter enim loquendi facta poteſtas, ſatis luculentum eſt liberationis malorum argumentum.

Non enim ſic conſcius ſum laborans anima mea.

Olymp. & Evagrii. Ideo hæc dicit, aut quia exprobrabant amici Iobo, quòd pœnas ſcelerum ſuſtineret; aut quia corporis labor, ac morbus ad animum haud arreperet. Quamuis enim illud plagã accepiſſet, contractione tamen animus nequaquã ſuccubuit.

* *Suſpicor aut aliquid deſiderari, aut pro παρατιθεὶς, παρ..τίθης legẽdum eſſe. Quam ob rem tua iura non profers?*

a *ϛροβείτω. circumagat, inuadat: uel, ut paulo poſt interpretatus eſt Olympiod. conterat ſtrãgulet, percellat.*

ADDITIONES IN CAPVT IX.

A *Quomodo enim Iuſtus erit mortalis apud Deum.*

Methodii *Sidæ.*

Fieri inquit, poteſt, ut quis ex reliquorum hominum contentione ſit iuſtus; cum uniuerſitatis autem Domino comparatus non item.

B *Si enim uoluerit iudicari ei &c.*

Methodii. Non enim ceu Tyrannus aliquis iudicat Deus. Verum ei, de quo iudicio decernit, perſuadet: facitq. ut de ſe latæ ſententiæ libens aſſentiatur. Debemus igitur nobis ante oculos Dominum ponere nobiſcum apud Patrem iudicio diſceptantem, dicentem-

Pſal. centemq. *O homo, quæ utilitas in ſanguine meo, dum deſcendo*
29. *in corruptionem?*

Qui facit magna, & ininueſtigabilia. C

METHODII. A quo mutuum ſumpſit Chryſoſtomus. Namque adhuc dixi, haud magna ſunt, cum oculorum obtutum minime fugiant.

Si enim fuero iuſtus, os meum impium erit. D

DIDYMI. Etiam ſi iuſtus eſſem, dicere me iuſtum haud debe-
2.Cor. bam: nec enim de ſe prędicat iuſtus. Huius ſimile eſt illud. *Factus*
c.12. *ſum inſipiens, uos me coegiſtis.* Nam quamuis iuſtus habear, apud ipſum tamen futurus ſim impius.

Gemens dimittam aduerſus me uerba mea. CAPVT X.

POLYCHRONII.

SILENTIO, inquit, egomet ingemiſcam, cum prorſus habeam nullum, cui cauſſam meam probare poſsim. Vide quemadmodum nos antea muniat: nihil ipſum de Deo, quod dignum non ſit, cogitare. Nam uel gemens, uel malis oppreſſus nullũ in Deum iaciã maledictum: ſed in me ipſum deſpicientia uerba conuertam. Idcirco uero id dicit; quoniam prin-
Iob. cipio dixerat. *Pereat dies, in qua natus ſum.* Sane docere uult nihil
cap.3 ſe contra Deum ſecus locutum fuiſſe; ſed illas conſeptas, abiectasq. uoces contra ſeipſum emiſiſſe. Quaſi hæc ſit illius oratio. Aduerſus Deum nihil loquar omnino; abſit. Quòd ſi fuero nõnulla locutus, non illa mea, ſed atrocis calamitatis, atque ægrotationis futura ſint uerba. Ergo nec contra ſe orationem uſurpaturum, ſed philoſophaturũ, ſilentiumq. adamaturum eſſe oſtendit; niſi uim adferret doloris magnitudo; ac niſi amici uerba extorquerent. Nihil uero de Deo dicit abſurdi: quod ipſi ex eius cunctis ſermonibus aperte docuimus: præterquàm quod Deus teſtimonium illi ipſi dedit, cum eũ iuſtum eſſe pronunciauit. Ad huius porro uiri, & ad eorum, quæ per cõtemptum is dixit, defenſionem, illa magnopere ualent; quòd homo erat: quòd ſine ſenſu doloris tormenta perferre non poterat: quòd calamitates mirificæ erant, ac uehementiſsimæ: quòd uirtus ad ſummum perducta: quòd in moribus nihil non ſimplex, nihil captioſum, uel ſubdolum: quòd tamquam filius fidenti apud patrem oratione utebatur; quòd in ſuis ſermonibus uniuerſis nihil

Iobi cauſſa omniſq. eius oratio diligenter uereq. a Polychronio defenſa.

odioſi fuerit de Deo locutus, uerum id dumtaxat contenderit; & iure ſibi mortem optabilem fore, ac falſam de ſe amicorum eſſe opinionem; & quod caput eſt, quòd incorrupto Dei ſuffragio abſolutus ſit, cum iuſtum illum eſſe pronunciauit. *Quòd ſi Deus iuſtificat, quis eſt, qui condemnet?* facer inquit Apoſtolus? *Rom. cap. 8*

A *Loquar oppreſſus amaritudine animæ meæ, & dicam ad Dominum: ne impium me eſſe doceas: & quare me ſic iudicaſti?*

B Ne me deſpice languore confectum: ne forte grauiore aliqua triſtitia obrutus culpam contraham iniuſtitiæ. Quæ quidem perinde loquitur, quaſi diceret, ne me permittas tētari amplius, quàm uires meæ patiantur; Sed mala ſeda illata; nec longius ſupplicium trahas: ne quod fieri poſſet, calamitate perculſus, ad abſurdum quempiam ſermonem delabar; aut ne maiore aliqua contemptione commotus, uocem mittam impietatis. Illud enim, *ne me impium eſſe doceas*, pro eo eſt, impiam a me remoue orationem: neque enim Deus quempiam docet impium eſſe, impieue agere. Illud item. *Cur me ſic iudicaſti*; huic par eſt. Doce, quorum ſcelerum de me ſupplicium ſumas. Illud etiam. *Cur*: non ad expoſcendam rationem, ſed ad optandum, deprecandumq. tantummodo adhibetur.

Aut bonum tibi eſt, ſi a *inique egero.*

a ἐκδικήσω eſt in Cat. Card. Caraf. omnino corrupte: legendum enim eſt ἀδικήσω ex Aug. qui habet inique egero, ex interpret. Olymp. & ex alijs codd.

Tamquam ſi diceret. Haud tibi rectum, gratumq. eſt Domine me ad iniquitatem deduci. Igitur miſerere. Plerique enim ſuas non ferentes ærumnas, ad impia conuicia conuerſi ſunt. Ita Sanctus hic ſua interpoſita perſona pro nobis omnibus Deo ſupplicat: ut eas, quas aduerſus nos permittit, tentationes, uelit eſſe moderatas, ne maiore triſtitia abſorbeamur.

Quia negaſti opera manuum tuarum, ad conſilium autem impiorum attendiſti.

CHRYSOST. Hinc perſpicis non ideo eum uelle iudicium ſubire, quia præclara eius ſint facinora: ſed quia quod mihi hæc calamitas commodum pariat, haud uideo; uereor enim ne obſit potius. Credibile enim eſt ſic cogitare, ac ratiocinari nonnullos: aut te hominibus, quos procreaſti, minime conſulere; aut certe flagitioſorum eſſe apud te multo maxime probabilem condicionem, nec eorum tibi improbata eſſe conſilia. OLYMP. Iterum

cum

eum tamquam effectorem deprecatur: ne ſuum ipſe ſpernat effectum. Sibiq. ſenſim perſuadet ſe permiſſum eſſe diabolo. Hunc enim, & eius comites dæmones, impios fortaſſe dicit: Prouidentiæ autem rationem, cur diabolo ſit in eum data poteſtas, nondum perdiſcere potuit. Atque ea re, quantum ego exiſtimare poſſum, tam uarios ipſe circuitus conficit, conuerſionesq. uerborum: Partim quidem ut malorum impetret liberationem, partim uero, quòd ſupplicij cauſſam diſcupit habere perſpectam.

Aut ſicut mortalis videt, cernis? aut ſicut videt homo adſpicies? aut vita tua humana eſt? aut anni tui viri; quoniam requiſiuiſti iniquitates meas? & peccata mea inueſtigaſti? Scis enim quia non impie egi. Sed quis eſt, qui de manu tua [a] *eruat?*

Olymp. Non ipſe hominum more de rebus iudicium facis, nec tui pauci ſunt anni: ut ea, quæ tibi anteceſſerunt, ignorata eſſe poſſint, aut te de ijs, quæ geſta ſunt, quærere, & exquirere ſit neceſſe, ut intelligas nullo me ſcelere impietatis teneri. Iuliani, & Polychr. An non tibi præſentia, ac futura cognita ſunt? Aut nuper tua natura poteſtasq. orta eſt; ut ad ea cognoſcenda, ob quæ me flagris, & plagis multaſti, opus tibi ſit inquiſitione? Scilicet nõ te perinde, ut homines latere quidpiam poteſt. Quandoquidem non tua ſimiliter, ut eorum perexigua ſunt uitæ ſpacia. Qua demum igitur ratione iniquitatem meam perquiris? peccatumue meum inueſtigas? in quibus nullam hærere impietatem non ignoras? Hæc eo ab eo dicuntur; ut iuſtitiæ ſuæ teſtẽ proferat Deum; ſimulq. ab eo petat, ut eiuſdem bonitate frui ſibi liceat, nec enim ipſe improbitatem hominum imitaris: ut & eorum, qui peccatunt, memineris; & eorum, quæ peccarunt, ſeueram rationem repoſcas. Paria enim exigunt homines. Tu uero Deus, quæ tua eſt benignitas, de multis pauca requiris, qui cum intimos mentis receſſus, & cogitationum latebras introſpicias, illud item præclare tenes, nullius me prolapſionis conſcientia peruelli. Chryſostomi, & Olymp. Nec me illud fugit: omnem a me abeſſe impietatem. Quamquam accidere poteſt: ut cum ipſe aliquid egero, non animaduertam. Quando ergo tu punies, nullius teſtata poterit eſſe innocentia. Tametſi enim uidear, ego cũm mecum ipſe deliberaro, ab impietate abhorrere, conſilium tamẽ tuum uitare nõ poſſum; quamuis nulla me e agitet conſcientia. Ergo tuum uincat conſi-

[a] *Qui de manibus tuis eripiatur dixit Auguſt. ita verbum Græcum ἐξαιρούμενος παθητικῶς eſt interpretatus. Ambroſius, qui de manibus tuis eruatur in lib. 1. de interpel. Iob.*

conſilium, atque ſententia, cui noſtra multo ſunt melius cognita. IVLIANI. Verba ipſa perpendenda ſunt diligentius, nec enim nomen peccati, atque impietatis, rem eamdem declarat. Nam peccatum tum in Deum, tum in hominem admittitur; impietatis ſcelus proprie contra Deum concipitur. Deo enim pius cultus proprie adhibetur, nemoq. eſt homo, qui pietate, ac religioſe coli debeat. Illud autē ſuperior cōficit oratio. Tu viribus, ac poteſtate uales: & eorū, quę ſunt, ſcientiā tenes, & iuſtitiā tibi adeſt. Quis igitur tibi poſsit obſiſtere? Quæ quidē idcirco B. Iobus enunciat, ut in tentationibus nihil a nobis aliud agi doceat oportere, quàm ut ad Deū confugiamus: eumq. qui benignus eſt, obteſtemur, ut ſuo ignoſcat opificio. Quapropter ubi dixit. *Sed quis eſt, qui de manu tua* [1] *eruat?* adiunxit.

[1] Vel eripiatur ex Auguſt.

Manus tuæ plaſmauerunt me, & fecerunt me.

CHRYS. & OLYMP. Licet, inquit, peccatis ſim obnixius: opus nihilominus ſum manuum tuarū. Viden ut opificem ſuum agnoſcat Deum? precibusq. ab eo contendat; ut ſuo ueniā tribuat opificio? DIDYMI. Inter plaſmauiſti, & feciſti eſt conſtitutum diſcrimen. plaſmatum enim eſt corpus formatumq. e ſubiecta terra, ſiue è muliere; facta eſt autem anima, non ex aliqua antea ſubiecta materia, ipſa enim ut expers corporis eſt; ſic & diuiſionis.

Poſtea [2] *mutatus percuſsiſti me.*

[2] Sic omnino apud Auguſt. poſtea mutatus eſt, mutans etiam dici poteſt.

OLYMPIOD. Sed Aquila & Theodotio in circuitu demerſiſti me. Poſtquam me, inquit, feciſti: & in bonorum affluentia collocaſti, ad ærumnas & uerbera rationes meæ defluxerunt. Totum uero, quod dicitur, eſt huiuſmodi. Te uno excepto, qui percuſsiſti, nullus præterea alius hiſce me malis liberarit. CHRYSOSTOMI. Conſecutionis ordine conſeruato, cum eumdem opificij, & prouidentiæ Principem, ac Dominum eſſe non neſciat, ad ſupplicem orationem conuertitur; precaturq. ut humilitatem, & breuitatem recordari uelit humanæ naturæ, quam ipſam, & benignitate adductus principio condidit, & iratus morte multauit.

Recordare quod lutum [3] *finxeris me: in terram autem me rurſus reducis.*

[3] Sic Aug. Ambroſ. feciſti.

CHRYSOST. Quamuis tuo utens imperio me uitæ acerbitatibus implicaris; nihilominus meæ imbecillitatis tibi ueniat in mētem: itemq. meæ ex argilla concretę naturæ: nimirum quod ſpectat ad corpus IVLIANI. Ex his Dei magnanimitatē facit inſignē, tanta es, inquit, benignitate, tantaq. ſapientia, ut e tā fragili materia effeceris animal; atque huic intelligentiā, rationemq. conceſſeris.

An

An non ſicut lac me mulſiſti? Coagulaſti autem me ſicut caſeum? pelle autem & carne me induiſti? Oſſibus autem & neruis [1] *innexuiſti me? vitam, & miſericordiam poſuiſti iuxta me? viſitatio autem tua cuſtodiuit ſpiritum meum.*

[1] ἐνείρας conſuiſti, connexuiſti. Ambroſ. inſeruiſti.

Chrysost. Semen ex quo gignitur animal, tamquam lac dicit exprimi: & quemadmodum expreſſum lac migrat in caſeum; ita, quod inſtillatum, & coactum eſt ſemen, ea euadit natura, cuius prima conſtitutio inchoatus eſt partus. Nam quod in uteri ſulcos ſparſum eſt ſemen; ubi quaſi caſeus congelarit, coactusq. fuerit, fit [a] conceptus, qui deinceps formatur: & ſicut ſcriptura docet, effigiem, characteremq. induit: & quæ natura erat humida, coagmentatur: & quod iactum fuit in uterum, in pellem, carnes, oſſa, neruosq. diſtribuitur, & hæc quidem ipſa ſolitaria. Verum ſimulatque præſens adfuerit anima, uitali cientur motione; ubi illa abſceſſerit, otioſa deſeruntur, atque obtopeſcunt. Nec uitam mihi, inquit, tantummodo impertiius es, quæ opificij certa eſt ſignificatio: Sed miſericordiam etiam tribuiſti; quæ prouidentiam haud obſcure teſtatur. Et quidem in omni uita, tua mihi perfrui licuit prouidentia. Id enim eſt. *Et viſitatio tua cuſtodiuit ſpiritum meum.* Id eſt, poſtquam natus ſum, a tua prouidentia reliquam ſum uitam adeptus. Denique tam hæc, quàm illa ſuperiora huc pertinent: ut [b] conditionis corporis, tum uia, tum armonia perſpicua, & illuſtris fiat uniuerſa. Olymp. *Sicut lac me*, inquit, *mulſiſti*: ſeu ob tenuiſſimam portionem ſumptam e terra: ſeu potius ob ſpermaticam rationem. *coagulaſti autem me*, ideſt tamquam caſeum coagmentaſti me, id quod uel ad primigenię conformationis coagmentationē referri poteſt; uel etiam ad eam, quæ in utero fit, concretionem. Illud uero innexuiſti me neruis, ualet copulaſti, illa autem uerba *vitam, & miſericordiam poſuiſti iuxta me, & viſitatio tua cuſtodiuit ſpiritum meum* hanc ſententiam adferunt. Tua ſolius benignitate, ac miſericordia, cum nuſquam, nihilq eſſemus ipſi; ut eſſemus, ac uiueremus, effeciſti. Tuaq. erga nos prouidentia noſtram conditam tuetur naturam. Polychr. Hoc ei fortaſſe accidit admirabile, quòd in tanto humore fluitans, non intra uterum infans extinguatur. Id autem ne contingat, tua, inquit, erga nos perfecit beneuolentia. Tu enim imperio tuo, naturæ, & ortui preces. Te enim haud miſerante, in utero infans numquam uiueret.

[a] φύσιν hoc loco pro conceptu crediderim vſurpari.

[b] συστάσεως, conſtitutionis, conformationis, procreationis, concretionis.

Id

Id autem ſemper nititur perſuadere, Dei nos munere eſſe procreatos: poſtea morti adiudicatos: nec ea re tamen prorſus eſſe deletos homines: uerum ſucceſsionis perpetuitate immortalitatem aſſecutos, ſummæ item erga unumquemque diuinę eſſe prouidentiæ argumentum, quòd e rudi, contemptaq. materia, cuiuſmodi humanum eſt ſemen, ijs, ut ſint, conceſſum eſt, effectumq. diuinitus; ne intra maternam aluum interirent. Sed potius, ut ex eodem ſemine, tu Deus oſſa coagmentares, atque firmares, medullam teneram redderes; neruos contenderes; uenas inflares; ſanguinem in illas infunderes; carnem emollires; pelle circũduceres; & quaſi quoddam indumentum circumdares. Ergo qui tantam erga me humanitatem declaraſti, tantam prouidentiam, tantam ſapientiam, nunc pro nihilo me putabis?

Hæc habens in me ipſo, ſcio quia omnia potes, nihil autem tibi eſt impoſsibile.

a Eadem eſt horum verborum expoſitio apud Euagrium In Cat. Vincen. Pinelli.

Olymp. [a] Hæc mihi sũt, inquit, certa decreta. Poſſe te id quod numquam fuit, facere, ut ſit, ſcire item, & poſſe fluxam, lacteamq. naturam in humanam conuertere, eſſeq. te miſericordem, uiteq. auctorem: noſtraq. curare diligenter. Poſtremo opificem te eſſe ſapientem, rectorem & iudicẽ, quæ quidem ijs uerbis, uita, miſericordia, uiſitatio, ſignificantur: nec illud dubito facile tibi eſſe hiſce doloribus liberare opificium tuum. Viden quàm religioſe effectoris mentionem faciat? & procreationis gratiam profiteatur? noſtriſq. rebus conſulentem prouidentiam agnoſcat? Quæ ſane hominis ſunt re apſe pietatem colẽtis, uehementerq. grati, atq; eius demum religionis, quæ Beatum Iobum cum primis decet.

Si enim peccauero, [1] obſeruas me, ab iniquitate autem non me innocentem feciſti.

1 Cuſtodis me Auguſt. Ambroſ. cuſtodies me.

Olymp. Tuam, inquit, decet humanitatem; ut aliquam ueniam tuo tribuas opificio, neq; uelis pro tua rerum omnium ſcientia cunctas actiones meas, & peccata acri ſtudio obſeruare. Quæ quidem Sanctus hic iterat humanæ naturæ perſona ſuſcepta, nil te, inquit, latet Domine, uerum, & noſtra, obſeruas opera id enim eſt φυλάσσεις. Ac licet non ſubita in eum, qui peccauit animaduerſione utare, haud eum propterea dimittis inſontem. Polychronii. Sed neque mihi præſto fuit æqua tua clementia; quandoquidem tam ſeuere, tamq. ſubtiliter in mea peccata inquiſieris; ac rerum omnium a me pęnas repetiueris. Didymi. Iure

optimo

optimo hæc loquitur. Nam cum uniuerſitatis Deum eũdem effe- ctorem, prouidentemq. rectorem eſſe intelligeret; certo ordine

Pſ. 7. de illius diſſerit æquanimitate. Id enim ſcit, quod Beatus quoque Dauid docuit, illum non iraſci per ſingulos dies; cuſtodit, ſeruatq. peccantem, non quaſi uelit ipſum peccare, nec enim uult mortem peccatoris, ſed pœnitentiam. Illud uero: *Non innocentem me feciſti*, dixerunt alij, non me tamquam [1] inſontem abſolues [2]: non me purgabis.

Si enim impius fuero, hei mihi: ſi autem fuero iuſtus non poſſum [3] caput erigere.

Olymp. Aquila autem, & iuſtificatus non tollam caput: ſententia autem eſt huiuſmodi, ſiue inquit impius fuero, hoc mihi ſummo uidelicet erit malo: ſiue me eſſe iuſtum dicere auſus fuero, nulla ex ea re ad me perueniet utilitas. Sed tamen ob mala, morboſq. meos æſtuo, animiq. pendeo; nam tametſi nullius mihi rei ſum ipſe conſcius, me nihilominus calamitatum refellit atrocitas; quæ me nec * abnuere, nec oculos ſinit erigere. Didymi. [a] Fortaſſe tale quidpiam dicit, ſiue conſulto peccauero, *hei mihi*: ſiue tamquam ex Adæ præuaricatione, & ex debito ad nos ſucceſſione deriuato, neque ſic mihi tollendi oculos erit poteſtas: perinde quaſi ab omni ſim labe integer. Nam peccata quædam ex animi noſtri electione exiſtunt, quæ ſupplicium commitatur, partim e parentibus trahuntur, quibus purgatio debetur.

Plenus enim ſum opprobrio: capior autem ſicut leo ad occiſionem.

Olymp. Illud unum, inquit, noui meum diffuſum eſſe dedecus, meque tamquam leonem captari ad necem. Ita undique ſuppliciorum telis configor. Videtur autem ſe ipſe leoni comparaſſe ob prioris ſtatus felicitatem, atque opulentiam; præcipuum enim & imperioſum animal eſt leo. Polychr. Apertius Hebræus. Si robuſtus fuero ſicut leo, opprimis me. Ego, inquit, qui tauri, leoniſq. robur præ me ferebam, cum illuſtri gloria, atque opibus abũdarem, ita me nunc quaſi in retia indui: ut ſolutionem nullam malorum reperiam.

Rurſus autem [4] commutatus, grauiter me [5] diſcrucias.

Aquila autem, & Theodotio. Et conuerſus mirificam uim edidiſti in

1 οὐκ ἀθωώσεις με.
2 οὐ καθαρίσεις με.
3 ἀνακύψαι oculos tollere, caput erigere, Aug. reſpirare, fortaſſe legendum eſſet reſpicere apud Aug.
* ἀνανεῦσαι utrumq; hoc uerbum ſignificat.
a *Preclarum Didymi teſtimonium ad originale peccatum probandum.* Τῶν γὰρ ἁμαρτημάτων τὰ μὲν ἐκ προαιρέσεως τῆς ἡμετέρας ὑφίσταται: οἷς καὶ κόλασις ἕπεται: τὰ δὲ ἐκ τῶν γονέων, οἷς καὶ καθάρσεως χρεωστεῖται.
4 ὀλέκεις perdis, excrucias, euertis.
5 Commutatus dixit Augu. ſed commutans legit, uel potius intellexit Polychronius; quare in expoſitione Aquilæ a ſenſu Polychronii cõuertens dicendũ erat ἐπιστρέψας Ambr. transmutatus.

ſti in me. Verſus autem huius hæc uis eſt. Robur, & poteſtatem leonis antea obtinebam, nunc præter omnium opinionem, facta cóuerſione, commutata eſt omnis illa felicitas, fortitudo, & gloria occidit, nam poſtquam breui ſpacio illam prioris ſtatus mei iucunditatem circumſcripſiſti, in ſummam ęrumnam me conieciſti, a ſuperiore felicitate ad ignominiam demigrantem, & ab acerbis ad acerbiora traductum.

Et inſtauras in me ſupplicium meum.

Olymp. Haud quidquam ipſę calamitates remittunt: ſed multo uehementius corroborantur: & malum uſque innouatur. Ac ſi diceret, Varijs ſum circumuentus ærumnis: nec ſolum eorum ſum ſimilis, qui priores excruciati ſunt malis; uerum etiam eos imitor, qui iterum, ac ſæpius diuerſa ſupplicia pœnasq́. ſubierunt. Polychr. Ad quæſtionem me aſsidue abripis peccatorum meorum, partim quidem plagis, & uerberibus numquam intermittentibus adhibitis, partim uero mearum calamitatum appoſitis accuſatoribus, impietaté mihi exprobrãtibus, pęnasq́. a me repetẽtibus.

Ira autem magna in me es uſus.

Id eſt graui me pœna multaſti. Olymp. Itam enim ipſum ſupplicium dicit, ei uehementer illatum, uitamq́. magnopere laborioſam; nec enim hic ira pro perturbatione ſumitur. Et hic rurſus moleſtiarum, ærumnarumq́. indicat magnitudinem.

Induxiſti autem ſuper me tentationes.*

* πειρατήρια cætus, & agmina malorum, hoſtiũ aduerſariorum. Amb. Tentationes.

Polychr. Id eſt, cunctis me ad malorum perpeſsionem dediſti. Olymp. Pirateria enim mala ipſa appellat, quæ in eum expeditionem, irruptionemq́. fecerunt, hæc uero precationem, religioſamq́. mentem habent, cum iuſta quadam conqueſtione, fletuq́. coniunctam.

Quare igitur de uentre eduxiſti me? & non mortuus ſum? oculus autem me non uideret: & factus eſſem, quaſi non fuiſſem. Quare autem de uentre ad monumentum non translatus ſum?

Olymp. Hæc eadem poſt dixit Eccleſiaſtes, cum præ uiuo mortuum prædicauit: & eum, qui non fuit, prætulit utrique. Verum enim in hanc doloribus confertam incidimus uitam: quia coram Deo minime perſeuerauimus; neque illius iuſſa ſeruauimus. Beatus autem Iob, non propter dolores ſolum mortem optabat: ſed mul- *Eccl. c. 4.*

to

to maxime; quia temporis ei longinquitas, ærumnæq. diuturnitas ſuſpicionem mouebat, ne plane eſſet a Deo derelictus: nam in prima ſua oratione item paria uſurpauit: quæ ipſa hoc loco inculcat; ut planum faciat omni ſe reprehenſione, & blaſphemia uacare; cū a morte cruciamẽtorum cupit liberationem impetrare. POLYCHR. Dicit igitur, ſi in eum huiuſmodi mala debebant incurrere, rectius illi futurum, aut numquam uitæ primordia attigiſſe; aut in lucem editum, continuo ad ſepulchrum delatum eſſe. Licet enim, inquit, recte factorum mercedem nullam tuliſſem, nihilominus tantis cruciatibus minime dilaniaret. DIDYMI. Ac uide quemadmodum tentationum, quæ in ipſum incubuerunt uſurpata memoria, ad principem malorum omnium cauſſam ſe referat, id eſt, ad præuaricationem, & eam, quæ ex corruptione eſt, natiuitatem; neque is aliquando eſt de prima hominis inſtitutione miſere conqueſtus. Cur autem ſit uitæ huius corruptionem expertus, in utero ac uentre cauſſam conſiſtere putat. Etenim propter præuaricationem nos ipſi ærumnoſæ huic uitæ conciliati ſumus.

An non exiguum eſt tempus uitæ meæ?

OLYMP. Rurſus uitæ breuitatem ad ſupplicationem adfert; cupitq. ex ipſorum cruciatuum remiſsione ſibi eſſe exploratum, iam ſe Deo uti placato. Cum enim nondum tentationum cauſſas teneret, merito flocifacit, & perturbatur. Quis enim, inquit, ignorat homines, quibus exiguum eſt uitæ curriculum circumſcriptum, acerbum ſibi putare, ſi miſeria affligentur?

D *Sine me reſpirare paululum, antequam abeam, unde non reuertar.*

a Precationis hæc ſpeciem habent. Haud puſillę ſunt ipſę moleſtiæ, neque is dolorum ſenſum amiſerat; neque enim uir fortis fuiſſet, ſi non ſenſiſſet; Docetq. diuina poteſtate, ac nutu illa ſe eſſe perpeſſum, quare plenam grati animi huiuſmodi adhibet ſupplicationem. Moleſtiarum, ac dolorum mihi præbe inducias, homini uidelicet, cuius perexiguum eſt uitæ ſpatium, cui ad perpetuum eſt migrandum interitum, hoc enim declarat * *antequam abeam, unde non reuertar*. Dogma etiam tradit præclariſsimum. Qui ſemel ex hac uita migrauit, ad illam ipſam non amplius ei futurū reditum: quem tamen fictis fabulis prodiderunt ij, qui monſtroſas quaſdam animorum in corpora migrationes finxerunt. Deinceps inferni mala commemorat; ut intelligamus e quibus nos liberator

a Priores uerſus huius expoſitionis extant apud Didy. in Cat. Pin.

* Sed audi. Aug. in lib. Annot. in Iob. Vult autem requieſcere antequam eat in pœnas æternas; ad hoc utiq; ut non eat. Quemadmodum ſi dicamus alicui. Corrige te antequam damneris, non enim cū ſe correxerit damnabitur.

CHRI-

Christvs eripuerit:*cum iis,qui erant in uinclis dixit egredimini: & iis,qui erant in tenebris retegimini*, & adiungit. *Iſaiæ. c.49.*

In Terram tenebroſam, & caliginoſam: in terram tenebrarum ſempiternarum.

Polychr. Symmachus autem;opertam morte. Hebræus uero, in terram tenebricoſam ſupra tenebras. Vbi nulla eſt inquit remiſſio: ſed malum nullum habens exitum, & ad mortis quidẽ grauitatem declarandam comparatione eſt uſus. Hic enim, cum quiſpiam fuerit in noctem coniectus, diei aduentu liberationem expectat; ei uero,qui illo abit, haud eſt integrum amplius in uitã redire. Ita in collatione perſeuerans addit.

E *Vbi non eſt ſplendor,neque uidere uitam mortalium.*

Quod eſt pro illo.Vbi nullus eſt Solis ordo, nullus ſiderum ceterorum, ubi nullum licet rerum humanarum ſtatum intueri:nulla,inquam,præclara lege,atque ordine inſtitutã politiam. Olymp. Hæc loquitur ueritus, ne forte, ſi, cum cruciatibus, & tormentis uitam dimiſerit,a diuino adſpectu ſit ablegandus omnino; atque cum impiis in inferno numerãdus:qui quidem,ut Saluator,inquit, tenebras habitant ſempiternas. Cum enim ſit Deus ſuapte natura lux, qui longius ab eius facie extruduntur, nimirum uerſantur in tenebris.

ADDITIONES IN CAPVT X.

A *Loquar oppreſſus amaritudine anima mea.*

Polychronii.

Silentio ingemiſcam: quandoquidem nulli cauſſam meam probare poſſum.

B *Cur me ita iudicaſti?*

Horum uerborum pleniorem interpretationem facit Olymp. in Catena Vincentii Pinelli: illius enim hic eſt Commentarius. Illud, *Cur*, quod ſæpe iam diximus, non cauſſæ rationem aliquam, ſed optationem ſolum indicat: ut eius ſint uerba eiuſmodi,Nec rectum,nec gratum tibi eſt Domine me ad iniuſtitiam labi: me igitur miſerare. Plerique enim ſæpe numero calamitatis impetũ non ferentes, deſperationis ſunt fluctibus obruti. Videturq. eorum uerbo-

uerborum, quæ aliam quandam ob cauſſam uſurpauit. Dauid, ſen-
Pſal. tentiam imitatur eſſe cum diceret. *Quia non dimittet Dominus Vir-*
124. *gam peccatorum ſuper ſortem iuſtorum, vt non extendant iuſti in ini-*
quitatibus manus ſuas. Ac uide quemadmodum tale quid animo
2.*Cor.* agitans Apoſtolus dixerit. *Confirmate in eum Caritatem, vt non ob*
c. 2. *maiorem triſtitiam abſorbeatur, qui talis eſt*. Deinde ſubgiungit, *vt*
non rapiamur a Satana.

C *Si iuſtus ſum, non poſſum caput erigere.*

POLYCHR. Si ab iniuſtitia abſim, potiundi boni, nulla, ut apparet, mihi datur poteſtas: ipſa enim mala cauſſam mihi adferunt dubitandi.

D *Antequam vadam, vnde non reuertar.*

DIDYMI. Cum doloribus uir fortiſsimus torqueretur, de rebus futuris concionatur: neque tamen ijs uerbis, *antequam vadam, vnde non reuertar*, ad tollendam reſurrectionem eſt uſus.

E *Vbi non eſt lumen, nec videre vitam mortalium.*

POLYCHR. Pro eo eſt, ubi nec Solis, nec ceterorum ſiderum ullus eſt ordo: Vbi ſtatus rerum humanarum nulla moderatio. non legum, non uitæ ciuilis ulla temperatio.

PROTHEORIA CAPITIS OCTAVI.

POSTQVAM longiorem Iobus diſputationem pertexuit: Sopharus acrius præliatur. Ac principio verborum copiam, qua vſus eſt Sanctus, inſectatur. Deinde eum accuſat: quòd ſe ipſum culpa, ac reprehenſione vacare confirmarit. Cum vero eius mentis ignarus eſſet Sopharus, qua a Deo Iobus iudicari volebat: Idcirco ait. Vtinam tibi Deus ius reſponderet: illius enim ſapientia, poteſtasq́; faceret, vt intelligeres, cum te pœna coercuit, eum pro dignitate tibi repoſuiſſe. Tum Dei poteſtate, hominisq́; humilitate oſtenſa, Iobo ſuadet; vt animum ad precationem conuertat: eumq́; præteritorum criminum pœniteat: ſic enim fieri poſſe, vt ab ſe placato Deo, & præſentibus malis liberetur, & ſuperiorem reuocet felicitatem.

CAPVT XI. *Suſcipiens autem Sophar Minæus dicit. Qui multa loquitur, viciſsim audiet.*

SYMMACHVS autem, numquid multilocus refutari non poterit? OLYMPIOD. Similiter ut alij, atque adeo uehementius Sopharus in Iobum inuehitur. Quæ enim eſſet animi affectio & conſtitutio, qua erga Deum Iuſtus utebatur, cum loqueretur; peræque ignorabant. Ita cum Dei ſe cauſſæ ſubuenire arbitrarentur, ſcilicet diuina, in quam incurrerunt, eos latuit offenſio. POLYCH. Sed quænam Sopharus adfert? Verborum, inquit, turba credis te obtinuiſſe uictoriam? Quaſi uero nobis orationis tuæ profluentiam admirantibus, hic ſilentio ſedendum ſit. Sic igitur habeto, me ad reſpondendum, tuamq. orationem refellendam accedere. Tu uero audi: nam qui linguam habet ad loquendum: hic quoque adeptus eſt aures ad audiendum.

Aut etiam eloquens putat ſe iuſtum eſſe.

OLYMP. Haud uerborum copia frugi hominis æſtimatur ingenium: neque idcirco quiſpiam fuerit iuſtus, quia cum ſuauitate quadam oris, & uerborum concinnitate fundat orationem: nam acres etiam, uolubilesq. ſermones confutari poſſunt. POLYCHR. At ipſe, ut apparet, uerborum abundantia exiſtimas, ad ſortem, ac numerum te adſpirare Iuſtorum. Sed tamen ſcito, nil te uiro forti, & conſtante dignum, nihil, quod infirmari non poſsit, attuliſſe. Nec enim, quia dicendo uales, continuo iuſtus fueris.

A *Benedictus filius mulieris* [1] *abbreuiatus.*

OLYMP. Is enim qui cito decedit, id boni conſequitur: quòd ea, quæ ſunt acerba in uita, partim non uidet: partim non experitur: nec etiam multa peccat. Hoc uero dicit, aut Iobi os obſtruēs, Iuſtitiæ ſibi laudem adſciſcentis; aut communem uitam miſeratus; quę tot hauriat calamitates, ac dolores. Quare cum prædicat beatum, qui non diu in ea permanſerit.

[1] ὀλιγούμενος, ſed in Cat. Pinelli eſt ὀλιγόβιος, id eſt vitæ breuis.

B *Ne multus ſis in verbis: non enim eſt, qui tibi reſpondeat.*

Non quia ipſi, aut non poſsumus, aut nolumus tibi contraria oratione repugnare, idcirco ad uerborum redūdantiam confugere debes: tuasq. laudes importune, & contra quam decet, efferre; nec enim

enim magis es nobis laudandus, quàm accuſandus: præſertim cum iſta ratione tuas laudes uſurparis, dixeriſq. ſine cauſſa, & fruſtra te uerberibus multatum eſſe. Quod ipſum dicis uidelicet, quia nemo eſt, qui te rubore ſuffundat. OLYMP. Quoniam Iobus Deum ſibi Iudicem in cauſſa depopoſcerat: hoc nunc fortaſſe ait Sopharus, ne ſtulté nugare: nec enim Deum habebis, qui tibi reſpôdeat.

C *Nec enim dicas; quia mundus ſum operibus: & irreprehenſibilis coram eo.*

Iob c. 9. CRHYSOST. Atqui ille ipſe dixit. *In veritate ſcio, quia non eſt mortalis mundus coram Domino.* Viden quemadmodum ei obiectent repugnantia? POLYCHRONII. Omni eſt, inquit, accuſatione perquam dignum; & uelle ſuas actiones cum Dei rationibus conferre; & tibi ipſi ſummæ Iuſtitię teſtimonium dare. Sane certe, niſi peccatis eſſes obnoxius, iſtas uitaſſes ærumnas. Hæc uero illi loquuntur, quòd exiſtimant huius uiri innocentiæ confeſſionem, diuinæ prouidentiæ eſſe refutatiônem.

D *Sed quomodo Deus loquetur ad te? & aperiet la-*
E *bia ſua tecum? Deinde annunciabit tibi virtutem ſa-*
F *pientiæ. Quia duplex erit ei, qui eſt ſicut tu. Et tunc cognoſces, quia euenerunt tibi a Domino digna ijs, quæ peccaſti.*

OLYMPIOD. & POLYCHR. Vtinam fieri, inquit, poſſet, ut tecum Deus haberet ſermones: arcanaſq. ſapientiæ ſuæ rationes tibi uerbis demonſtraret. Id enim ualet, & annunciabit tibi. Illius enim ſapientia, & Iuſtitiæ excellentia perſpecta, haud amplius illud dicere auderes: *Quia mundus ſum, & irreprehenſibilis.* Immo uero intelligeres paria tibi Deum rependiſſe; cum eſt tua peccata dignis ſupplicijs perſecutus: illa autem uerba. *Quia duplex eſt ei, qui eſt ſicut tu:* hanc habent uim. Ei, qui quemadmodum tu, ſuam iactat ſapientiam, atque iuſtitiam, multis Deus partibus antecellit. Ergo ſi nobis ſapientior, & iuſtior is eſt: ſapienter, ac iuſte te pœna affecit. Id nimirum cognoſceres: ſi tecum Dominus loqueretur, teque pro ſua ſapientia erudiret. Tunc enim ſi eius ſapientia doctus, uel in iſtis ipſis acerbitatibus intelligeres non ulciſcendo, ſed animæ medendo, has tibi calamitates Deum importauiſſe; paullo fuiſſes profecto modeſtior: cumq. inter te, & Deum quantum interſit, uidiſſes, teque maiora quàm naturæ tuæ ferat côdicio, auſum eſ- *Horum verborum commentarius partim ſententijs Didymi, partim Polychronij conſtat: Notum ex Catena Vinc. Pinelli.*

ſe, quando Dominum ipſum Iudicem delegiſti; nimirum cum is ſis, qui eorum, quæ ab eo geruntur rationes nequeas habere perceptas; ſupercilium contraxiſſes: diuinæq. ſapientiæ, & poteſtatis magnitudine animaduerſa, dignas te tuis flagitijs ſuſcepiſſe pœnas faterere.

An veſtigium Domini inuenies? an ad extrema perueniſti, quæ fecit omnipotens?

Olympiod. Haud ipſe, quæ Dei ſunt, conſequi potes: illius prouidentię rationes & uiæ, inueniri non poſſunt; nec conſiliorũ, effectorumue eius fines aſſequi poſſumus. Polychr. Minime uero dixerim; principium ac finem, quem is propoſitum habet, aliquando tibi fore reperta. Extrema enim dicit ipſa euenta; quorum ne dixeris non poſſe te reperire principium, exitum poſſe. Id enim quod ad Deum pertinet, cum ſit ſempiternum, nec ullis temporis ſpatijs circumſcriptum, intelligentia nequit comprehendi.

Sublime enim eſt cœlum: & quid facies? profundiora autem quæ ſunt in inferno; Quid cognouiſti? aut longiora menſura terræ, aut latitudine maris.

Olymp. & Polychr. Qui, cęli, inquit, quanta ſit ſublimitas, aſſequi poſsis? Id enim ſignificat, & quid facies, ideſt inuenire non poteris: nec item illa reperies, quæ ſubter infernum latent. Quid dico ea, quæ ſupra cœlum ſublata ſunt? & infra terram depreſſa? Vtrum quanta ſit maris latitudo; quantaue ſit terræ menſura; aut quemadmodum hoc ſe ſe habeat, & quo innitatur ſubſellio noſtri? Profecto nullam harum rerum ſcientiam inſolenter tibi ipſi arrogaueris. Si igitur quæ cernuntur, & quæ fiunt a Deo, noſtram pręteruolant intelligentiam: & quę nam ſit terræ, mariſq. dimenſio, explicari non poteſt; an non ſummę fuerit audacię in Deum ipſum linguam porrigere? Didymi. Huc ab eo iſthæc omnia referuntur: ut intelligatur certum quemdam eſſe modum humanę ſciẽtię, nec eam poſſe ad Dei iudicia accedere. En, inquit, Cœlum adeſt, & inferni profunditas, & terrę longitudo, & maris latitudo; de his dic aliquid, ſi potes. Illud etiam tacitus fortaſſe indicat: quamuis de cœlo, de terra, de mari dicere aliquis conatus ſit, ea nihilominus, quæ ultra ſunt, ignoraturum.

Si autem euerterit omnia, quis dicet ei, quid feciſti?

Vult oſtendere incomprehenſam eius eſſe naturam, nec compre-

pre-

prehenſibilem eſſe rationem, quemadmodum rebus ſingulis prouideat. Quòd ſi cuncta delere uoluerit, quis eius nutibus, tantæq. poteſtati repugnarit? & id quidem rectè ab eo dicitur, & ei, quod

Rom. c.9. propoſitum eſt, conuenienter. *Voluntati enim Dei quis reſiſtet?* Huius ſimile eſt illud. *Numquid dicet figmentum ei, qui finxit ſe; quid me feciſti ſic?* Vbi uero dixit. Si cuncta exciderit, quis contradixerit? ne id quoque dicere uideretur, etiam te ipſum ſua poteſtate uſus multauit, addit protinus.

Ipſe enim nouit opera iniquorum. Videns autem abſurda, non contemnet.

Polychr. Hęc, inquit, facit, poſtquam uniuſcuiuſq; actiones, & eorum, quę gerũtur, cauſſam perſpexit. Nec uero, aut rerum humanarum diſquiſitionem prętermittit: aut ſontem impunitum dimittit. Ergo cum potens, ſapiens & iuſtus is ſit, te peccantem nequaquam pręterijt, ſed puniuit. Certumq. eſt, Iobi cauſſa Sopharũ dixiſſe, ſi euerterit. Cumq; docet Deum uitari non poſſe, adiunxit; hominum facta ab eo perſpici, atque errata minime ſperni.

Homo autem fruſtra natat verbis: mortalis autem natus de muliere, eſt ſicut aſinus ſolitarius.

Didymi. Diuinæ notitię firmitatem, conſtantemq. ueritatem cum hominum conatibus, ac notionibus comparat; illoſq. ſtulte natare confirmat. Cum nequeant uniuerſam Dei cognitionem ratiocinatione complecti. Aſinum autem ſolitarium produxit ad miram hominum tarditatem declarandam: dum ij ad diuinorum iudiciorum notitiam nituntur; in quo hyperbolica uſus eſt oratione. Olymp. & Polych. Aut certe ab aſino ſolitario ſimile duxit: propterea quod intractatum eſt illud animal; cuiuſmodi Iobũ eſſe innuit in diuinis rationibus diiudicandis. Tantus eſt enim, taliſq. Deus; & quæ ad illum pertinent ſunt eiuſmodi; ut uel cogitatio illa ipſa reformidet. Homines autem fruſtra, ac temere nugantur: qui ſi ad diuinam ſapientiam, atque præſtantiam fuerint adnixi, humili naturæ ipſorum conditione haud ſint aſino ſolitudinis meliores. In diuinis porro ſtultè, ac temere * hallucinantur. cum Dei natura alienas habent opiniones, nihilq. a pecoribus diſcrepant; quæ ea ſolum, quæ ante pedes uerſantur, contuentur, nihil præterea. Aſinumq. imitantur ſolitarium: qui nullius certæ uiæ exitum tenet, quòd loca non peruia obambulat; nec poteſt

* τὴν ἄλως habet. Cat. omnino corrupte, reſtitui, puto ſic oportere τὴν ἀλλως πλανῶνται.

ſolitudinis terminum inuenire: quemadmodum nec maris poteſt is, qui natat. Vt ſi diceret, non tamquam rationis compotes ex ijs, quę cernuntur, ſapientiam, poteſtatemq. Dei cognoſcunt, ſed pecudum more in hiſce rebus uolutantur: nec quidquam, quod ea natura, in qua inſidet ratio, dignum ſit, agitant animo.

Si enim tu mundum poſuiſti cor tuum, tolles manus tuas ad eum. Si iniquum aliquid eſt in manibus tuis, longe fac illud a te. iniuſtitia autem in domicilio tuo non habitet.

Olympiod. Symmachus autem pro *tolles* dixit explicabis ad eum palmas tuas. Noſtrorum temporum uidelicet ſolet eſſe ratio commutata. Et ſententia quidem eſt huiuſmodi. Si quid mihi credis, inquit, optima ſuadenti: cor tuum purga; & quæ nefarie geſsiſti, repudiatis, mente ad Deum accede integra, & paſsis in precatione manibus Deum obſecra: finem peccandi facito: nullo te poſthac flagitio, nullaue iniuria obſtringito. Quod ſi contigerit te peccati primordia attigiſſe; ſaltem uitium ipſum in tua uita ne hæreat. Si enim hac ratione placatum effeceris Deum, atque a labe integer in omni uita uidebere: nimirum hæc illaue (quæ deinceps dicturus eſt) haud deſiderabis. Deniq; ab hoc ærumnoſo, miſeroq. ſtatu ad priorem illum florentem, atque beatum remigrabis.

Sic enim reſplendeſcet facies tua, ſicut aqua munda.

Polychr. Similitudine meliorem hanc rerum illius conuerſionem illuſtrat. Quemadmodum, inquit, qui corporis ſordes eluunt, ſuperioris faſtidij ueſtigium nullum retinent. Sic ipſe morum ratione immutata, Prouidentia Dei in poſterum bonis omnibus circumflues; ſic prorſus, ut præſentis ærumnæ nullum extet monumentum. Illud igitur *ſicut aqua munda*, aut hanc habet interpretationem; tamquam eſſes a nitidiſsima aqua perpurgatus, ſic conſpicuus, & cuiuſuis maculæ expers eris: aut hoc etiam declarat. Quemadmodum in aqua nitori priſtino reſtituta nequidquam concretionis apparet: ita poſtquam florentem rerum ſtatum recuperaris, nihil turbidi, nihil moleſti remanebit. Illud autem, *reſplendebit facies tua*: Similiter dictum eſt, ut ſi dixiſſet. Plane alius uideberis; non ſecus quàm ipſa aqua, quę commota & turbida, poſtquam deſederit, non eadem uidetur. Mundum [a] igitur

[a] Quæ ſequitur puto eſſe Olympiodori.

tur dupliciter dicitur. Nam & quod munditiam adfert ceteris rebus, & quod eam ſibi habet, hoc appellatur nomine. Itemq. caſtum tum id dicitur, quod caſtimoniam habet; tum id, quod caſtimoniam alijs impartiiur. Ita timor Domini dicitur caſtus, id eſt, caſtum efficiens. Ergo hoc item loco aqua uocatur munda, ſiue quæ res purgat contaminatas, ſiue quæ perſpicua eſt, & carens ſordibus.

Exſues autem ſordes, & non timebis.

POLYCHR. Quoniam Iobus dixerat. *Satis in ſordibus tinxiſti me*. Ad hoc nunc reſpondet Sopharus. Iſtas, inquit, ſordes, iſtam inquam ærumnoſam condicionem abijcies; nec quidquam eiuſmodi in poſterum formidabis.

Et laboris obliuiſceris, ſicut fluctus, qui præterijt: & non adijcies.

OLYMPIOD. Verum nec ullum tibi laborum ueſtigium extabit: miſeriarum nulla memoria; non aliter ac fluctus, qui ubi deſijt, nullum ueſtigium facit. Viues uitam reliquam exploratam a metu, omnibus pacatis malis, Perinde enim poſt infortunium felicitas, ut poſt tempeſtatem iucunda ſolet eſſe tranquillitas.

Oratio autem tua ſicut lucifer.

POLYCHR. Ideſt, pura, efficax, animum tuum illuſtrans, malorum tenebras pellens, illuſtris, & clara, uidelicet uitæ nuncia.

De meridie autem erit tibi uita.

POLYCHR. Aut hoc dicit fore: ut illius uita meridianam Solis lucem imitetur; aut certe meridici nomen transfert ad ipſam calamitatem: eſt enim meridies lumen Solis exurens. Vt igitur doceat, illi in calamitate uerſanti diuinā opem adfuturam, meridiei, id eſt, uehementioris æſtus mentionem facit, dicitq. eius præſenti calamitati Dei opem orituram. * Vel etiam, quia meridie, cum Sol noſtro capiti imminet, nulla, nec aduerſa nobis, nec auerſa gignitur umbra; dicit, quandoquidem nunc res tuæ in media ſunt libra; atque in nouaculæ acie conſtitutæ, ex hoc ipſo tuo præcipiti ſtatu uita tua ſplendeſcet, ſi modo te ad frugem bonam receperis.

* Etenim cū meridiani Solis directis radijs corpus aliquod opacum attingitur, quia omnes eius partes colluſtrātur, nequit umbram ullam mittere. Quare Ptolom. in 2. Almag. c. 6. ſcripſit, quū Sol eſt in vertice, tunc ſolū in meridie gnomones nullam umbrā reddere poſſe. eſtq. apud Theonem Ptolomei interpretē, his uerbis. συμβαίνει ϗ τοὺς γνώμονας ἀσκίους γίνεσθαι κατ᾽ αὐτὴν τὴν μεσημβρίαν.

Confidens etiam eris, quia eſt tibi ſpes.

Nec non poſthac inquit confides: quippe cui ſpes erit in Deo collocata, qui tibi opitulabitur. Aquila in ſpe dormies, extulit, ut quietem a metu uacuam ſignificaret.

Ex ſolicitudine autem, & cura iterum apparebit tibi pax.

Curas, quæ nunc angorem, & dolorem acerbum habent adiunctum, genus quoddam uitæ tranquillum, peccatumq. conſequetur. Nam ea, quæ Dei cauſſa ſuſcipitur cura, omni anxietate, atque ſolicitudine uacat. De rebus igitur ad pietatem pertinentibus laborandum eſt.

Quieſces autem, & non erit qui tibi bellum faciat.

Polychr. Hæc, inquit, ſi feceris; pietatisq. ſtudioſus peccare ceſſaueris; nec per iniuriam rem familiarem amplificaris, nimirum in maxima rerum abundantia hoſtium irruptionem non amplius formidabis: immo uero pace tanta frueris, ut reliquum uitæ tempus nullo ſit unquam bello laceſſendum.

Mutati autem multi te obſecrabunt: ſalus autem ipſos deficiet. Spes enim eorum perditio. Oculi autem impiorum liqueſient.

Polychr. Qui te hoc tempore ob caſus tuos aduerſos contemnunt, & acrius inſectantur; deinde cum eos diuina ſalus deſeruerit; nec ulla ijs ſpes reliqua fuerit, te obteſtabuntur. Tunc profecto eorum oculi in tuæ felicitatis adſpectu inuidia contabeſcent. Ex his uerbis intelligimus, ceteris ſepoſitis malis, quibus Iobum exercuit Diabolus, ab eo quoſdam etiam immiſſos eſſe homines, qui Iobi calamitates riderent, & exagitarent: & hi quidem, inquit, poſtea affecti ærumnis, ſedulo ad tuam confugient opem. Sed neque ea, quæ concupierunt, conſequentur; ſed ſpes eorum inanes interibunt. Neque enim fieri poteſt; ut facinoroſi ſint rerum ſuarum benegerentes. Verum enim cum rebus aduerſis grauiter fuerint cōflictati, ſpe profligandæ calamitatis concepta, prius extinguuntur, quàm bonum aliquod adipiſcantur. Itaque hoc loco genus quoddam improbum hominum, de huius calamitoſi meliore ſtatu merentium quaſi nutu indicat Sopharus; de quibus pronunciat fore, ut occidant ſpe mala deiecti: tuaſq. res intuentes ſecundas inuidia extabeſcant. Aut ex Theodotione. Oculi eorum deficient, id eſt, nimio obtutu, & noui iterum infortunij exſpectatione, futuram felicitatem, dum ferre non poterunt tuam, oblangueſcent: Quæ quidem, ſi cuipiam alij, qui ſuorum ſcelerum pœnas ſuſtineret, dicerentur, ſane commode dicerentur; neque Iobi amicorum ſermones

nes repudiandi eſſent ; ſi cum quodam alio, & ea, quæ opus eſt, adhibita diſtinctione haberentur. Nunc uero Iuſtus dolore angitur præcipuo, quòd cum nullius culpæ conſcientia prematur, nihilominus quaſi impius eſſet, ſic ad pœnitendum ſuaſionibus inflammetur.

ADDITIONES IN CAP. XI.

A *Benedictus filius mulieris, cuius eſt breuis uita.*

IVLIANI.

PROPTER eas, quæ incidunt ærumnas.

B *Ne multus ſis in uerbis.*

POLYCHR. Hæc ipſa ſecum reputans, quieſce: nec enim es nobis laudandus magis, quàm accuſandus, qui ſis tuarũ laudũ præco.

C *Ne dicas, quia mundus ſum operibus, & irreprehenſibilis coram ipſo.*

DIDYMI. Idcirco adhortatur, quòd putat Sopharus diuinam contemni Prouidentiam; cum ſe labe, & querela uacare Iobus confitetur. Hac enim ſunt amici opinione imbuti, ob delicta Iobum illorum malorum ſubire tempeſtatem.

D *Sed quomodo Dominus loquetur ad te? & aperiet labia ſua tecum?*

DIDYMI. Noli exiſtimare Deum humano more, aut loqui, aut labia diducere. Hoc igitur, inquit; ne dicas, *mundus ſum*. Animum ad ſanctimoniam inſtrue; ut Deus te ſuo ſermone dignetur; ſuaq. benignitate aperiat labia. Ipſam autem Dei locutionẽ, eiusq. labiorum diductionem adhibitam cum hominibus intra mentes eorum collocutionem debemus intelligere.

E *Deinde annunciabit tibi uirtutem ſapientiæ.*

DIDYMI. Si tecum loquatur Deus, ſcilicet docebit ſapienter, iſta ſe tibi mala inuexiſſe: & quaſi ab eo æquam tibi mercedem eſſe perſolutam: ei igitur, qui Dei ſapientiam cogitare poteſt, uere percipere licet, cum Deus rebus aduerſis exerceat homines, non ulciſcendi, ſed medendi cauſſa id facere ſolitum eſſe.

Duplex

F *Duplex eſt &c.*

Polychr. Duplex nuncupauit tum id, quod de diuina ſapiētia percipi poteſt: tum id, quod noſtram prętervolat intelligentiā; nec non quia in rebus, quæ ſenſu, & quæ mente cernuntur diuina eminet ſapientia.

G *Confidens etiam eris; quia eſt tibi ſpes.*

Polychr. Confides, quia in Deo tibi ſpes erit; & in abundantia rerum omnium collocatus, non amplius hoſtium incurſionem timebis.

PROTHEORIA NONI CAPITIS.

*INTENTA, uehementiáq; Sopharus uſus erat oratione: diuinaq; ſapientia, & poteſtate dilaudata, Iuſti animum partim metu concutere, partim illi perſuadere conatus erat, nihil eum pati iniuſti. Nunc Iobus Sopharum ridet, qui fidem ijs rebus adiungere adortus ſit, quæ dubitari a quopiam non poſſunt. Poſt Dei ſapientiam; & ipſam hic ipſe magnifica oratione proſequitur: docetq; ſe præ illis in rebus diuinis ſapere. Amicos item accuſat; quod ſermones ad ſanandum idoneos inuenire nequiuerint. Se uero ſua omnia in Deo condita habere libenter confirmat: ſeq; iuſto illius iudicio magnopere confidere: ſed amicos etiam obiurgat, quod contra ius, & fas, Dei cauſſam receperint: nam licet, inquit, millies pro Deo dicere uideamini; nihilominus dolo excogitatam, & iniuſtam adfertis orationem. Quam ipſam Deus, qui ueri eſt amans, nullo pacto comprobabit. Contra mihi ſpes haud obſcura recuperandæ ſalutis oſtenditur; propterea quod ſimplici, & incorrupta apud Deum utor oratione. Noui, inquit, quod iuſtus apud Deum apparebo, id, quod iuſtum eſt, uere loquens. Deinde obteſtatur Deum; & ueniam ab eo deprecatur; ſi quid forte peccarit. Naturæq; imbecillitatem ad ſupplicationem adfert. Dum nullum purū eſſe hominem affirmat, neq; eum, cuius una eſt acta dies in Terris, * docet autem ex collatione eſſe arboribus hominem imbecil-*

* Locus reſtitutus ex Cat. Pin.

imbecilliorem, nec non tamquam propheta de mundi interitu, atq; de reſurrectione uaticinatur; ſuaq; iterum perſona ſuſcepta, Deum conditorem orat, precibusq; a Deo contendit; ut tamquam opifex ſuo ueniam tribuat opificio: nec uelit in ſuarum rerum diſquiſitione, atque reprehenſione ſummo iure uti. Sed nimirum dignam illud efficit admirationem. Quòd in tantis ærumnis & cruciatibus non fuerit ſtupore perculſus: quòd animum non demiſerit, quòd eorum, quæ dicebantur ab amicis, nil eum plane fugerit: quòd ad ſingula, ſingula quoq; dogmata reſponderit: quòd Deo dignas notitias comprehenderit: quòd in medijs tormentis, perinde quaſi a corporis compagibus abſtractus, ſolum ſpiritum induiſſet, philoſophetur.

Suſcipiens autem Iob dicit. Vos eſtis homines? Numquid uobiſcum [1] mouetur ſapientia?

1 τελευτήσει finietur, morietur.

OLYMPIODORI.

CAPVT XII.

Apud Polychroniū etiam reperi in Cate. Vinc. Pin. huius interpretationis priorem partem.

VOS ſolos, inquit, eſſe homines ipſi exiſtimatis? qui res Dei mirificas cognoſcatis? & ratiocinantem animi partem perfectam retinueritis? nec quemquam creditis, aut ante uos fuiſſe, aut poſt futurum eſſe ſapientem? ſed ſapientiæ, ueſtræq; uitæ finem eumdem futurum? nec eius quemquam fore participem, uobis unis exceptis? Quaſi uero uobiſcum illa ſit exitum habitura? neque ad alium preterea migratu. a? tamquā ſi a uobis illius abſolutioni cancelli circumdati eſſent? Quæ cum dicit, non in eos fertur incitatior, ſed iis tantum de rebus indignatur, quæ contra uerii atem ab amicis diſputabātur. Quocirca addit.

Et mihi cor eſt ſicut uobis.

POLYCHR. Eadem egomet, qua uos, ſum natura præditus: neque iſthæc ſunt ignorata, cum ſimiliter, ut uos, homo ſim: neq; excors omnino. Nempe hoc dicit. De ſapientia uobis haud cócedo, perinde ut uos, ſapio, Neque cor perdidi. Vti de ijs dici ſolet, qui rectam, & conſentaneam animi functionem abiecerunt. Verum ipſe malorum atrocitate perculſus, ludibrio, & deſpectui ſum ceteris.

Iuſtus

Iuſtus enim, & irreprehenſibilis factus eſt in deriſionem.

POLYCHR. Id porro eſt rerum omnium acerbiſsimum, me, cuius eſt acta uita honeſte; qui nullam cuiquam alicui anſam dedi accuſandi, me ueſtrum nunc eſſe ludibrium. OLYMP. Videtur ille quidem de ſe tantum dicere: ſed tamen ſermonem exponit uniuerſe. Nam qui corporis ſunt illecebris deliniti, eorum, qui Iuſtitiæ, & ſpiritui nauant operam, ſtultam arbitrantur eſſe condicionē. De quibus dictum eſt. *Animalis homo non percipit, quæ ſunt ſpiritus.* 1. Cor. c. 2. CHRYSOST. Hoc loco iuſtum ſe ipſe dicit, haud perfectæ uirtutis ſibi arrogans teſtimonium: ſed id tantum confirmans; neminem a ſe umquam læſum eſſe, ut iam nullus ei quidquam poſsit obiicere. Quòd ſi ego, qui neminem læſi, talia patior, quanto magis facinoroſus patiatur? DIDYMI. Illud autem obſerua; cum minora Iobus dicit, ad ſe ipſum illa transferre, nam, quæ eius eſt modeſtia, glorioſam uitat oſtentationē: quando uero maiora loquitur, tum ad genus uniuerſum ab eo traduci orationem: id quod hic etiā facit. Ferme enim hæc eius eſt oratio, *ne irrideantur iuſti*: hactenus enim patiuntur, ut illos ipſos pati Deus uoluerit.

Ad tempus enim conſtitutum præparatum erat, ut caderet ſub alios, et domus eius ab iniquis deuaſtarentur.

OLYMP. Hinc illi, quorum animos fati imbuit opinio, ſic ſuam ſententiam firmat. Ecce, inquit, ut ſcriptura dicit, Iobo fatale fuiſſe; ut malis illi perfungeretur; eſſeq. a Deo conſtitutum, ac deſignatum; ut iis uideretur inferior, qui fuerant antea egentiores. Sed nimirum iſtud ſcriptura minime dicit, auertat id Deus: neque enim fatali mala noſtra parent neceſsitati;* ſiue illa naturalia ſint; ſiue uoluntaria; ſiue tentantia. Prima enim naturę infirmitati adſcribenda ſunt, Media libero arbitrio, Poſtrema Dei prouidentiæ, qui ad tempus quoddam, ut intententur nobis illa, permittit, idq. ut bono ſint nobis. Atque is ipſe, qui moderate noſtra gubernat prouidentię ſuæ rationibus; intelligit quatenus nobis fructuoſa futura ſit malorum perpeſsio. Tētari autē nos ille ſine modo non ſinit.

* εἴτε φυσικά ἐστιν, εἴτε προαιρετικά, εἴτε πειρασικά.

Verumtamen nullus, qui eſt improbus, confidat ſe innocentem futurum: quicumque ad iracundiam prouocant Dominum, quaſi non futurum ſit eorū ſuppliciū.

IVLIANI. Arbitramini, inquit, ignotas mihi eſſe prouidentiæ

tiæ rationes? Atqui non ſecus, quàm uobis, mihi ſunt eæ perſpectæ: nec illud minus, quàm uos, ſcio nullum, qui apud Deum offenderit, repetiri, qui non ſit ei pœnas daturus. OLYMP. Id enim certum eſt, atque conceſſum: nec eſſe fraudem impunitam; neque eos, qui Deum irritant, eius uitate poſſe animaduerſionem. Quamuis iuſtum quis irriſerit, & [1] dominatione oppreſſerit: haud inſons erit, quamuis illum euiciſſe uideatur. Hic enim iracundia Deum inflammat, & eorum quidem, quæ geruntur inquiſitio futura eſt, atque iudicium.

[1] In Cat. Card. Caraf. eſt οὐ καταδυναστεύσει puto negantē particulam redundare.

Attamen interroga quadrupedia, ſi tibi dixerint; aut volucres cæli; ſi tibi annunciauerint: narra autem terræ; ſi tibi locuta fuerit: & enarrabunt tibi piſces maris. Quis non cognouit in omnibus his, quod manus Domini fecit hæc? ſi non in manu eius anima omnium viuentium? & ſpiritus omnis hominis? Auris enim diiudicat verba, guttur autem cibos guſtat.

CHRYSOST. & OLYMP. Quoniam illi quaſi Dei notitiam adepti magnopere gloriabantur; Idcirco Iobus enunciat nullam rem eſſe creatam, quæ ſuum effectorem non agnoſcat: neq; id eſſe hominibus dūtaxat exploratum, ſed ipſis etiam mutis, atque adeo terrę ſenſus experti. Quid igitur animo ſic æſtis affecti; quaſi admirabile quidpiam attuleritis? Nimirum neceſſe eſt unūquemque, qui ſceleratus ſit, funditus interire, id nemo ignorat. Atque, ut Sopharum maiore ruboreperfunderet, uſus hyperbole dixit. Muta atque inanimata interroga: quæ, licet uocem non edant, Dei tamen gloriam enarrant, & illa quidem uim diuinæ poteſtatis ſentiunt. Ac ſi uoce illas ipſas res uti contingeret: nempe Deum uniuerſitatis opificem prædicarent, eiuſdemq. incomprehenſam, atque inexplicabilē dicerent eſſe ſapientiam: atque eum hominum flagitioſorum ultorem. In eiuſq. manu cunctorum uiuentium uitam, ac mortem poſitam eſſe: & re quaque, quod ipſi collibuerit, nullo negotio facere poſſe: omniaq. continere, atque conſeruare, tum ceterorum animantium animam, tum hominis ſpiritum. Itaque, ſi animalia ratione carentia oratione uterentur, hac de Deo ſententiam exponerent: quanto igitur magis homo, cui eſt naturaliter inſita ratio? Quemadmodum gutturi eorum, quæ deguſtari poſſunt, ſenſus affixus, & auribus iudicium uocum. Habent exem-

plaria

a Sunt item hæc verba Euagrij in Cat. Vinc. Pin.
b Polychronij in eadem Cat.

platia nonnulla pro aurę mentem. Id ergo dicit.[a] Quemadmodum iudicanda exculenta guttur omnes habemus, [b] cunctiſq. eſt commune hominis cibum ſumere; ſic mentem ad Dei notitiam accepimus, quæ Deum uniuerſitatis agnoſceret.

In multo tempore ſapientia: in multa autem vita ſcientia.

Chrysost. Mihi quidem uidetur illos pungere, nolite, inquit, exiſtimare uobis omnia iam eſſe inuenta: licet enim mens nobis ſit ad iudicandum: diuturnum tamen opus eſt tempus ad ea inuenienda, quæ illius ſapientiam, poteſtatéq. attingunt. Nam quorum ea eſt natura, ut intelligantur, illa mens; quorum, ut ſentiantur, illa ipſa percipit ſenſus. Olymp. Prudens enim cum ſeneſcit, in ſapientia proficit: & fortaſſe quod dicit eſt huiuſmodi: Ipſe, quæ auditione accipio, ſcio; & tempus ad ſcientiam mihi adſciui. Aquila autem & Symmachus ſic, ille quidem in antiquis ſapientia, hic autem in ijs, qui diu uixerunt; atque illud eſt item cõmune opificẽ agnoſcere, & apud homines quidẽ ſcientia labore perficitur, & tempore accedit: apud Deum autem ſola uoluntate.

Apud eum ſapientia, & poteſtas.

Apud quem nam? nempe apud Deum. Is enim ſapientiæ, atque potentiæ fons eſt: qui ea ceteris impartitur. Et de ipſo quidem Deo, ut magnificentiſsime ſentiant, cuncti ſunt demum adepti. Rerum autem, quæ ab eo effectæ ſunt, perfectam ſcientiam, poteſtatemq̃. habere, eſt Dei ſolius. Porro gubernat uniuerſa non conſequentis temporis, aut collatione, aut ignoratione, ſed certa, quam uniuſcuiusq; rei comprehenſam habet, notitia.

Ipſi conſilium, & prudentia.

Cum poteſtate conſilium & prudentiam copulauit: nihil enim inconſulto, & imprudenter facit; ſed omnia in ſapientia. Potentia, & conſilium Patris Filius eſt; quemadmdum eſt in Pſalmo. *In conſilio tuo deduxiſti me.* Pſ. 72

Si deſtruxerit, quis ædificabit? Si clauſerit contra homines, quis aperiet?

c Sũpſit hæc Olympiodorus a Polychronio: diſcerepãtes ex Cat. Pin.

Olymp. Ad [c] ſummam rerum omnium poteſtatem, euentum, de quo dubitari non poteſt, adiunxit. Itaque Dauid canit. *Tu terribilis es, & quis reſiſtet tibi?* Pſ. 75 nemo dubitat, inquit, & Deum ſapientem eſſe, & poteſtate pollere; & cuncta ſuo arbitratu facile admini-

miniſtrare; neminem poſſe illius decreta reſcindere. Illius porro poteſtatem res ipſæ plane perſuadent. Quòd ſi capitis quempiam condemnarit, quis illi audeat intercedere? Sin uitam adimere noluerit, ſed illam ipſam moleſtijs, atque doloribus tentare uoluerit; quis ad conſolandum idoneus fuerit? Quæ enim propter noſtra errata molitus is fuerit, ea ſunt prorſus euentura. CHRYSOST. Facit Iuſtus ijs, qui ſibi contraria oratione obſiſtebant, prouidentiæ tradit rationes; quamuis enim illi prouidentiam minime inficiarentur; repugnantia nihilominus adferebant. Dicit ergo illius uolũtati quis reſiſtet? Videas enim aliũ inopia, aliũ cãſibus aduerſis, alium morbo conflictari. Denique modo hunc, modo illum, ijs rebus, quæ Dei nutu contingunt, omnino pulſari: nec a quoquam illius poſſe uitari decretum: huicq. rei, ea, quæ præcipua ſunt, & conceſſa ab omnibus, certo eſſe argumento.

Si prohibuerit aquam, ſiccabit terram: ſi immiſerit, perdidit eam euertens.

Quod ſi pluuiam cohibuerit; ſqualore, & ſiccitate cuncta perdentur. Id quod tempore euenit Eliæ: ſin eamdem immiſerit in terras, ut tẽpore Noe contingit, illas obruet, & colluuione delebit. CHRYSOST. Quod uero nihil eorum, quæ fiunt a Deo ab quopiam ſecus fieri poſsit, huius rei deinceps cõſentaneam rationẽ exponit.

Apud ipſum fortitudo, & robur.

Ei ſoli integrum eſt cuncta pro arbitrio moderari, idq. iure optimo: quandoquidem in omnia imperium obtinens, poteſtatem habet quauis oratione longe ſuperiorem.

Ipſi ſcientia, & ſapientia.

Rerum, quæ ſunt, cognitio, ad ſummum perducta: gubernatio uero ſapientiſsima.

Adducens conſiliarios captiuos: Iudices autem terræ [a] ſemouit.

CHRYSOST. Et hæc effecta ſunt prouidentiæ: diuina namque uoluntate, atque iudicio, & conſiliarij quaſi captiui abducuntur: & Iudices ablegantur. POLYCHRONII. Hæc fortaſſe non de ijs dicit, qui capiuntur in bello: Verum de ijs, qui ingenij ſollertiã uendiiant. Ac ſi diceret. Sapientes quoque decipit; & qui iudicio præſtant, circumagit; & eos, qui agenda alijs oſtendẽdo præcipiunt, ad ſuam acerrimam normam inſipientes pronunciat; eoſdemq. ad ſummam conſilij inopiam redigit. Hanc ipſam ſententiam

a ἐξέστησε Stupefecit, ſemouit, loco mouit: priorem notionem ſecutus eſt auctor latinæ editionis, poſteriorẽ Chryſoſt. Aug. in pauorem miſit. Ambroſ. ſtupidos fecit.

tentiam Aquila, & Symmachus expreſſerunt. Ille enim ſic, abducens conſiliarios [a] ſpolia, hic uero abducens conſiliarios ad [b] conſilij inopiam. Ac uide, quemadmodum, cum Dei potentiam eam eſſe docet, quæ expugnari non poſsit, cunctos ab eo ſapientia uinci oſtendat. Partitur enim orationem in eos, qui uita ſunt, & gloria clari; & in eos, qui pietatis nomine habentur inſignes.

a λάφυρα ſpolia, exuuiæ, præda.

b ἀβουλίαν temeritatem, conſilij inopiam.

Collocans Reges ſuper thronos.

Atque hæc eſt alia Dei poteſtas: ut plane nullus ſine eo regnare poſsit.

Et circundedit baltheo lumbos eorum.

Symmachus autem, cingens eos funiculo ſupra lumbos, pro illo, in ſeruitutem redigens.

Qui emittit Sacerdotes captiuos: dynaſtas autem terræ ſubuertit.

Olymp. [c] Sed neque conſceleratis Sacerdotibus ignoſcit: imo uero eos una cum iniuſta gerentibus imperia perdit; nempe illud his uerbis ſignificat. Qui maximi habentur hominum opinione, eos pro nihilo a Deo putari, igitur eos, qui haud recte ſacerdotio funguntur, in apertum profert, ſed neque ſi temporis ratio ferat, ijs parcit, qui rem commode gerunt. [d] Hos enim ſæpenumero captiuos abducit, ſeruitutiq. Deus addicit: ut ceteræ multitudinis commodis conſulatur, quod quidem ijs accidit; qui cum Daniele, & Ieſu Ioſedechi ad reliqui populi utilitatem fuerunt in ſeruitutem abrepti: nam re ipſa haud hi digni erāt, qui ſeruirent ſeruitutem, ſi eorumdem actionum ratio habenda erat, illud autē *dynaſtas terræ ſubuertit*, ei, quod proxime dixit, cognatum eſt, *qui Iudices terræ ablegauit*.

c Secutus eſt Didymi interpretationē hoc loco Olymp. confirmat Codex Vinc. Pin.

d ἅτι καὶ τούτους πολλάκις legendum puto ὅτι καὶ τούτους. Quamquam uerba omnia huius circūductus ſunt mire inuoluta, in Græco Codice: de quo ſunt hæc ipſa conuerſa.

Immutans labia fidelium.

Fideles dicit hoc loco eos, qui digni ſunt, quibus fides habeatur. Id quod ſua interpretatione Symmachus illuſtrauit. Sic enim ille: qui auertit labia inerrantium, id eſt, eorum, qui in deliberando ab errore abeſſe uidentur quàm longiſsime, in contrariam partem conſilia inflectit, id quod in Balaam fecit.

Intelligentiam autem ſenum cognouit.

Pro eo, nihil latet eum, ſed iam inde ab initio, cum quid animo agitent prudentes uiri, plane intelligat; poteſt eorum cogitata ita peruertere, ut ea nullus conſequatur euentus. Symmachus

autem,

autem, & ſcientiam ſenum auferens. Vt indicet, qui diuturno tempore ceterorum opinione probatam ſapientiam adepti ſunt, facile illam ipſam a Deo euerti.

Effundens ignominiam ſuper Principes: humiles autem ſanauit.

Illa uidelicet Deum admirabilem eſſe teſtantur maxime, quæ præter exſpectationem contingunt hominibus. Huius ſimile eſt il-
Luc. cap. 1 lud. *Depoſuit potentes de thronis, & exaltauit humiles.*

Reuelans profunda de tenebris, eduxit autem in lucem umbram mortis.

Olymp. Ad uerborum proprias rationes ſic commentandum: Qui ea, quæ cunctis erant obſcura propalam fecit: & quę tenebris erant obducta, in apertum protulit. Aut etiam eos, qui periclitabantur, & propius a morte aberant, ſeruauit. Vmbram enim mortis ipſum periculum dicit. Ad intelligentiam autem. Videtur
Iſaiæ. c. 49 prophetice Domini nunciare aduentum. *Qui dixit iis, qui erant in vinclis, egredimini, & qui erant in tenebris, reuelamini. Et apparuit iis, qui in tenebris, & vmbra mortis ſedebant.*

Decipiens gentes, & perdens eas, ſternens gentes, & deducens eas in uiam.

Olymp. Egit id cum Iſraelitis. Quorum alij, qui ex Ægypto egreſsi credere noluerunt, fecit, ut oberrarent: eorumq. cadauera in ſolitudine caderent. Alijs uero qui illis prognati erant, in terram promiſsionis dux fuit itineris, atque iiſdem propemodum uiam ſtrauit, ac complanauit. Polychro. Idem uterque uerſus declarat, etiã in bello, inquit, ubi illi uiſum fuerit, multitudinem uertit in fugam: facitq. ut metu hac illac errent. Quod ipſum in Chananæis antea, in Iudęis poſtea, qui peccauerunt in Deum, factitatum eſt; & punit, inquit, & facit: ut in manus incidant aduerſariorum ad exitium, atque interitum propemodum abſtrahens.* Mos autem ſcripturæ eſt, cum errorem, qui libera a nobis uoluntate ſuſcipitur, Deo ob ſummã eius patientiã, indulgentiamq. adſcribere.

* Ἔθος δὲ τῇ γραφῇ καὶ τὴν αὐτοπροαίρετον ἡμῶν πλάνην ἐπὶ τὸν θεὸν ἀναφέρειν διὰ τὴν ἄμετρον αὐτοῦ μακροθυμίαν, καὶ παραχώρησιν.

Immutans corda Principum terræ: errare autem fecit eos in uia, quam non nouerant.

Olymp. Huic reſpondet, quod dicitur in pſalmis, *diſſipat*
Pſ. 32. *cogitationes populorum, reprobat conſilia principum.* Theodotio

R uero

1 Aug. in editione lat 70. habuit recõcilians, pro immutans: verbũ enim græcũ habet etiam ſatis proprie notionem illam, quam ſecutus eſt Aug. Sed Ambr. extulit, ut nos, immutans.

uero pro 1 immutans dixit μεθιστῶν, transferens, Symmachus παρατρέπων inuertens: Aquila, ἀφιστῶν inhibens, omnes tres ad unam ſpectantes ſententiam. Polychr. Similiter, ut ſi diceret, non leues tantum, & infimæ ſortis homines fugę mandat; ſed etiam fortes, & qui cum imperio ceteris præſunt, id quod Sedeciæ contigit: qui ne manum quidem contra Barbarum tollere potuit: quin etiã uix primum impetum uidit, cum in fugam ſe dedit. Horum autem idcirco facta eſt mentio; quia & ad res ipſas accommodari facilius, & harum uocum uires oſtendi melius poſſunt. Deinde quæ neceſſario ijs, qui fuga ſibi conſulũt, euenire ſoleant, docet his uerbis.

Tangant tenebras, & non lucem, errore agantur, ſicut ebrius.

Polychr. Id dicit. Inter hos, atque eos, qui omni luce orbati iacent in tenebris, prorſus nihil intereſt in rebus gerendis. Qui uero ſunt magnitudine calamitatis oppreſsi, a temulentis, qui in omnes partes errore trahũtur, plane non differunt: illud autem palpent tenebras, & errore agantur; non optando dixit, ſed euentum tantummodo declarando: ideſt palpabunt, & oberrabunt.

ADDITIONES IN CAPVT XII.

A *Ad tempus enim conſtitutum præparatum erat, ut caderet ſub alios; & domus eius ab iniquis deuaſtaretur.*

Polychron.

Fortasse hoc dicit. Decretum erat diuinitus; ut ego ceteris uiderer inferior, atque egentior. Aeque mihi, & uobis iſthæc nota ſunt, eum, qui apud Deum offendit, ſupplicium uitare non poſſe. Atque oſtendens ſibi ignorata minime eſſe, quæ ab ijs tenebantur, illos exagitañs addit. *Numquid vos eſtis homines*, & quæ ſequuntur.

B *Et volucres cœli ſi tibi annunciauerint.*

Polych. Quis, inquit rerum omnium opificẽ ignorare queat? quis neſciat ad eius ſapientiam nullum eſſe acceſſum? Harumq. rerum nota, & inſigne non modo hominibus ratione utentibus, ſed rebus etiam inanimatis datum eſt: & quoniam nulla eſt in rebus uita, & ratione carentibus impreſſa ſcientia, ne inanem uer-

borum

borum orbem uerſare uideatur, demonſtrationem attexit. In manu eius anima omnium uiuentium.

C *Ipſi conſilium, & prudentia.*

Chrysost. Cuncta, inquit, adminiſtrat, non coniectura aliqua, aut ignoratione futuri, uerum uniuſcuiusq; rei certam habens cognitionem.

D *Qui immutat labia fidelium.*

Didymi. Symmachus, detorquens labia inerrantium? oſtendit eos, qui ad eum fide conſtanter, & abſque errore accurrunt, ab errore auocari, atque ad ueritatem deduci.

E *Effundens ignominiam ſuper Principes: humiles autem ſanauit.*

Luc. c.1. Didymi. Huius eſt illud ſimile: *Depoſuit potentes de ſede, & exaltauit humiles.*

CAPVT XIII.

Ecce hæc contemplatus eſt oculus meus: & audiuit auris mea: & noui quæcumque, & vos ſcitis, & non inſipientior vobis ſum.

Olympiod. & Polychr.

HÆc inquit ipſe partim uſu, atque experientia percepi: partim ab alijs, cum dicerent, audiui: partim inquam a rebus ipſis, partim per manus accepi eam, quæ mihi diuinarum rerum tradita eſt, diſciplinam. Ac licet ætate uobis minor uidear, in ſapientia tamen nulla re ſum inferior, deq. diuinarum rerum ſcientia, atque de ijs, quæ pertinent eodem, nulla ratione uobis concedo.

a Prior huius expoſitionis pars eſt etiam Euagrij.

Verum ego ad Dominum loquar.

Didymi. Amicorum erratum accuſaturus ait, *ad Dominum loquar*, ut qua fiducia, ac libertate eius nitatur oratio, palam faciat. Olymp. Viden quemadmodum a Deo iuſto iudice, atque animorum medico ſuam uelit cauſſam cognoſci? nam Dei iuſto iudicio magnopere confidit: præſertim cum aberrent amici; & qui medicinam ad curandum, & orationem ad conſolandum idoneam debebant adferre, uulneris morſus efficiant acriores.

Arguam autem coram eo, ſi uoluerit.

DIDYMI. Id eſt meam cauſſam plane docebo: dummodo is uelit; ac poteſtatem faciat: nec enim ignarus ſum mei totius cauſſam mali illi ipſi eſſe perſpectam. Ego, ſi Deus, qui iudicio præeſt, mihi permittat, vos mendacij redarguam, atque conuincam; qui ægrotantium morbos uehementius irritatis, ueſtri fidem aduentus, pollicitationemq. fallentes, & a certamine quidem uobiſcum inſtituto diſcedam. Quòd ſi Deus de actionibus, factisq. meis iudicium facere uoluerit: cauſſam apud eum dicere minime recuſabo.

Vos autem eſtis medici iniuſti, & curatores malorum omnes.

Symmachus autem, adhæreſcitis mendacio, & mihi fraudulenti medici, qui ea, quæ a ratione ſunt auerſa, paratis. POLYCHR. Superuacaneum, inquit, eſt diſceptare uobiſcum: qui cum ad me ſanandum acceſſeritis, ueſtris me nunc ſermonibus, quaſi iaculis, ſauciatis: ipſaq., quam patior, calamitate, dolorem mihi adfertis acerbiorem: medicosq. imperitos imitamini; qui cum ſanantia negligunt medicamenta, ſtulte ægrotorum uulnera, quaſi morſu diſcerpunt. DIDYMI. Quantum ad id, de quo nunc agitur, pertinet: Iniuſtus medicus is eſt; qui ſalutaria remedia commutat inutilibus: & ea, quæ obſunt præbet ægrotantibus. Id uero dupliciter euenit, aut ex imperitia medici, aut ex improbitate. Hi autē, qui ab Iobo coarguuntur, non tam propter ſceleratam mentem, quàm propter inſcitiam Iobo dicebant. Propter peccata pateris: in quo uerba ad conſolandum apta adferre ſe arbitrabantur. Iniuſti igitur; quandoquidem cauſſæ erant ignari. Illud autem ſanatores malorū omnes, contra eos dictum eſt; qui cum ſibi ipſi placeant magnopere, ceterorum caſus aduerſos putant a ſe poſſe ſanari.

Sit autē uobis obmuteſcere: & eueniet uobis in ſapientiā.

POLYCHR. Præſtaret, inquit, uobis tacere, quàm omnino ſic loqui: maioremq. uobis ſapientiæ opinionem ſilendo conficeretis, prudentioresq. uideremini. Hoc nimirum dicit: inſipienter facitis, dum eum, qui ſolatii indiget, exulceratis. CHRYSOST. & OLYMP. Quando quis, inquit, ea quæ rationi aduerſaria eſt, utitur oratione, tacere illi eſſet rectius, ſapientior enim futurus ſit, ſi tacuerit, quàm ſi dixerit. Tales enim tacere melius eſt, quàm ad uerba talia aſſilire: namque horum ſilentium ſapientiæ adfert opinionem. Nam a qui obmutuerit prudens habebitur, loquacitas autem hominē calamito-

a Stultus quoque, ſi tacuerit ſapiens reputabitur; eſt apud Salom. Prouer. cap. 17.

lamitoſum commouet uehemētius. Et ô Tu ô Care Deo noli eo genere uerborum permoueri: Sanctos potius imitare: certumq. habeto Satanæ hos eſſe impetus. A diabolo enim tui exagitantur obtrectatores, ea re potiſsimum; ut te a fide abſtrahat: atque ut a recto inſtituto abducat; nec enim id ueterator ignorat nulli tibi malo eſſe ærumnam; ſed ea re te Deo potius commendari: illud autem tibi obeſſe magnopere, ſi a bona mente diſcedas; ergo quanto is fuerit in tentando ferocior; tanto quoque tuus ſit curſus ad uirtutem incitatior: Quantoq. ille connixus fuerit uehementius; ut te in cōtemptum adducat; tanto magis animum ipſe ad tolerantiam, pa-
Pſal. tientiamq. firmato: ac dicito. *Hæc omnia venerunt ſuper nos, nec*
43. *obliti ſumus te*. Etenim ſi hac te ratione aduerſus tentationes corroboraris; ſcilicet diabolus auertetur retrorſum pudore ſuffuſus: Tui uero uniuerſorum Dominus meminerit: atq; hic in Terris te
Matt. dupliciter recreabit. Poſt autem auditurus es. *Euge ſerue bone in*
c.25. *modico fidelis, ſupra multa te conſtituam*. Iobi patiētiam recordare: cuius uirtutem nec læta tempora, nec triſtia peruertere potuerunt, & quidem multa, ac grauia in rebus ſingulis ſuſtinuit: donec a Deo dupla recepit, teſtimonioq. comprobatum eſt, ad uirtutis ſuæ ſignificationem, & ſpecimen calamitates pertuliſse.

Audite [1] redargutionem oris mei: Iudicium autem labiorum meorum attendite.

[1] Obiurgationem Aug. Amb. increpationem ἔλεγχον.

Polychr. Mentem, inquit, iis, quæ libere a me dicuntur, adhibete: & Iudicium meum id eſt, defenſionem meam attendite. Didymi. Conſiderate quæ ad uos confutandos dicturus ſum. Cogitate iure ne loquar, os enim, & labra pro ſermone poſuit. Reprehendit autem, redarguitq. Sanctus, quemadmodum Sancto conuenit, atque ita iudicat; ut eum decet iudicium exercere. Neque enim Iuſtus aut non opportuna utitur reprehenſione; aut ea mendaci utitur. Immo uero tam illam quàm iudicium iure, legitimeq.
Pſ.36 uſurpat. *Os enim Iuſti meditabitur ſapientiam, & lingua eius loquetur iudicium*.

Numquid non in conſpectu Domini loquimini? Coram autem eo loquimini dolum? an uos [1] ſubtrahetis?

[1] Sic Auguſt. interpretatus eſt uerbum ὑποστέλλεσθαι. Ambr. numquid uerebimini?

Ad reprehendendum, refutandumq. aggreditur: docetq. nihil ab ijs dici quod non intueatur Deus: ſed ipſum dolum, quem contra illum machinabantur, ipſis illis obnunciat; idq., ut eos ad ſaniora conſilia deducat; eamq. mentem deſerant, cuius Deum contem-

platorem habeant. Diciťq. Olymp. Nec cogitatis a Deo ueſtros audiri ſermones? Qui igitur audetis illo audiente iſthęc falſo iactare? Aut uero callide putatis uos illi latere poſſe? hoc enim ualet, aut ſubtrahemini? id eſt num eum latere poteſtis. Theodotio uero interpretatus eſt: An perſonam eius accipitis? Hebræus autem dixit. Verecundamini, id eſt,ueremini contra Deum dicere: idcirco ad gratiam loquimini. Veſtris igitur ipſi rationibus proſpicite, qui Deo uidemini patrocinari: ne forte animi ueſtri ſententia ſermonibus ſit plane contraria. Cum enim mea ſint uobis minime ignota: quædam tamē alia falſo affingitis. Veritatis enim ſpecie asſimulata, pro Deo dicitis: nam dolū ipſam aſsimulationē nūcupauit.

Sed uos etiam ipſi Iudices efficimini, bonum quidem, ſi inueſtigauerit uos: ſi enim omnia facientes adijciemini ei; nihilominus redarguet.

Olymp. & Polych. Verane egomet loquar, nec ne loquar, ueſtrum ſit iudicium. Deus enim in uos inquiret, licet millies dicere pro eo conemini; licet multo plura, quàm adhuc dixiſtis, adferatis; licet multo magis, quàm adhuc feciſtis, ei gratificemini: Iudex eſt enim incorruptus: iuſtoq. uos ſuffragio condemnabit: ueſtramq. callidam, captioſamq. ſententiam refutabit: ueſtrumq. mēdacium, & falſitatem coarguet; non ſecus, quàm ſi contra eum dixiſſetis: ſed nimirum vobis haud rectum. Obſerua quemadmodum ubique Iuſtus accuſet mendacium, etiamſi pro Deo dicere quiſpiam uideatur: ille autem quæ ſentit, uere, ac libere loquitur. Idcirco, Deus, qui ueritas eſt, illum recepit. Dicit ergo, amicis ſuis falſa oratione utentibus. Vos ipſos Iudices deligo: Dicite, rectum ne uobis futurum eſt, ſi ueſtra Deus uerba peruestigarit? an non cauſſa plene cadetis, præſertim cum ille ſimulationē, & mendaciū oderit?

Si autem occulte perſonas admirabimini.

Symmachus, autem. An latenter perſonā eius [a] δυσωπηθήσεσθαι.

Numquid non uertigo eius uerſabit uos?

Symmachus numquid eius motio non terrebit uos?

Timor autem ab eo incidet vobis, eueniet autem gloriationi ueſtræ, ſicut cineri, corpus autem luteum.

Didymi. Nempe Iudex eſt optimus, rerū enim ęſtimator eſt: eorum qui in ius adeunt, perſonas haud internoſcit, ſiue enim diuites fuerint, ſiue principes, ſiue quauis alia poteſtate excellant, eorum

a Verecundabimini, placabitis, exorabitis, huius uerbi uaria eſt notio: quamquam ipſum uerbum uitioſum ſignant pudorē ita περὶ τῆς δυσωπίας, id eſt de uitioſa uerecundia præclarum ſcripſit libellū Plutarchus.

eorum perſonæ rationem nullam habet: de factis tantum iudicium faciet; nec enim fas eſt, aut fauere diuiti propter opes; aut propter inopiam, pauperis miſereri; ita ut ius uioletur. Quamobrē di-

Exod. ctum eſt. OLYMP. *Non miſereberis pauperis in Iudicio.* Iobi au-

c.23. tem uerba huc pertinent, etſi, inquit, gratificari Deo uidemini; & eius quodammodo perſonam uereri; nihilominus recte loquimini: cum aliud ſentiatis, aliud loquimini. Numquid non eius uortex, & ſupplicium (id enim eſt uertigo & gurges) uos circumaget? ac perterrefaciet? veſteiq. faſtus, & glorioſa exiſtimatio obteretur? poſt iram autem ueſtra condicio (quandoquidem arcano, & fraudulenter nunc iudicatis, atque ob id ipſum contemptui eſtis) nihil aliud niſi cinis apparebit, ſiquidem lutum ſolum eſtis. Et quidem cum cinis, cęnumq. ſitis, inſolenter uos tamen ipſi iactatis: nec ullam meis ærumnis ueniam, commiſerationemq. tribuitis: ideo quod ab ijs eſtis ſeiuncti; quarum nec minimā quidem partem ferre poſſetis. POLYCHR. Quòd ſi Deus uobis ſuccenſuerit; fueritq minitatus, prorſus ſentietis nullam ueſtram eſſe arrogantiā: nec eam ſolum, quam nunc oſtentatis, philoſophiam, uerum etiā omnem de rebus fortiter ferendis adhortantem orationem abijcietis; metuq. exanimati occidetis. Quibus ſane uerbis quàm ſit Deus terribilis docuit; eodemq. tempore & amicis terrorem intulit, ac ſibi defenſionem parauit. Hebræus autem ſic, ſi auerterit faciem ſuam turbabimini: Vt plane oſtendat calamitatis atrocitatem per ſe ipſam idoneam eſſe aſperiorum uerborum defenſionem.

Obmuteſcite, ut loquar: & quieſcam ab ira, apprehendens carnes meas dentibus.

OLYMP.[a] Tacete, inquit, ac me ſilentio audite; ut uel ipſa locutione crucianti dolori medicinam aliquam adferam: ac uerbis calamitatem meam conſolans conquieſcam. Id enim fortaſſe ſignificat: Vt apprehendens carnes meas dentibus, Id eſt gemens, ac dolens diſſeram, loquar tamen: Vnicum ærumnarum ſolatium ratus, de rebus meis conſtanti, fidentiq. oratione diſputare; meaq. mala, ac morbos meo ore prodere. CHRYSOST. Vt enim, qui in cruciatibus ſuas carnes mordent, alleuari ſe ſentiunt; ſic ego dum hæc loquor. Viden' ut hæc uerba nequaquam ſint hominis innocētiam ſuam probantis? ſed dolori medicinam quærentis? & uerbis corpus recreare, animumq. releuare conantis? DIDYMI. fortaſſe etiam delinit amicos; antea enim dixerat flagitioſos illos eſſe conſolatores: quandoquidem non modo aptam nullam conſolationem

[a] *Hi primi uerſus ſunt in commentario Polychronii in Cat. Pin.*

adhibebant: ſed etiam hominis ſolatio egentis dolorem magis exacuebant. Nunc igitur dicit deſinam uobis iraſci, dentibus carnes meas arripiens: Id eſt non uobis amplius, ſed mihi ipſe iraſcar.

Animam meam ponam in manu: ſi manus mihi iniecerit potens. Nam & incepit: ſi non loquar, & arguam coram eo.

Olymp. Pignori, inquit, animam meam oppono ad pœnam uerborum meorum ſuſtinendam, libenti animo paratus. Etiam ſi Deus, qui iam me cępit torquere, occidere uoluerit; ſi non fuero uera locutus, haud mortem ipſam recuſabo: & quodcunque tandem ei libuerit, æquo animo feram. Quamquam non dubito eos, qui nituntur mendacijs, a me conuictum iri, ſic enim commentabere. Polychr. Ferme animam meam, inquit, præſtolans morti, in manu mea fero: Interea Deo mihi diuturnitate ſupplicij peracerbam uitam dilargiente: ſed tamen nil ueritus uos ipſos refellam: & qui meæ plagæ eſt auctor, tamquam Dominus, eodem æquo Iudice uti uolo: in eius etiam manibus animam meam colloco. Ac ſi me Dominus, qui iam malis cępit affligere, morte etiã multare uoluerit, ouans excipiam.

Et hoc mihi eueniet in ſalutem.

Chrysost. Id eſt, id mihi apud Dominum ſolatio erit: uera dicere; uosq. mendacij redarguere. Viden quàm is iuſto Dei iudicio confidat?

Non enim coram illo dolus ingredietur.

Haud ficto, & ueteratorio ingenio, ut uos facitis, ego loquor. Scio uidelicet nulli apud eum fraudi locum eſſe; ab omni eum fallacia, doloq. abhorrere: Veſtrorum ſermonum concinnitate, & fuco minime oblectari. Didymi. Hoc ſemper Iuſtus ſtudet: ut tormentorum ſuorum cauſſam amicos doceat: idq., ut eos a contraria ſententia abſtractos lucretur: nam ad eorum ſalutem pertinere exiſtimabat; in ijs, quæ ſibi contigerant, diuinæ prouidentiæ ratione perceptam haberi: quã cum optat illuſtrem facere, dixit. Arguam. Nam redargutio ſæpenumero demonſtrationem ualet. Ergo, ut is & animum ſuum a mentiendi ſtudio maxime abhorrentem, & pietatem una declararet, dicit, quæ loquor ipſe, Deo adſpiciente ſcilicet loquor. Deus enim circumueniri non poteſt; nec ulla apud eum fallendi machina poteſt adſpirare.

Audite

Audite, audite uerba mea. Annunciabo enim uobis audientibus.

Chrysost. Iudicari, inquit, uolo: Iudicium minime recuſo: nullam enim condemnationem reformido. Atque ad ea audienda, quæ dicturus eſt, amicos excitat: uerbaq. excitantia iterat; ut eos magis exoret; (namque eos redarguenti orationi infenſos eſſe animaduertebat) illisq. audientib us, palam, ac libere dicturum ſe eſſe profitetur. Itaque geminatio uerbi, *Audite*, aut ægritudinis eſt index; aut ad comparandam attentionem refertur; ut ij conſtãter audiant. Accidit enim interdum, ut, qui animum non attendunt, cũ eorum aures uocis ſonitu fuerint ictæ, ad audiẽdum excitentur. Itaque Liberator noſter, cum audientium mentes ad ingenue audiendum erigeret, inquiebat. *Qui habet aures audiendi, audiat*. Matth. c. 11. et 13. & Marc. c. 4. & Lucæ c. 8. & 14.

Ecce ego ſum prope iudicem meum. Scio ego, quia iuſtus apparebo. Quis enim iudicabitur mihi, ut ego obmuteſcam, & deficiam?

Polychr. & Olymp. Ad docendum nũc amicos aggreditur, ſeq. ob nullum peccatum pati demonſtrat. Ecce, inquit, in iudicio conſiſto, meo iure fretus. Suæq. confidentiæ cauſſam exponens addit, *Quis enim iudicabitur mihi?* quaſi a me læſus iniuria? qui peccatum aliquod meum probare poſſit? Illud autem, *Deficiam*, pro eo eſt, Dicere prohibebor. Itaq. Hebræus habet, Vt ne loquar. Nec ulla mentis arrogantia hæc dicit; ſed ut amicos erudiat, ne nõ ueram de eo habeant opinionem. Fit enim interdum, ut de ſe quis præclare loquatur, cum animaduertit, quempiam alium non perinde, ut decebat, affectum eſſe: quo tempore loquenti haud eſt ſua laus propoſita. Agedum, ſi cui hoc muneris eſſet iniunctum, ut opes non ſuas in egentes conferret; illiq. interuerſi peculij actio intenderetur; quis illi ipſi, aut probro, aut crimini putet eſſe oportere, ſi in defenſione dicat. Non modo ipſe aliena bona non auerti, ſed mea etiam cum pauperibus communicaui? nimirum nullus in illius adminiſtri defenſione id iure reprehendat, quamuis hoc ipſum antea tacuiſſet. Ergo nec Iobus accuſandus, qui non ideo, quòd ſit nimium ſui amans, ſed eam ob rem, quæ iam expoſita eſt, incorrupta quadam orationis fiducia dicit, *Scio quia iuſtus apparebo*: cum Dei ueritati, & æquo iudicio fidem abrogare non poſſim. Quamobrem loquor: quamobrem *non deficiam*, ideſt, non tacebo; etiãſi

Omnem hanc explicationem deprompſerunt Polychr. & Olymp. ex comment. Didymi: ut indicat Catena Pinelli.

uel ob id ipſum in reos me referam, mihiq., deficientibus probationibus, defenſionem omnem præcidam.

Duo autem mihi concedes, tunc a facie tua non abſcondar.

Olymp.& Polychr. Ad Deum orationem conuertit. Si duo, inquit, mihi fueris largitus, libera apud te oratione utar; nullus ſane certe me hominum coarguet. Tecum autem libenter, metu poſito, diſceptabo. Aquila autem, & Theodotio pro, *Duo mihi concedes*; Duo ne facias mecum, extulerunt. Hebræus autem, pro, *Non abſcondar*, habet; A facie tua non declinabo; ideſt, e regione tibi in iudicio occurram: dummodo duas res quaſdam mihi tribuas. Quaſnam?

Manum tuam a me abſtine: & timor tuus ne me percellat.

Id eſt, ultrice manu amota, hac me ærumna libera; mihiq. certo confirma de iure decertanti, ſi uicero, ſermonis fiduciam te crimini minime daturum: noli me deterrere. Niſi Dei mihi dignitatem obijcias, iudicii auctoritatem haudquaquam defugio. Peccaui: fateor: Verum multo grauiora perſoluo.

Deinde vocabis; ego autem tibi obaudiam; aut loqueris, ego autem tibi dabo reſponſum.

Olymp. Hæc ceteri planius extulerunt: loquar, & reſpondebis mihi. Si hæc, inquit, abs te ipſe impetraro, & cognouero te mihi eſſe beneuolum, profecto ſi uitæ a me rationem repoſces, reddere non grauabor: & rogatus, defenſionis rationem inibo. Porro pluribus uerbis ſuam cum Deo fiduciam perſpicuam facit; ut in eam opinionem adducat amicos, ut uera de illo exiſtiment. Nam calamitatis alleuamentum deprecari, & ut ſine metu dicere, & ut ſibi pro ſe apud Deum dicere liceat, poſtulare; nempe id illius innocentię, atque integritatis certum eſt documentum. Prope igitur ſic interrogat.

Quanta ſunt peccata mea, & iniquitates meæ? doce me quanam ſint. Quare a me abſconderis? exiſtimaſti autem me contrarium tibi, aut tamquam folium, quod a vento mouetur, vereberis? aut ſicut

feno,

ſeno, quod a vento fertur, aduerſaris mihi? quia ſcripſiſti [1] *contra me mala; circumdediſti autem me peccatis iuuentutis meæ.*

[1] Ambr. obſcripſiſti aduerſus me mala.

Polychr. Hæc ipſa amicorum cauſſa inculcat; ut diſcant eum, qui ſceleris eſt labe adſperſus, Deo tectum eſſe non poſſe. Atque ille, qui cum amicis diſputans dixerat, Scio, quia iuſtus apparebo; idem nunc religiose Deum alloquitur, Doce me, inquit, quorum nam flagitiorum de me ſupplicium ſumas: ubi, quando illa admiſerim, oſtende: nam huius animaduerſionis cauſſam cognoſcere aueo; quorumnam, inquam, erratorum pœnas egomet dem. Quid tandē, Domine, peccata me cęlas mea? meq. aduerſarium tuū arbitraris? Ijs enim, qui in cruciatum dati ſunt, haud leue ſolet eſſe ſolatium, cruciatus cauſſam perſpectam habere. Quamquam hæc ad amicorum opinionem dicuntur. Hi enim, inquit, exiſtimant te mihi aduerſarium eſſe propoſitum; ſcelerumq. a me pœnas lui arbitrantur. Sed tamen nullum te meum ſcelus dicturum eſſe, habeo plane perſuaſum. Et nimirum illud animaduerto, me tamquam hoſtem, atque inimicum uarijs abs te plagis eſſe affectum. Verum qui animum potes inducere, ut me a folio nihil plane diſtantem hoſtem tibi eſſe ſuſcipere? quaſi uero ab homine perinfirmo ullus tibi metus poſſit impendere. Quęro igitur, cur meum uites adſpectum? Cur rerum mearum iudicium in medium proferre recuſes? cur me tamquam hoſte utare, folijs, quę perflante uēto decidunt, longe uiribus infirmiore? Chrys. Scilicet meam, quam ignoras, contemptam atque humilem naturæ condicionem reformidas; cum teneas inter me & frondem, ſtipulamue, quæ quatitur a uento, nihil prorſus intereſſe. Quid igitur eſt, Domine, cur de me eiuſmodi ſententiam tuleris? Illud enim, *Scripſiſti contra me mala*, ideſt, ſupplicij multam, dictum eſt, translatione ducta a regibus ſententiam ſcripto mandantibus. Illud uero, *Contrarius es mihi*, huic par eſt; Tamquam aduerſario ſupplicium irrogas: ut ſi diceret. Quemadmodum herus in ſeditioſum contumacemq. ſeruū, ſic ipſe pro tuo imperio in me ſupplicium conſtituiſti. Vſusq. eſt verbo, *Scripſiſti*, ut quod decet, domino tribueret. Olymp. Vel etiam, *Scripſiſti mala*, hoc ſignificat. Quæcunque mihi ab ineunte ætate peccata ſunt, tu obſignaſti; ne illorum unquam deleatur obliuio. Aeſtuans enim, nec eorum, quę ſibi cōtigerunt, reperiens cauſſam, in omnes partes orationem conuertit. cumq; ęrati illi ſua, quę iam erat abſolutione uirtutis corroborata, nullam ſe labem aſperſiſſe

ſiſſe intelligeret; adoleſcentiæ, pueritiæq. peccata tamen extimeſcebat; ne forte eorum a ſe pœnæ penderentur. Vides, quemadmodum culpæ ſe affinem cognoſcat; ætatiq. ueniam cupiat impetrare; necnon ætatis culpa ſeſe ſontem oſtendere.

A *Poſuiſti autem pedem meum in impedimento.*

Aquila autem, & Symmachus ſic; ille quidem, In miſeria; hic autem, Ligno conſtrinxiſti, expoſuit. Manet in metaphora. Nam, cum dixiſſet, Scripſiſti contra me; pœnamq. pronunciaſti; atque ob ea, quæ in adoleſcẽtia admiſi, me multas, addidit: Malis me propemodum impediuiſti; ſic omnino, ut progredi longius minime poſsim. Quaſi commutatis uerbis ſic loquatur. Scilicet ſtudioſe cunctas uitæ meæ rationes obſeruaſti, non ſecus, quàm faciunt ij, qui compedes inijciunt ſontibus. Verum Aquila ſic interpretatus eſt: Repoſuiſti in lignea compede pedem meum.

Obſeruaſti autem omnia opera mea.

DIDYMI. Nouerat Beatus Iob, qui vitæ præſtabat ſanctimonia, *Pſal.* uere illud a Dauide dictum eſſe, cunctas peccantium iniquitates, 129. nequaquam a Deo obſeruari. Verum, cum cauſſam docere uelit amicos, cur illa patiatur, nempe ad animi exercendam uirtutem, præſentem orationem adhibuit: ac de Deo perinde loquitur, vt ſi illius actiones uniuerſas acri ſtudio, ac diligentia animaduertiſſet, atque expendiſſet: eaq. re doloribus & cruciatibus illum conficeret. Prorſus hoc perſuaſum uolebat eſſe amicis: tantæ calamitatis cauſſam non in peccato ullo conſiſtere, ſed in exercitatione animi, conſtantięq. propoſito ſitam eſſe.

B *Ad radices autem pedum meorum veniſti.*

Hebręus autem, Veſtigia pedum meorum circundas. POLYCH. Ad gręcę interpretationis rationem hoc dicit. Nil eſt in meis actionibus, quod non curioſius perſcruteris: tum cauſſas, tum initia, tum fibras eorum, quę a me in uita aguntur, obſeruas; & tenuiſsima quęque itineris mei ueſtigia indagas: ut me ſupplicio conſtringas; quæ meorum eſt amicorum opinio, peccatorum me pœnam ſuſtinere; & adoleſcentię in me nunc culpas incumbere arbitrãrium. Hebręus autem, Circundas, dixit, id eſt, ęrumnis me circumuallaſti: ut malorum exitum prorſus nullus inueniam. OLYMP. Vide, obſecro, quemadmodum naturę imbecillitatem cum precatione uſque coniungat. Vt cum hominem folio, cum fœno, quod huc, illhucq. iactatur a uento, comparat; cum utris, qui inueteraſcit: cum floris, qui celeriter contabeſcit, cum umbræ, quæ præterit, ſimilem

lem eſſe confirmat. Ergo cum hoc, inquit, homuncione tu, Domine, ſummo iure agis? huius tu hominis omnia reuocas ad calculos?

Qui inueteraſcit ſicut vter.

Duplici ſimilitudine, quarum altera a defluente folio, altera a ſtipula, quæ humoris inopia exareſcit, uentorumq. iactatur ludibrio, petita eſt, humanæ naturæ humilitatem adhuc poſuit in conſpectu. Noua nunc utitur collatione, qua conficit, ante ipſam pœnam naturam imbecillam eſſe eius corporis, quod ſuapte ui diſſoluitur; & quaſi uter uetuſtate conteritur; &, ut interpretatus eſt Symmachus, eſt putredinis ſimile. CHRYS. Rurſus magnitudinem commemorat calamitatis. Rurſus naturæ humilitatem exagitat. Verum quid cauſſæ fuit, ut utrem in medium adduceret? Ideo, quia inanis eſt uter, ſpiritu duntaxat oppletus. Itaque uulgari ſermone contritum eſt, inflatum nos eſſe utrem. Noli igitur, inquit, ſpectare tumorem: noli diſtentum corium intueri; ſed interiora introſpice, ac uidebis, quantum ſit illic inane.

Aut tanquam veſtimentum comeſum a tinea.

Veſtis a tinea conſumpta collatione corporis ægrotationes, ac morbos indicauit; quia non ſecus ac tinea, corpora exedunt, ac circumrodunt.

ADDITIONES IN CAP. XIII.

A *Poſuiſti autem pedem meum in impedimento.*

DIDYMI.

NON ex ſua animi ſententia hoc dicit: uerum ad opinionē aduerſarij, qui ſtatuebat neminem urgeri malis, niſi ob peccata. POLYCHR. In metaphora perſeuerauit. Conſtrinxiſti me, inquit, quodāmodo ærumnis, ut in neutrā partem progredi poſſim.

B *Ad radices pedum meorum perueniſti.*

Nouerat hic Beatus illud ipſum, quod a Dauide ſcriptum eſt, haud ſubtiliter obſeruari peccata delinquentium. Verum ut amicos cauſſam, ob quam patitur, doceat, ait ſua omnia facta a Deo obſeruata eſſe: ut mali acerbitatem intelligant non ad peccatum, ſed ad animi propoſitū, atque ad animū intentione firmandum pertinere.

Pſal. 129.

Mortalis

CAPVT XIIII.

Mortalis enim natus de muliere, breuis vitæ, & plenus ira.

OLYMPIOD. & POLYCHR.

ILLVD, *Plenus iræ*, [1] Aquila, Plenus turbatione, interpretatus eſt, ut doceret eſſe uitã hominis breuem, & perturbatione refertam. Cuncti enim, qui mortales e mortalibus naſcimur, haud longo ſpatio circumſcriptam uitam adepti, uitam perturbationis, tumultusq. plenam ſumus aſſecuti; diuinæq. animaduerſioni, atque indignationi ſumus obnoxij. Hæc dixit, tum ad eorum, quæ forte peccarat, deprecandam ueniam; tum ad humanæ naturæ humilitati miſericordiam impetrandam.

[1] Aquila χλονήσεως perturbatione, agitatione, tumultu.

Aut tamquam flos, qui floruit, decidit: fugit autem velut vmbra, & non ſiſtit.

POLYCHR. Huius ſimile quoque carmen Dauidis ſonuit lyra ſpiritu pulſata diuino. *Homo ſicut fœnum, dies eius, tamquam flos agri ſic effloreſcet:* ac rurſus, *Dies hominis, ſicut vmbra prætereunt*. Pſal. 102. Hic quoque Iobus hominem miſeratus, multiplici collatione humanæ naturæ fragilem condicionem oſtendit; dicitq., etiamſi turgere quis gloria uideatur, atque in huius uitæ florere conuallibus, cum nihilominus breui tempore decidere, atque extingui; &, quaſi umbra uita præter labente, ijs, qui ſuperſtites ſunt, nullam ſui memoriam relinquere. Viden, ut non ſuam innocentiam probando, ſed naturæ abiectam ſortem confirmando, malorum quærat liberationem? Hunc, inquit, ſupplicio affici, & in quæſtionem dari oportebat? ab hoc rationem uitæ repoſci, qui licet ſit hodie, cras non ſit tamen futurus? id enim nutu ſignificat, dum ait.

An & huius rationem habuiſti? & hunc feciſti ingredi in iudicio coram te?

POLYCHR. & IVLIANI. Ideſt, Huiuſmodi hominem imbecillum, ad iudicium, reddendamq. rationem pertrahis? hunc inimicum iudicas? Quidam autem hanc eorumdem uerborum faciũt interpretationem. Tu me ad huius cauſſæ quæſtionem tua bonitate adduxiſti; neque enim huius animalis obſcuram naturam conſideraſti: ſed rationem es illi impartitus; & præceptum dediſti, & te facturum iudicium recepiſti: hæc igitur mihi liberæ orationis

faciunt

faciunt poteſtatem. DIDYMI. Fortaſſe etiam hoc loco diuinam prouidentiam facit illuſtrem; docetq. nec caſu, nec fortuito in uita ſe commorari; uerum decreto Dei, tempori, quod ab eo deſcriptum, conſtitutumq. eſt, dominantis. Neque uero hęc, cum dicuntur, imperanti alicui fato adſcribi fas eſt; ſed in Dei arbitrium dumtaxat referri, certis finibus, menſurisq. ſingula deſignantis.

[a] *Quis enim mundus erit a ſorde? ſed nullus, etiamſi dies una, uita eius ſit ſuper terram.*

CHRYS. Vides, quemadmodum ad naturam ſe rurſus recipiat; atque ad ęrumnę liberationem adnitatur: non ſolum, quia contépta ſit humanæ naturæ condicio: non ſolum, quia perexiguum uitæ ſpacium: non ſolum, quia ſit ægritudinibus, angoribusq. uita conferta; uerum etiam, quia fieri non poteſt; ut quis ſit integer a labe. OLYMP. Quid attinet, inquit, de homine plura dicere? quandoquidem neque hominis procreationem ſine ſorde, ac peccato eſſe cōtingit? Proinde [b] baptizantur infantes, ut macula, quam ex Adami præuaricatione contraxerunt, eluatur. Imbecillam igitur, & ægram naturam noſtram effectam eſſe confirmat, & ad peccatum procliuem, tum ex pręuaricatione Adę, tum ex ipſa uoluptaria procreatione; non ideo, quòd cum noſtra ſubſtantia peccatum penitus coaluerit; abſit. SEVERI.* Ipſa uita ſumitur interdum pro ea, quæ communis eſt omnium uita; interdum pro communi conuictu, ciuiliq. conſuetudine, humanisq. functionibus, atque muneribus uſurpatur. Ita eum, qui uirtutum exequitur munera, optimam uitam uiuere dicimus. Quod igitur a Iobo dictum eſt, non de communi uita, & qua peræquè cuncti fruuntur, dictum eſt, quæ id largitur omnibus, ut e matrum uteris egreſsi uitalem hunc aërem hauriant, & uitam alimentis tueantur; uerum ad illam alteram uitam pertinet, quæ in agendo uerſatur; quæ aut eſt uirtute, aut uitio inſignis: ad illam, inquam, conſuetudinem uitæ, diſciplinæq. rationem, quæ, cum fuerit legitimam nacta ætatem, Deo iudici ſeſe ſiſtat oportet, ut digna eī merces, aut pœna perſoluatur. Idq. cum Iobus ſignificare uellet, apertius, antea dixit, *Et hunc ingredi feciſti in iudicio coram te*. Porro infantium uita in iudicium non uenit. Dicit igitur, Eſto, inquit, unum diem quis manſerit in uitæ politia, magnis etiam itineribus ad uirtutem contenderit, prolapſionem tamen haudquaquam uitauerit; neque a labe peccati integer uidebitur, ſi tuum ſubeat iudicium: quandoquidem, aut agendo, aut cogitando labitur. Cum autem dicit, *Super terram*, eos refellit,

a Peruagatiſsima ſententia, & veterum Patrum ſcriptis percelebrata; quã in Latinis Biblijs nuſquam reperias. Qua ſententia, tum parentalis labes plane conuincitur; tum Pelagiana hæreſis funditus euertitur.

b Animaduerte neceſsitatem Baptiſmi ad peccatum ex Adamo contractum delendum.

* Seueri interpretatio a probabilitate eſt quàm remotiſsima: quia a communi Patrũ expoſitione atque ſententia hunc Iobi locum identidem uſurpantium, eſt nimis lōgeq. diſiuncta. Adde. Quod Seueri Cōmentarius Iuſti Iobi ſententiam uerbaq. peruertit. Is enim de uita infantis, & de ea, quæ unius diei eſt, loquitur planiſsime. At eiuſmodi infans ciuilem uitam, & quę in actione conſiſtit, uiuere nequit.

fellit, qui fingunt hominum animos ante fuiſſe, & ſcelere commaculatos in terras delapſos eſſe. Atqui Iobus non ante terras, ſed in terris animos commaculari teſtatur.

Numerabiles autem menſes eius apud te: in tempus poſuiſti, & non tranſgredietur.

POLYCHR. Qui diem, inquit, uixit, moritur. Illud autem, *Menſes apud te definiti ſunt*, ideſt, tempus aſsignatum, hoc ſignificat, hunc plane moriturum: atque id, quod debet, perſoluturum. Huc enim ſpectat & illud, *In tempus poſuiſti, & non tranſgredietur*. IVLIANI. Ideſt, mortis neceſsitatem is uitare non poteſt. Confectis enim periodis, quas uniuſcuiuſque uitæ æqua Dei prouidentia deſcripſit, mors incurrit in omnes. [a] Nam, qui nos finxit, atque animauit Deus, certam cuilibet animæ ſtationem commorationemq. in uita conſtituit; nec paria cunctis decedendi ſpacia atque momẽta aſsignauit. Quoſdam enim uoluit animos diuturnius cum corpore habere commercium: alios autem eiuſdem corporis uinclis expediri celerius; idq. ex arcanis ſapientiæ, iuſtitiæq. ſuę rationibus.

[a] *Quod hoc loco docet Iulianus, Baſilius ſcriptum reliquit in oratione de morte, atq; Athanaſius in Apologia de fuga; & Didymus in expoſitione cap. x. in hac ipſa Catena.*

Recede ab eo, ut quieſcat, & uitam iucundam habeat, ſicut mercenarius.

Vſque eo contemptam & breuem uitam miſericordia, Domine, complectere, atque eam ſupplicio ſubducito; ut tamquam mercenarius, qui poſt multos labores paullum nactus eſt laxamenti, conquieſcat. CHRYS. Eſt in nonnullis exemplaribus, Recede a me; ut quieſcam; & complaceat mihi uita mea, ſicut mercenario. Rurſus igitur uitę breuitatem, difficultatem, miſeriamq. palam obijciens, dicit, Me ærumnis, laboribusq. confectum iube quieſcere. POLYCHR. Intermitte aliquando hoc meum ſupplicium; ut, ſi minus priſtinas fortunas, & gloriam teguſtaro, ſaltem mercenarij relaxationem aſſequar: illius enim labores ſunt moderati: &, ubi dies præterierit, ad quietem proficiſcitur: at mali mei calamitas inducias facit nullas. Cum autem dormitum iero, dico, Quando dilucefcet? rurſus, cum ſurrexero; Ecquando aduefperaſcet?

Eſt enim arbori ſpes, ſi cæſa fuerit, etiam florebit, & ramus eius non deficiet: ſi enim ſenuerit in terra radix eius, ſi autem in petra morietur [b] *Rhadamnus*

[b] *Radamnus de quo ante.*

nus eius: ab odore autem aquæ florebit, faciet autem meſſem, ſicut noua planta. Homo autem, poſtquam mortuus eſt, abijt: poſtquam autem cecidit mortalis, non amplius eſt.

Olymp. Verumenim quàm ipſarum plantarum eſt hominis condicio deterior: illæ enim, quamuis abſciſſæ fuerint, poſſunt tamen reuireſcere, & renouare ramos, & *meſſem*, id eſt, fructum ferre, aquarum humore irrigatæ. Homini autem ſemel extincto, nulla eſt ſpes reliqua: prorſus enim interit; nec reuocabitur; neque ad uitam redeundi rurſus datur illi poteſtas. Chrysost. Qui hic in terris uitam egerunt, illuc ſunt migraturi: qui uero illam ſortiti ſunt ſedem, nequaquam huc remigrabunt. Polychr. Merito igitur quietem ipſe exſpecto: quandoquidem poſt mortem omnis boni potiundi ſublata eſt exſpectatio. Atque arbores, etiamſi quis eas præciderit, fetus nihilominus rurſus edunt: (*Rhadamnum* enim hoc loco ipſum ramum dicit, qui poſt inciſionem natus eſt, & auctus) uerum hominem nulla ſpes eiuſmodi manet. Hæc ideo adfert luſtus; vt quanta naturæ noſtræ ſit humilitas, oſtendat: ſiquidem arbor, licet tempore conſenuerit, prorſus deleta ſit, cum exaruerit: irrigatione tamen ad ſua primordia reuocatur: homini autẽ ſemel abeunti, pedem referre non licet. Sciendum autem eſt, Hebræum non, *In petra*; ſed, In cinere, habere; nimirum ad uerſũ proxime ſuperiorem, & ad rei naturam accommodate: Aquila autẽ, In puluere, Theodotio; In humo, dixit. Vim etiam ſermonis Hebraici complexi, pro Rhadamno *κορμός, truncus*, interpretati ſunt. Rurſus Græcus, *Meſſem faciet*, dixit, a fine atque perfectione ducta interpretatione. Hebræus autem rem ipſam ſpectans, Fructum faciet, dixit. Sed tamen utrobique eadem ſeruatur ſententia. Si igitur, qui in terra ſenuit, truncus, quaſi recens planta aquæ odore reuireſcit; prorſus uериſimile eſt, eos, qui Spiritusſancti poteſtate excitabuntur, ad eam immortalitatem naturæ, quam eramus adepti, innouari, & more plantæ recentis, meſſem adferre, quamuis ſimus ad ueteris hominis condicionem delapſi.

A 11. *Tempore enim* minuitur mare, fluuius autem derelictus exaruit, [a]Homo autem ſopitus non amplius ſurget, neque euigilabunt e ſomno ſuo.*

1 Symmachus his uerbis, *Tempore minuitur mare*, reddidit illa: Si-

* σπανίζεται. *ita August.*

a Ante ea verba Homo autem ſopitus, in nonnullis codicibus ponuntur hæc verba. quouſque cælum nõ conſuatur, quæ tamen abſunt Cat. Card. Caraffæ, Pinelli & Codici D. Amb. ex edit. 70. Sed tamen leguntur in Commentario Græco, quem Latinum fecimus, & in Biblijs Vaticanis nuper impreſsis.

cut aquæ effluunt e mari. Huiuſmodi autem eſt ſententia. Quemadmodum aqua, inquit, quæ fluit e mari, cuiuſmodi illa eſt, quæ a Ponto digreditur; & quemadmodum ſiccatus fluuius, ſeu, ut habet Hebræus, torrens; ſic, qui mortuus eſt homo, obſcurabitur: & donec inueteraſcat cęlum, conſiſtatq. uniuerſum, ideſt, uſque ad conſummationem, non conſuetur, ideſt, non coagmentabitur. Conſutionem autem dixit ipſam ſeriem iunctionum, quibus membra tenentur. Verum, cum cęlum nullius ſit interitus, nullius uetuſtatis capax, propterea quòd illud indiſſolubile fabricatus eſt, profecto nec illud umquam continget, ut aut homo reuocetur ad uitã, aut expergiſcatur. CHRYS. Sed fortaſſe, quemadmodum ſupra docuit, hominem plantis celerius interire, ita nunc mari & fluuio uitã illius breuiorem eſſe oſtendit. Neque enim, aut mare, aut flumẽ diiungitur, homo uero id uitare non poteſt. Atque utinam id nobis daretur hominibus, ut moreremur, ac rurſus ad uitã reuocaremur. Verum enim fieri hoc non poteſt. Mare quidem nunc minuitur; poſt autem rurſus impletur; modo creſcit, tum autem decreſcit; & fluuii modo ſiccantur, tum iterum fluunt. Homo autem, cum ſemel eſt mortuus, ad uitam haud amplius reuertitur. Et quidem de uerborum ſententia hactenus. Quod uero ad allegoriam pertinet. Arbori ſpes eſt, ideſt, homini: hic enim, ſi forte peccauerit, eumq. pœnituerit, & in petra, ideſt, in religioſa fide conſtiterit, aqua regenerationis, lacrymiſue pęnitentiæ reuireſcet, fetusq. progignet: qui uero cum peccato, & ſcelere uitam dimiſerit, nil ei bonæ ſpei remanet, ac tempore, quòd conſequitur, ipſum peccatum, quod mare dicitur, exterminabitur; diabolus uero, illiusq. tẽtationes exareſcent, quę quidem minime delentur; quandoquidem reſurrectionem exſpectant.

B *Vtinam in Inferno me cuſtodiſſes; abſcondiſſes autem*
C *me, donec requieuiſſet ira tua; & conſtitues mihi tem-*
D *pus, in quo recorderis mei. Si enim mortuus fuerit ho-*
E *mo, viuet, poſtquam conſummauerit dies vitæ ſuæ.*

Cauſſam exponit, cur optet interitum; docetq. merito ſibi eſſe optabilius, ex hac uita migrare, quàm in tam luctuoſa uita commorari. Vtinam, inquit, me non uiuentem conſumpſiſſes, aut certe mortuum uacuum dolore ſeruaſſes. Vtinam tantiſper, dum mihi iraſceris, in Inferno cuſtodiſſes; nec plane te mei cępiſſet obliuio. Verumtamen conſtituiſti tempus, quo me, quoniam tua prouidentia

tia

tia comprehēdiſti, malis exſolues: ſi enim, uitæ exactis diebus, mortuus fuerit homo, non idcirco abit in nihilum, ſed animo uiuit, reſurrectionem exſpectās. Quamquam horum uerborum, *Si mortuus fuerit homo, viuet*, hanc item meditari quis poteſt interpretationem: ut ijs ſignificari dicat cruciamentorum liberationem. Nam qui non uiuit, nihil ſentit, nihil dolere poteſt.

F *Exſpectabo, donec rurſus exiſtam.*

a Aquila & Theodorio, Donec ueniat immutatio mea: Symmachus, Donec ueniat ſancta * generatio mea.

Deinde vocabis, ego autem audiam te.

OLYMP. Sententia eſt huiuſmodi. Si in Inferno ſeruatus fuero, nihilominus regenerationem, præſtantioremq. immutationem exſpectabo. Cum uero ipſe mortuos iubebis reſurgere, ego audiā. Hinc etiam docet, in ictu oculi futuram eſſe reſurrectionem.

a Aquilæ, & Theodotionis interpretationem ſecutus eſt Hieron.

* φύσις crediderim hoc loco, nō pro natura, ſed pro generatione uſurpari.

G *Opera autem manuum tuarum ne projicias. Nu-*
H *meraſti autem ſtudia mea, & nihil te præterijt peccato-*
I *rum meorum; obſignaſti autem & peccata mea in * marſupio; adnotaſti autem, ſi quid 1 inuitus trangreſſus ſum.*

Ideo ſeruari, inquit cupio, quia ad tuarum manuum opera pertineo: nullam ad te iuſtitiam meam allego; neque, ut a me circumuenjaris, fieri poſſe confido; nec enim aut uirari, aut falli tua poteſt cognitio, tibiq. ſunt uitæ meæ greſſus dinumerati; nec quidquam rerum mearum te latet: uerum earum omnium tū genus, ac itim, tum numerum tenes. Illas, inquam, enumeraſti, & inueſtigaſti; atque in ſacculum propemodum ſcelera mea congeſſiſti & obſignaſti: ſic, ut nullum pereat omnino; ſed ut de omnibus ſupplicium ſumas. Atqui ipſius perinfirmæ naturę lapſus abs te cōtemni oportebat; quod certe minime feciſti: immo uero ſubtiliter, ac ſedulo ſingula peruerſtigaſti; & eorum, quæ nec * uoluntate a me peccata ſunt, pęnas etiam expetiuiſti; perinde quaſi omnia in commentarium retuliſſes. Hæc uero eo ab illo dicuntur, ut precibus id a Deo contendat, ne noſtra uelit exquirere diligentius; nos etiam ut doceat, nil eſſe in rebus noſtris, quod non ſub Dei adſpectum, contēplationemq. cadat; ſiue id certo conſilio, ſiue nulla uoluntate ſuſceperimus. * Illud item ſignificauit, eorum etiam, quę non uoluntaria ſunt, nos rationem reddituros.

* Sacculo Ambroſ.

1 Imprudens dici etiam poſſet. Sed, Inuitus Auguſt. Inſcius Ambroſ.

* Non uoluntate peccaſſe hoc loco, eſt aut non animi prauitate, peccaſſe; ſed aut inſcitia, infirmitate ue naturæ: aut non certo cōſilio aliquid admiſiſſe: ſed per incuriam, quæ tamen uitari potuerit, atque debuerit.

* ἐπισήμηνε δὲ ὅτι καὶ τῶν ἀκουσίων ὑφέξομεν λόγους.

Veruntamen mons cadens decidet: & petra inueteraſcet in loco ſuo: lapides exterunt aquæ: & obruerunt aquæ ſupinas moles terræ: & [1] *patientiam hominis perdidiſti.*

[1] Patientiā Auguſt exſpectationem Ambr.

Olymp. Sapiens Iob promit ænigmata; maxime quod pleraq; ænigmatis inuoluta ab amicis dicta cognouerat; atque illa tamquā ſapiens fuerat aſſecutus. Mente autem nequaquam diſtracta doloribus, interim in mediis philoſophatur ærumnis. Ita precari Deum uidetur, ut calamitates ne producat lōgius, ne forte [a] fractus animi contentionem remittat. Si enim mons, inquit, & ſaxum uetuſtate confecta cadunt; & aquæ continenter influentes firmiſsimos lapides comminuunt; terræq. eminentes aggeres, & excelſos aquarum impetus obruit, & abripit; ſane illud etiam mihi uerendum eſt, ne, ſi nulla fuerit malorum intermisſio, trahaturq. lōgius, aut aliquid, quod minime cupio, agam; aut etiam in malorum perpeſsione animum plane demittam, atque deſperem: Illud autem *Patientiam hominis perdidiſti,* (pro quo Symmachus, Vniuſcuiuſque uiri exſpectationem perdis, interpretatus eſt,) hanc uim habet, hominem abſque cæleſti ope nihil eſſe omnino; nec tentationum imbres poſſe perferre. Polychr. Illud etiam fortaſſe dicit, * montes quidem, ubi ceciderint, manere; & petram ſeneſcentem non omnino deleri: hominem autem deleri funditus & interire; nec quidquam reliquiarum eius manere. Quod ipſum deinceps plane oſtendit.

[a] *Locus reſtitutus ex Cat. Vinc. Pinelli.*

* Hæc Iobi uerba non ad humanæ naturæ interitum, & *ἀνύπαρξιαν*, ſed ad interitum memoriæ, obliuionisq. perpetuitatē referenda ſunt: nec enim hominis natura funditus interit: quamuis eius memoria extinguatur omnino. Quis enim fingat de immortalitate animi Iobum dubitauiſſe?

[1] *Proieciſti eum in finem; & abijt: adieciſti ei faciem, & dimiſiſti.*

[1] *ὦσας.* Impuliſti Ambr expuliſti.

Olymp. Rurſus hominis nihilum, ſi is cum Deo conferatur, lamentis proſequitur; uitæq. breue curriculum ad precationem, obſecrationemq. uſurpat. Vt igitur a uento puluis, aut res quæpiam leuiſsima, in quamcunque partem impellitur; ſic te tantummodo impellente, aut minaciter adſpectum torquente, acicmq. acriter intendente, homo amandatur & euadit, ideſt, moritur, nec apparet uſpiam. Nam uerbo illi, *Dimiſiſti,* hæc eſt ſubiecta ſententia, A te illum alienum eſſe declaraſti, & ablegaſti.

Mul-

Multi autem cum fuerint filij eius, neſciuit; & ſi pauci fuerint, ignorat: ſed tamen carnes eius doluerunt, anima autem eius ingemuit.

Polychr. & Olymp. Luctuoſam, inquit, uitam traducit: & cum impendẽtem mortem ſemper exſpectet, animi ægritudine cõficitur. Homo autem in animi doloribus, gemitibusq́. ſpiritum ducens ex iis, quæ poſt eum futura ſunt, quam tandem capiat utilitatem? Quæ enim & quanta poſt eius interitum ſobolis progreſſio fuerit; & cuiuſmodi generis propagatio, puſilla, an ampla, ignorat. Tacite uero nos illud admonet, ſpecioſam, copioſamq́. ſobolẽ haud magni fieri debere. Nam morituro nihil iſtorum fructum adfert; præſertim cum unuſquiſque ſibi, non alteri uiuat.

ADDITIONES IN CAP. XIIII.

A *Tempore enim rareſcit mare, & fluuius deſertus exaruit.*

POLYCHR.

Hebræus effluunt aquæ ex mari; nec ſecus uita euaneſcit. Huiuſmodi eius eſt dictum. Sicut ſublatus fluctus non conſiſtit, ſed diſsipatur, ſic hominum uita. Fluuius autem &c. Hebræus, Torrens. Vt Torrentis more doceat res humanas interire.

B *Vtinam in Inferno me cuſtodiſſes.*

Polychr. Vtinam me nimium haud tabefeciſſes: ſed mortuum ſine dolore cuſtodiſſes.

C *Abſcondiſſes autem me.*

Ivliani. Vereor enim ne quæ nunc patior, eorum quæ illic manent, ſint antegreſsiones.

D *Si enim mortuus fuerit homo, uiuet.*

Didymi. Non immerito ex hac uita migrationem uitæ, quæ aſperis urgetur doloribus, anteponit; præſertim cum de mortuorum reſurrectione, nequidquam dubitet, ſciatq́. melius eſſe diſſolui, & eſſe cum Christo dicatq́..

E *Si mortuus fuerit homo viuet, cõfectis diebus vitæ ſuæ.*

Ex quo dogma fit de reſurrectione illuſtre, nec non iudicium, quod in extremis ſęculis fiet de uita uniuſcuiuſque; nec enim in terris mors caſu contingit hominibus.

F *Exſpectabo donec rurſum exiſtam.*

POLYCHR. Hoc eſt ſpe futurorum bonorum me ipſe ſuſtento, atque in pręſenti plagas perfero.

G *Opera manuum tuarum ne deſpicias.*

DIDYMI. Cum demoſtrauerit totius hominis reſurrectionem, animęq. immortalitatem, nunc admonet amicos ne putent ſe a Deo eſſe contemptum.

H *Dinumeraſti mea ſtudia.*

DIDYMI. Hæc effert Deum ſupplex obteſtans; ut ne acrius noſtra uelit exquirere, & quaſi incluſa ſacco obſignare. Nos uero docet nihil in rebus noſtris eſſe, quod Dei notitiam numquam errantem poſsit effugere, ſiue certo conſilio, ſiue haud uoluntarie quidpiam geſſerimus.

I *Obſignaſti in ſacco iniquitates meas.*

DIDYMI. Ideſt cuiuſmodi eæ, & quantæ ſint perceptum habes. POLYCHR. hoc dicit: eorum etiam, quæ nec uoluntaria ſunt, pœnas expetiſti.

K *Adieciſti ei faciem, & dimiſiſti.*

Pro eo, cum a te alienum oſtendis. Noſtra igitur natura, inquit, eſt huiuſmodi; malorumq; perpeſsioni ſingulis momentis propoſita, quòd ſi qui peccatum admittit, ei graui coniectu oculum adieceris, cum funditus perdes.

CAPVT XV. PROTHEORIA CAPITIS DECIMI.

Reſpondens autem Eliphaz Themanites ait.

OLYMPIODORI.

QVONIAM his uerbis orſus erat Iobus dicere; Nũquid uos eſtis homines? aut uobiſcum finem habebit ſapientia? etiam mihi cor eſt, ſicut uobis. Idcirco his ſtatim occurrit Eliphazus; atque huiuſmodi habet cum Iobo ſermonem.

ſermonem. Numquam videlicet ſapientes ſuam oſtentant ſapiētiam, ut tuipſe feciſti. Atqui nihil neceſſarium attuliſti, cur nil trepidans uiderere. Nam dic, amabo te, utrum ipſe ætate cunctis hominibus antecedis? aut uero ante hanc rerum uniuerſitatem cōditam extitiſti? aut es a Deo ſuæ ſapientiæ ſacris, præceptisq́; imbutus; ut tantam tibi arroges ſcientiam? Illa uero audacia uerba qui tibi tandem exciderunt? Irreprehenſibilis ſum, & iuſtus apparebo? quando nec Angeli; nec cęlum, nedum homo, qui impurus eſt, puritatem, munditiam ue tueantur, ſi cum Dei puritate illorum contendatur? Priſcam igitur, ueramq́; diſce ſententiam, ob peccatum hominibus irrogari ſupplicium. Poſtea ea, quæ impijs pariter contingunt, exequitur. Sed nimirum, propter peccatum affligi afflictari homines ærumnis, uere dicitur, quamquam perpeſsionis malorum non ſit ea cauſſa perpetua; ſit enim interdum, ut ad exercendam, comprobandamq́; uirtutem homines frugi calamitatibus implicentur. Itaque, cum ad ſua uerba Eliphazus nullam diſtinctionem adiunxerit, nullumue diſcrimen; Iobo, quem in eorum numerum, qui ſua culpa patiuntur, aggregarat, nouam plagam inflixit. Et illud conſidera; quanto cum decoro a Iobi amicis diſputationes ſermonesq́; habeantur; ut, uno dicente, reliqui ſileant; ut alter alteri uiciſsim ſermonem tradat; ut non ad inanem ſpeciem orationem, expromant; ut ſinguli eius orationis, quam prior ali-
1.Cor. *quis orſus fuerat, exitū expectet. Hoc ipſum Paulus iis, qui in*
c.14. *Eccleſia prophetant, faciundum præcepit: cum illis ipſis loquendi ordine, & ne qua in rebus, quæ dicuntur, perturbatio inſit, imperauit. Rurſus igitur Iobo reſpondet Eliphazus: propterea quod is primum eſt Iobo aduerſatus; deinde Baldadus: ad extremum Sopharus. Itaque ſermonum uiciſsitudinem, ordinemq́; perſequens Eliphazus, iterum iis, quæ a Iobo dicta ſunt, reſiſtit, dicitq́;.*

A *Numquid ſapiens reſponſum dabit [1] ſapientiæ ſpiritum? Et impleuit dolorem ventris, arguens in verbis, quibus non oportet, & in ſermonibus, quibus nulla vtilitas.*

[1] Ambr. intellectus ſpirit⁹, haud ſcio quam recte.

Chrysost. Idcirco protinus Eliphazus eum percellit, quia Iobus dixerat; Etiam mihi cor eſt, ſicut uobis, & non ſum inſipientior uobis. En, inquit, is qui ſapiens eſt, & qui cuncta noſſe ſe iactat, cuiuſmodi reſpondeat. *Impleuit dolorem ventris,* ideſt, Verba dicta ſunt ad ægritudinem leniendam: Is autem morbo, perturbatione q. tumet. Olymp. Hęc autem ad Iobi reprehenſionem ualent: duoq. in eo reprehendit; unum eſt, quod minime, inquit, ſapienter feciſti: qui enim maxime ſapiens eſt, is ad glorioſam oſtentationem haud ſuam præſefert ſapientiam. Alterum eſt, quod, quæ nos propemodum refellens, & quaſi cauſſa ueritatis patiens, & mentis uentrem impleturus (id enim ualet, *Impleuit dolorem ventris*) attuliſti, ea ſcilicet ſtulte, non fructuoſe, non quemadmodum decebat, attuliſti. Quæ ſane omnia uitat ſapiens. Immo uero omnia ſecus molitur. Nam & prudenter reſpondet, & quamuis æmulatione ueritatis inflammatus, dolore ardeat, & redarguere nõnullos oportet, inutiles tamen, incommodoſq. ſermones, quibus uentris dolorem expleat, minime expromit; neq; aſpera utitur diſputatione, ad mentis ſuæ æſtum, laboremq. anxiũ exſaturandum; id quod ipſe feciſti.

Nonne tu repuliſti timorem?

(Pro quo Theodotio. Nonne tu recuſaſti timorem?)

Conſummaſti autem talia verba coram Deo?

Symmachus autẽ, Nullo * pudore locutus es corã Deo. Olymp. Licẽtia, inquit, atque audacia uſus es; & ſine metu aliquo dixiſti, a Deo iudicari te uelle, & cõtra Deũ audacter locutus es, nihil ueritus, Dei, tuæq. naturæ diſcrimine ignorato. Hæc pietatis ſtudio, quaſi Deo patrocinantes, Eliphazus, eiuſq. ſocij dicunt; ideo fortaſſe, quia Iobus incorrupta cõſcientia fretus, ſermone apud Deum utebatur confidentius, eaq. re impia ab eo iactari maledicta ſuſpicabantur.

* ἀνίδως, ſine pudore, improbe, temere.

B *Reus es uerbis oris tui: non diuidicaſti uerba potentum: arguat te os tuum, & non ego: Labia autem tua teſtificentur contra te.*

Polychr. & Olymp. Audacter hominem alloquitur, & ue-

rò non tamquam hominem iuſtitia præditum : non tam ex meis, inquit, quàm ex tuis uerbis condemnaberis. Noſtram enim adhortationem haudquaquam admiſiſti, quæ ipſa vſque eo utilis erat. Nec eorum, qui ſapientia pollent, uerba aut conſideraſti, aut iudicaſti; nec priſcorum ſapientum, nec amicorum tuorum. Eiuſmodi tua fuit oratio; ut ea tantum condemnare te debeat; nihil præterea. Ea, quæ dixiſti, aut etiam rerum ipſarum uim intuere: nimirum contra te ipſe pronunciabis; ea, quæ ſunt a ratione quam remotiſſima, auſum te fuiſſe dicere. Dupliciter igitur illius orationem refellit, tum a tempore, tum a ſapientia, dum ait.

Quid enim? numquid primus hominum factus es? aut ante [1] *colles concretus es? aut* * *conſtitutionem Dei audiſti? ad te autem peruenit ſapientia? Quid ſcis, quod non ſciamus? aut quid ſapis ipſe, quod non etiam nos?*

[1] θινῶν arenarũ aceruos. Aug. ante montes concretus. Amb. ante colles inductus es. Rectius Aug.
* σύνταγμα.

OLYMP. An tu ante res omnes, ante cõditam naturam extitiſti? ut propter tempus ſis cunctis ſapientior? CHRYS. Num ipſe ætate cuncta præcurriſti? ut ipſa te longinquitas temporis erudierit? aut etiam a Deo audiſti? ſane re nulla ſuperior es nobis intelligendo. Quia enim Iobus dixerat, In longo tempore inuenitur ſapientia. POLYCHR. Teneris igitur, inquit; nec enim tempore cunctis mortalibus antecedis. Ac, licet ad hanc diem uixeris, ut multarum rerũ uſu tuos æquales facile uincas; inter homines tamen haud tantopere excellis, ut ab iis ſis natura ſeiunctus; ac plura, quàm ceteri perdidiceris. Neque ante montes concretus es. Montes hoc loco dicit, quę edita ſunt, prærupta & arenoſa loca. Hebræus pro *Concretus es*, habet, Conceptus es. *Aut conſtitutionem Domini audiſti*, pro quo Aquila, Arcana; Theodotio, Myſterium; Symmachus, Sermonem interpretatus eſt. Non ſecus, quàm ſi diceret. Num ea, quæ ante mundi molitionem fuerunt, ſunt tibi percepta; perinde quaſi ante colles fueris ipſe procreatus? An etiam te Deus uſus eſt conſiliario, quandoquidem in iſta tua ſapientia tantopere tibi places? Profer aliquid, quod ſit nobis ignoratum: doce te nobis eſſe ſuperiorem. Quid tandem noui cognitum habes, quod non ſit nobis peræque perſpectum? In rebus humanis, & quæ in medio ſunt, quid amplius, quàm nos, poſsis ipſe adferre, haud ſane habebis. Hæc idcirco illi dicunt; ut ſuæ ipſi perfectæ ſcientiæ fidem adiungant. DIDYMI. Cum in ſermone Iobo inieciſſet Eliphazus,

ea

ea eſſe Dei iudicia, quæ perueſtigari non poſsint; hac re una Iuſto perſuadere ſe poſſe putauit, ob ſolum peccatum illum ærumnoſe uexari: eratq. Eliphazus ob idipſum obnoxius culpæ; quandoquidem nec ſibi erat Dei conſtitutio audita; neque ad ſe delapſam habebat ſapientiam, quæ eum erudiret, cur pateretur Iuſtus, nullam eſſe cauſſam aliam, niſi peccatum. Nec mirum, ſi ab Eliphazo Iobus in ceterorum hominum ordinẽ redigatur, cui haud erat uiri excellens ſpectata uirtus. Quamobrem de hominis frugalitate ſecus exiſtimabat.

Et quidem ſenex, & antiquus in nobis, grauior patre tuo diebus.

OLYMP. Quid ais, inquit, tempore te doctum eſſe? nempe in nobis tribus fuerit fortaſſe aliquis, qui non te ſolum, uerum etiam tuo patre ſit ætate prouectior; ſeu, Symmacho interprete, tempore diuturnior. Aut igitur hoc dicit. Si tempus glorioſe iactas, nec nobis deſunt antiqui. DIDYMI. Aut etiam illud fortaſſe: Quamuis ipſe inter nos, tanquam ſenex, atque ætate ſuperior, atque adeo patre tuo grauior, *id eſt ſenior* uerſere; nil tamen, quàm nos, plus ſapis. Et hęc quidẽ interpoſita auctoritate arrogãter loquitur Eliphazus.

Paucis, præ ijs, quæ peccaſti, multatus es.

CHRYSOST. Quia Iobus dixerat; Quæ nam ſunt peccata mea, doce me; ideo criminum turbam illi exprobrat Eliphazus; dicitq., Scito, ſi tuorum peccatorum, ſuppliciorumq. ſit facienda contentio, leui te ſupplicio affectum eſſe, nec pœnas erratis dignas adhuc dediſſe. Cumq. cum Iobo certis criminibus nequaquam congredi poſſet, ad hominis condemnationem eiuſdem uerba conatur arripere, dum ait.

Valde [1] exceſſiue [2] locutus es.

[1] Ambroſius ſupra modum.
[2] *Ita &c. Polychronij ex Catena Pindli.*

Hoc dicit. Quia noxa teneris, ideo pœnam ſuſtines: ſed, quoniam, cum iſta toleras, iniuſtitiæ culpam Deo affingis; ideo ſcelus eſt tuum grauius: ita, cum audaciæ in Deum pœnas abs te dari oportuiſſet, nihil tamen es paſſus, Dei patientia atque clementia nefarium maledictum tuum ſuperante. Ferme hæc eſt Eliphazi oratio. Sceleris te pœnitere, & modeſtiorem eſſe oportebat: at ipſe audacter cum Deo diſceptare es adorſus. Etenim, cum de eo, perinde ut de aliquo peccatis obnoxio, exiſtimarent; & ſermones, qui ab illius incorrupta mente proficiſcebantur, accepiſſent, audaciam uide-

uidelicet, intolerandamq. arrogantiã hanc eſſe arbitrabantur: ſtulte illi quidem, atque adeo inſipienter. Quamobrem Eliphazus ait.

Quid auſum fuit cor tuum?

Pro quo Symmachus, Quid eleuauit cor tuum? POLYCHR. ideſt; Quid tandem non cohorruiſti, cum uel Dei iudicium cogitaſti?

Aut quid [1] *ſuſtinuerunt oculi tui, quia furorem rupiſti coram Domino? eduxiſti autem ex ore uerba talia?*

1 ὑπήνεγκαν. Ita etiam Aug. Ambroſ. tulerunt.

POLYCHR. Non modo cogitare es auſus, ſed etiam, aduerſis oculis in Deum coniectis, es audacter locutus; omnemq. ſtomachum in Deum erupiſti; nullaq. uerborum lenitate adhibita, uocẽ iracundiæ plenam miſiſti; ac ſumma uerborum grauitate es uſus; quando rebus tuis geſtis innocentiæ, & integritatis teſtimonium dabas. DIDYMI. Incredibilem orationis fiduciam ab animi integritate profectam, iracundiæ impetum illi eſſe credebant. Id autem illis accidebat, propterea quod hoc putrido nitebantur principio; probabilem, rationiq. conſentaneam dicendi libertatem impium eſſe conuicium. Idcirco ait. Quid tantum es facinus auſus, ut & in Deum aduerſum torqueres obtutum? & quaſi ſuccenſens illi, huiuſmodi loquerere? OLYMP. Vel etiam oculos animi aciem, & intelligentiam dicit. Qua, inquit, ratione es auſus, animum uſque eo efferre, ut iratus, & quaſi iniuſta ferens, cum Deo diſſereres? quaſi uero nullius ad te culpæ contagio pertineret?

Quis enim mortalis exiſtens, erit irreprehenſibilis?

Theodotio autem. Quid eſt homo? aut tamquam futurus iuſtus, natus de muliere? POLYCHR. Hebræus autem. Quomodo iuſtificabitur proles mulieris? ut ſi diceret. Ipſa natura perturbationibus obnoxia, eſt ad peccatum procliuior. DIDYMI. Proprium eſt hominum uirtute carentium, illius adeptionem moleſtam, arduamq. exiſtimare; ita etiam animo affici, ut illam ipſam a nemine haberi propemodum credant. Quiddam huiuſmodi hic ipſe Eliphazus præſefert, errorem, ut credibile eſt, a corporis imbecillitate aucupatus. Quis enim, inquit, homo cum ſit, poteſt omni uacare culpa atque reprehenſione? aut id etiam in ſe recipere, ſe iuſtum futurum? id quod ubi ipſe arrogas.

Si

Si in Sanctis non credit : cœlum autem non eſt mundum ante eum : deſine autem abominabilis , & immundus bibens iniuſtitias quaſi potum .

Symmachus autem . Ecce in Sanctis eius nullus immutabilis ; neque cœlum incontaminatum ; quanto magis homo ? POLYCH. Attende, inquit, num quis hominū aliquando nulla macula aſperſam uitam traduxerit : quandoquidem nec illos priſcæ ſanctimoniæ uiros, Abraham, & Moyſem, extra reprehenſionem reliquerit : nam Abrahæ, & Moyſi uiſus eſt Deus iraſci . Qua fronte igitur iuſtitiæ abſolutionem ipſe iactas : ſi quidem non ſolum Sancti, uerum etiam cetera omnia, quæ ab omni malo ſecreta eſſe uidentur, ſtatus ſui quandam mutationem admittunt ? Neque uero peccatum aliquod in cœli natura collocat : uerum illud conatur oſtendere, unius Dei naturam eſſe tantummodo immutabilem, atque illum unum mundum eſſe. Atque idcirco dixit, neque cœlum mundum ante eum ; quamuis enim natura ſit ſplendidum ; tamen ſubeuntis nubis oppoſitu uis lucis eius occulitur. Quod ſi nec Sāctos, nec Angelos, nec homines omni errore liberos reperire fas eſt ; ſi nec cœlum ipſum ſuum ſemper tuetur nitorem ; ſed eius puritas, ſi cum puritate Dei conferatur, ſit & uideatur impura ; an non is homo audax fuerit, qui in ſuarum actionum caſtimonia gloriatur ? Quid porro de eo dicemus homine, qui deteſtandus eſt, & impurus ? qui, ut ea, quæ potantur, flagitia exſorbet ? Quod ipſum propter eos dixit, qui ſponte, certoq. iuditio peccant, nulla re aduerſa, nulla neceſsitate coacti ; ſed uoluptatis tantum adducti libidine, non ſecus quàm is, qui ſitiens bibit . Illud autem, *In Sanctis non credit*, hanc commodam habere poteſt interpretationem . Nimirum ſunt Angeli mutabilem adepti naturam ; ita ut eorum nonnulli ſuam ſtationem deſeruerint . Ergo, ſi illi mutabiles, qui fieri poteſt, ut reprehenſionis expers ſit homo? Sed neque ipſum cœlum purum eſt, non quidem ſimpliciter, ſed coram Deo . Illud item, *Deſine*, ſermonis lex & conſecutio interpretatur : Quanto magis, &, Nedum : ſed uulgaris & contritus uſus, Mitte .

Annun-

Annunciabo; tu autem audi me: quæ vidi annunciabo tibi; quæ ſapientes dicunt; & non abſconderunt patres eorum. Ipſis autem ſolis data eſt terra, & non ſuperuenit eis alienigena.* * ἐπῆλθε. Ita & Auguſt.

Olympiod. Contrahe, inquit, ſupercilium; meamq. complectere diſciplinam; ſapientemq. audi ſermonem, non recentem, non a me ipſo fabricatum; ſed quem ab antiquioribus, a patribus uicisſim filij acceperunt; cui ipſa quoque experientia, tamquam uero, certam fidem atque auctoritatem tribuit. Ij enim, qui ueri huius ſermonis auctores fuerunt, adeo pietatem coluerunt, adeo fuerunt morum integritate inſignes; ut ijs ſolis Dei prouidentia rectis placide, tranquilleq. uiuere contigerit, ac ſine metu & perturbatione terras ſuas incolere, nullo in eos hoſte incurſante. Et ſane religioſis illis hominibus, Abrahæ, Iſaac, Iacob, Moyſis, & Ieſu affectatoribus nihil ab aduerſarijs lædi, in beneficij gratiæq. loco deferebatur. Verumenim eum faſtidio hæc quodam animi & ſpiritus, Iobo dicere uidetur Eliphazus. Didymi. Et fortaſſe nulla mentis arrogantia iſthæc loquitur; ſed ideo, quia peccatis teneri illum arbitrabatur; atque ea de cauſſa ſua Iobum cohortatione indigere. Et hic quidem uidetur non ex aliqua ſcientia diuina, ſed ex ipſa admiratione, qua ſapientiæ præſtantes uiros proſequitur, hic parem adferre ſententiam, quæ confirmat hominis fidelis eſſe cunctas orbis terrarum opes; [a] infidelis autem ne obolum quidem. Nam, licet infidelis iu ampla ſit poſſeſsione bonorum, nihiſominus non dominus, ſed ſeruus eſt diuitiarum: inſeruit enim Mammonæ. Sed quinam priſcus eſt ſermo, quem a ueteribus accepiſſe ſe dicit? Subiungit.

a Eſt in prouerbijs Salomonis.

Omnis vita impij in ſolicitudine.

Pro quo Aquila, In dolore, interpretatus eſt; Theodotio autem, Infatuatur; Symmachus uero, Superbe extollitur.

Anni vero numerabiles dati ſunt potenti.

Symmachus rurſus, Numerus annorum fortis abſconditus.

Timor autem ipſius in auribus eius. Quando videtur iam in pace agere, veniet ſubuerſio eius.

Polychronii. Quod dicit eſt eiuſmodi. Ac Sanctis quidem huiuſmodi eſt confectum uitæ curriculum. Impius autem, quamuis in rerum uideatur uiuere abundantia, tamen uitæ ſecuritate non

fruitur;

ſtuitur; uerum tum perturbatione, tum cura ſemper uexatur: caduca eius eſt dominatio, plena terroris, pauoremq. habet perpetuũ in auribus commorantem, ſemperq. tinnientem. Nam, qui peccat, ſemper timet, accuſationem contra eum conſcientia ipſa factitante: metumq. ſemper habet ob oculos obuerſantem, futuramq. perniciem perſonantem: omnis eſt eius uita ſolicita ſuſpicione; &, cum ab omni periculo abeſſe uidebitur, tunc inopinatus in eum incurret felicitatis interitus; extremumq. ſupplicium perferre cogetur. Hebraeus autem pro ſubuerſione, Praedatio, habet cum illuſtriore ſententia. [a] Hic igitur impius, quamuis in dominatione ſit audax, ſibiq. praefidens; tamen intelligat annos habere ſe numeratos; nec uitae ſpatium ulla poſſe dominatione augeri. Deus enim ſuo decreto tempus eſt dimenſus hominibus; ut, quamuis, qui dominatu ualet, inſolenter ſe iactet, breuis ſit nihilominus eius uita futura, anniq. pauci: ipſe quidem numerus eſt in diuinae mentis receſſibus, nobiſq. obſcurus. Is autem, qui exiguo eſt tempore dominatus, tandem in ſupplicij ſe laqueos induit. Ac fortaſſe his uerbis lobum latenter perſtringit, qui breui felicitate uſus, ad aerumnas poſtea eſt deuolutus.

a Hic igitur &c. Didymi in Cat. Panelli.

C *Ne credat auerti a tenebris: decretus eſt enim in manus ferri.*

Symmachus autem, Praefixus eſt enim in gladium.

Ordinatus eſt autem in cibos vulturibus: nouit autem in ſeipſo, quia manet in ruinam. Dies autem tenebricoſa ipſum circumaget: neceſſitas autem & tribulatio ipſum occupabit.

OLYMP. Tenebras dicit ipſum ſupplicium. Ne credat igitur impius ſibi fore impune: diuino eſt enim ſancitum imperio, ferro uitam illi eripiendam eſſe; & a uulturibus conſumptum cadauer iacere debere inſepultum. Ita, ſi facinoroſus una ſibi propoſita iucunda lautaq. uita, uiciſsitudinem nullam exſpectat, in errore uidelicet uerſatur. Iam enim pronunciatum eſt; ut ſit ſupplicio obnoxius; iam ſibi poenam, quae ferri & uulturum nomine ſignificatur, quaſi theſaurum cumulauit. Quamquam Deus exſpectat, dũ ille a mortis improbitate diſcedat; ut condemnatus extremum ſupplicium ne ſoluat; neve ſepulturae ſpoliatus honore proiectus iaceat inhumatus, eſcaq. uolucrum euadat. Quod quidem certe il-

lius

lius ætatis hominibus graue iudicatum eſt genus animaduerſionis: quamuis & illud grauius, quòd idem impius conſcientia coactus talia ſibi prænunciat, ac uaticinatur. Is, inquam, eſt ſibi conſcius conſequentis exitij: uidetq. ſibi tenebras, perturbationem, afflictationem, ac neceſsitatem eſſe ſubeunda; ſiquidem peccantium nouit conſcientia, improbis, ac flagitioſis ſtudijs perniciem comitari; ſibiq. tunc pœnitendum eſſe, cum inuadet calamitas; cum ſummis difficultatibus affectus, cum nullam inueniens ſolutionem malorum, ſed pœnis & cruciatibus perturbatus in illa tenebricoſa die, de qua teſtatus eſt Amos. *Quia dies Domini tenebræ ſunt, & non lux*: quid inter pios homines, impioſq. interſit, plane cognoſcet. Vide igitur, ut non ſolum flagitioſi uita tumultuoſa ſit, ſed etiam mors miſeranda; nec uita utcunque turbulenta; ſed ideo, quòd uis, bellum, ac pugna infeſta immineant. Is autem ubi emigrarit e uita, non modo cura aliqua, ac ſepultura ornetur, non modo iaceat inſepultus; ſed etiam ſit eſca uulturibus. Nec uero cuiquam hæc, quæ ab Eliphazo dicuntur, efficere debent admirationem. Iam enim dictum eſt, ex antiquis forſitan iſthæc promi auditionibus: illucq. hæc pertinent omnia, ut intelligatur Iobum ob ſua pati peccata.

Amos. c. 5.

Sicut [a] dux princeps cadens, quia leuauit manum ſuam coram Deo: coram Domino omnipotente erexit ceruicem: cucurrit autem coram Deo per iniuriam, in craſſitudine dorſi ſcuti eius.

a πρωτοςάτης. qui in prima verſatur acie. Ambr. Dux Præfectus.

Olymp. Ducem primum dicit eũ, qui in bellis omni eſt præpoſitus exercitui. Vt igitur hic ſuis fretus uiribus, ac poteſtate, primus in hoſtes irruens, luculenta plaga accepta, nihil reliqui habet ad ſalutem; ſic impius, qui manus aduerſus Deum tollit, & quanta ſit eius contra Deum barbaries, non tantum conſilio, ſed etiam reipſa teſtatur; uirtutiſq. iugo excuſſo, ideſt, omni uitæ ſuæ rectione contempta, geſtientem uitulam imitatur; quæ iugum a ceruicibus ſuis depellit; & petulanter repugnans iugi anulum in collum inſerendum haudquaquam admittit: atque in aciem ſecum ipſe congreſſurus, curſu concitato propemodum fertur; ſecumq. ita confligit, quaſi cum alio eiuſdem naturæ aduerſario cominus decertaret: &, cum pro craſſo ſcuto ſuperbiam geſtet, ſuiſq. ad propugnandum paratis armis confidat, nihilominus proſternitur, & occumbit, non ſecus quàm Princeps exercitus a Deo contra pugnante ſauciatus.

a Vt oſtenderet &c. ſumpſit a Polychronio fidem facit Cat. Pin.

ſauciatus. Illud autem, *In craſsitudine dorſi ſcuti eius*, ideo dixit, a ut oſtenderet eum, qui externis præſidijs ſeptus, ac firmus ſibi uidetur, exiſtimare diuinam a ſe plagam poſſe uitari. Nonnulli autem illud, *Princeps dux*, pro diabolo ſunt interpretati: is enim contra Deum ceruices erexit. Quemadmodum igitur ille cecidit, ſic cadet omnis, qui Deo obſiſtet.

Quia abſcondit faciem ſuam in pinguedine ſua.

Symmachus, Abſconditus eſt enim.

1 Amb. fecit femorale in cruribus.

b Periſtomium videtur ora ſuperior veſtis, quæ vndique collum cõplectitur.

1 *Et fecit* b *periſtomium ſuper femora.*

Rurſus Symmachus, Et incraſſauit pinguedinem circa femina. OLYMP. Homines, qui delicate, molliterq. uiuunt, nimiis deliciis diſfluentes faciem quidem craſſam adipe reddunt, geminata autem & circumfuſa carne, quod periſtomium uocat, femina ueſtiunt: perinde enim illa femora complectitur, & aſtringit, ut periſtomium collum. Hoc, inquit, hominum genus impii imitantur, quos diuitiæ, atque deliciæ feroces & infeſtos reddunt, qui cum nullam uoluptariæ, ac lautæ uitæ inclinationem exſpectent, deliciis undique perfluunt, carniſq. quibus freti, audent cum Deo congredi, & contra illius iuſſa pugnare. Itaq; ſimiliter, ut Dei hoſtis ab eo affligetur, ac deprimetur impius. Hebręus pro, *Abſcondit faciem ſuam*, habet, Cor: ut ſi diceret. Propter delicias mentis adſpectum amiſit. Pro periſtomio autem, habet, Axungiam, & diploidem, i. deſt, immoderatæ eſcæ, & corpori ſe ipſe mancipauit: ut iam ob nimiam offuſam carnem, tamquam diploidem habeat iniectam femoribus. Symmachus porro, In inguine, dixit. Eodem iſthæc recidunt omnia.

Laus autem ipſius iniuria.

POLYCHR. Quod ſi quicquam uidetur aggredi, cum Dei gloria coniunctum, illud ipſum eſt ſupplicio dignum. Nam, cuius eſt uita dedita ſceleribus, pietatiſq. fallens aſsimulatione, is Deo iniuriam facit, Deoq. honorem tribuit nullum: cum Deo illa credat eſſe ignorata, quę is turpiter agit. Vel aliter. Quia, ut dictum eſt alibi, *Non eſt ſpecioſa laus in ore peccatoris.* Eccl. c.15.

Habitet autem ciuitates deſertas, ingrediatur autem
D *in domos inhabitatas: quæ illi parauerunt, alij auferent.*

Summa rerum omnium orbitate impium conflictari docet: quandoquidem pro opulentis urbibus, ac domibus, coactus inopia ſolitudinem habitare cogitur. Hic igitur, inquit, cũ res ſuas ami-

ſerit, omniq́. fuerit dominatione ſpoliatus, ſolitudines perſequetur. [a] Exſulũ eſt hic mos, quælibet loca ad ſalutem captare, ubi conſiſtant, ad periculum, quod impendet, propulſandum. In his ergo eſt impius, in his, inquam, qui cum dignitatis mutationem ſuſtinent, arrogantiæ, atque intolerantię ſuæ pœnas luunt. Illa etiã, quæ magno labore ijs ſunt parta, ad alienos demigrabunt. Deinde, impij pœnam dum amplificat, non modo illum nõ abundare opibus pronunciat, uerumetiam fortunis euerti confirmat his uerbis;

a Exſulum &c. Hi duo uerſus ſunt ex interpretatione Didymi in Cat. Pin.

Neque diteſcat, neque permaneat ſubſtantia eius.

Id eſt, Non ſolum præſentes opes non augebit, uerum etiã amittet; nec ea, quæ abſunt, adipiſcetur, neque ea, quæ adſunt, tuebitur.

E *Non iaciat ſuper terram umbram; neque fugiat tenebras; germen eius tabefaciat uentus: decidat autem flos eius; non credat, quòd manebit: inania enim eueniet ei: inciſio eius ante tempus corrumpatur: & [1] Rhadamnus eius non tegat; uindemietur autem ſicut uua acerba ante tempus: decidat autem ſicut flos oliuæ.*

1 Amb. ramus eius non floreat: comedatur tamquã agreſta ante tempus.

OLYMP. Tranſlatione, quæ a uiridi, uberéq. arbore, & ante ſenium exciſa, & in ipſo flore exareſcente ſumitur, impii condicionem deſcripſit, in uitæ oblectamentis ad extremum ſpiritum minime commorantis. Ergo illud, *Non iaciat ſuper terram umbram*, pro eo eſt. Excindatur; ne ad priſtinum iucundæ uitæ ſtatum aliquando ſit ei reditus. Id uero per metaphoram ſumpſit a plantis; quæ priuſquàm adoleſcant, exareſcunt, tamquam ſi diceret; Ne memoria quidem extabit ulla. Arbores enim, quamdiu ſtant, umbram mittunt, abſciſſæ nequaquam. Nam, cum corpora umbram efficiant; corpore ſublato, cohærere illa non poteſt. Illud item, *Non fugiat tenebras*, hoc ualet. Perfectus illum excipiet interitus; & ſupplicio, quo eripi non poterit, conſtringetur. Sed etiam impius, inquit, extabeſcet, ſimiliter ut germen, uento flante, tabeſcit. Iam uero illius felicitas & gloria tamquam flos decidet, idq́. ad eam ſen-
Iſaiæ tẽtiam apte. *Omnis gloria hominis tamquam flos fæni*, [b] Germen autẽ
c. 40. dicit filios, uerbo ab arboribus trãslato, ac ſi dicat. Eius ſoboles om-
& 1. nis delebitur; diuinaq́. ultio more ardentis æſtus eum cum liberis
Pet. perdet; ita, ut ne poſteris quidem ullius memoriæ prodantur reli-
c. 1. quiæ. Et illud, *Non credat quòd ſubſiſtet*, huic par eſt, Ne putet impius, qui apud Deum offendit, res ſuás in tuto fore collocandas;

b Germen &c. ſũt etiam Polychronij in Cat. Pin.

Iuania enim ei euenient, id eſt, Omnem ludet operam is, qui non ad diuinas leges uitam inſtituit: omnis enim illius actio uanitas eſt: cum nihil, quod ſubſidat, habeat: quare flos ei decidit, & germen contabeſcit, neque enim perfectæ frugis tempus expectat. At illud, *Incisio eius ante tempus corrumpatur*, id eſt, Ætate immatura decedet, immaturusq. illi ipſi accidet interitus; dixit, transferens a uitibus, quæ, ſi ſtatis temporibus putentur, fructum adferunt; quod ſi alieno tempore id ipſum fiat, intereunt. Dicit igitur impium, antequam ſuis potiatur, funditus interiturum eſſe. In hoc loco, *Ante tempus*, percipiendæ frugis, fructusq. gignendi tempus declarat, ut cum illo congruat, Tempus uindemiæ: nempe ad hoc tẽpus Iobus peruenit, tamquam maturum frumentum opportune demeſſum. In beneficii autem diuini parte numerandum eſt, uitioſitatis fruticem ante tempus corrumpi; [a] cum medicus etiã ſępenumero luem corpori penitus adhæreſcentem ferro excindat; nec ceſſet ea, quæ ægrotanti odioſa ſunt, præbere, donec ad ualetudinis metas ægrum deduxerit. Porro illud; *Rhadamnus eius non tegat*, ſiue, Non obumbret, pro quo Symmachus dixit, Non proſpere germinabit, cum hoc exæquatur; In bonorum affluentia non conſiſtet: Nam πυκάσαι eſt, Ramis opacare. POLYCHR. Eſt autem Rhadamnus arboris ramus uirens, conſertusq. foliis umbram adferens: huiusq. nominis cauſſa fuit, * quia facile ab æſtu, aut ab quapiam alia cauſſa domatur, ut qui tener ſit & antegrediatur. Deinde in uerborum translatione perſeuerans, in uua acerba rurſus mortem immaturam expreſsit; quemadmodum amiſsionem bonorum in oleę flore defluente; quaſi dixerit. Omnis, quæ uidetur eius eſſe felicitas, refutatur, occidit, contabeſcit: DIDYMI. [b] Cuncta, inquit, quæ uidetur felicitas, defluet, ſæpe enim ſcriptura diuina floris uocabulo gloriam exprimit, ita Propheta dixit, *Omnis gloria eius ſicut flos fœni*. Eſt flos fructuũ principiũ & antegreſsio, a quibus tamen ipſis deſeritur. Sic flagitioſus quãuis arrogantia turgeat, non multo tamen poſt deprimitur: quod ſæpenumero pro beneficio habendum eſt. Poſtquam calamitates eſt perſecutus, impij exitum, interitum eſſe pronunciat his uerbis.

Iſa. c. 4. ex edit. 70.

[a] *Cũ medicus &c. Didymi ſunt ex Cat. Pin.*

* *παρὰ τὸ ῥαδίως δαμάζεσθαι.*

[b] *Locus ex Cate. Pin. reſtitutus.*

Teſtimonium impij mors.

CHRYSOST. Id eſt, Certum eſt argumentum, accuſatio, teſtimonium hominibus, cunctis impiis ſic euenire debere; nec quidquã, inquit, mirandum, cum miſerabilis ſit exitus impiorum; mors inquam ipſa haud obſcura eſt impietatis mortalium ſignificatio; exitus

tus probabit uidelicet, cuiuſmodi eorum ſit conditio. Nam, quẽadmodum florentem ſtatum, iuſtitiæ argumentum, & ſignum cõſtituit, ita improbitatis ærumnam, atque infortunium. Vel aliter, *Teſtimonium impij mors*, id eſt, quæ inſignis, ſub adſpectum ſubiecta, ignorata nemini. Ac, ſi libet, ad hunc etiam modum commentare. Ad ſummum perducta improbitas interitum affert, non quidem communem, ſed ultionis. A

Ignis comburet domos eorum, qui dona accipiunt.

OLYMP. Iram diuinam, quæ auaros, & ob largitiones ac munera ius uiolantes prorſus conſumit incendio, ut nec familiæ ſuperſtites ſint, ignem appellat. Nec uero id, quod dictum eſt, fructu caret opportuno: ſiquidem ob iniuſta, impiaq. facinora hæc impij patiuntur omnino. B

In utero concipiet dolores, contingent autem illi uana. C

Aquila autem, Concepit, & peperit infructuoſum.

Venter autem eius feret dolum.

Dolores, inquit, contra alios impius meditatur, cumq. apud illum dolus reſideat, de dolore ceteris inferendo delibérat. Ita eius euentus, & exitus erit inanis, atque ſtultitiæ ſimilis. Illud autem *Feret dolum*, hoc oſtendit, ſponte, certoq. conſilio fraudes ab impijs concipi. Ventrem autem uniuerſa præcordia, parteſq. interiores, atque adeo animum ipſum nuncupauit; dolum autem omne uitium, quod ab impij manat anima, doli procreatrice. Aut igitur hoc dixit, fore, ut impius aduerſus alios dolores concipiat, pareſq. ſit flagitioſæ prolis, cui etiam aduerſus alios cum dolore concepta iniquitas, & fraus ad nihilum recidat. [a] Aut hoc indicat, eos, qui impie ſcelerateq. locupletantur, more parientium mulierum in adepta bonorum poſſeſsione doloris ſenſum habituros, illorumq. exitum inanem, ac ſtolidum futurum; ſiquidem iis, qui rebus omnibus circumfluunt, calamitas accidere ſolet atrocior. [b] Cum enim quamplurima coaceruarit, tamen ex ea re nullus eidem quæſtus accelſerit, ab illo rapinarum pœnas Deo exigente; nec quidquam præter miſeriam illi ipſi remanebit. Et, cum hæc uelit Eliphazus ad Iobum pertinere, ſupponit alienos. Huiuſmodi eſt tamen eius quędam oratio. Quamuis, ô Iobe, multo ſuſcepto labore, iniuriaq. aliis inferenda, opes coaceruaris; nihilominus haud ea tibi induſtria extitit quæſtuoſa; quippe qui nequitiæ pœnam perſolueris; nempe ſtatis, quam in alios meditatus es, ac machinatus, ſe ipſa ulciſcetur. Ventrem autem, ipſam cogitationem, animumue dicit.

a Aut &c. ex Didymo.

Ex Didy. & Poly. explanatione ſuam contexuit Olymp.

b Cum enim &c. ex Polychr.

ADDITIONES IN CAPVT XV.

A *Et repleuiſti dolorem uentris*:

DIDYMI.

AEGRITVDINIS, qua cor eliditur, impatiens, minime commodam fructuoſam ue orationem effudiſti: In quo Iobi uerba tamquam inutilia, & ſtulta irridet Eliphazus.

B *Arguat te os tuum, & non ego.*

DIDYMI. Ob nimiam audaciam hæc effutiebat: nec enim ijs cauſſæ erat ulla Iobi accuſandi. Verum huiuſmodi uerba ab illa antecepta ipſorum animis informatione, quòd is ob ſua ſcelera plecteretur, proficiſcebantur.

C *Damnatus enim eſt in manus ferri; deſtinatus autem in cibum vulturibus.*

POLYCHR. Iam, inquit, iudicio, quod de illius ſupplicio factũ eſt, obnoxius eſt. DIDYMI. Hinc ſibi peccator ſupplicium theſaurizat: quod tum ferro, tum uulturibus hoc loco ſignificatur. Neq; quod hæc iſte loquatur mirandum eſt. Iam enim dictum eſt ex antiquis auditionibus ab eo hæc ipſa promi.

D *Quæ alij parauerunt, alij auferent.*

DIDYMI. Quę flagitioſi homines parant ad ſcelus, ſancti diuini præconij iure accipiunt. Id quod Apoſtoli fecere, cum ad erudiendas nationes ſunt miſsi.

E *Neque fugiat tenebras.*

DIDYMI. Idque merito qui enim aliis auctor eſt ad improbitatem, ei certum eſt conſtitutum ſupplicium.

CAPVT XVI. PROTHEORIA CAP. VNDECIMI.

Suſcipiens autem Iob dicit.

DIXERAT Eliphazus impiis irrogari ſupplicia. Huic orationi Iobus ſtatim occurrit, dicitq; Audiui talia multa. Succenſet autem amicis, qui ad conſolandum ſermones neſcirent adhibere: illudq; animaduertit a Deo ſe diabo-

diabolo traditum: ſed tamen eius rei cauſſam ignorat. Deinde ſuas commemorat ærumnas: petitq́, ne res eius ſilentio obruãtur: Deum item conſcientiæ ſuæ teſtem dilaudat: optatq́, interitum: ac rurſus mala uſurpat ſua: gemitu demum, ac lamentis orationem concludit.

Audiui talia multa.

OLYMP. Hæc, inquit, quæ adferuntur de impiorum ſupplicio, ſæpenumero mihi audita ſunt. Quæ contrita ſunt, mihi dixiſti; ac ſpecie aſsimulata adhortationis, exprobraſti; communia ſunt iſthæc omnia uerba: iis enim, qui nihil patiuntur mali, facile eſt longioribus ſermonibus cohortari euerſos, atque calamitoſos.

Conſolatores malorum omnes.

Pro quo Aquila, Conſolatores dolorum; Theodotio, Laborum; Symmachus magis enucleate; Conſolantes omnes moleſti eſtis. GREGORII. Vel eos, qui ſecum erant ſumma neceſsitudine coniuncti, conſolatores habebat tantummodo, non curatores malorũ; qui calamitatem quidem contuebãtur; calamitatis autem arcanam rationem ignorabant. Neque enim plagam illam ad uirtutis comprobationem, ſed ad ſolutionem pœnę referebant; nec opinabantur ſolum, ſed etiam ipſam ærumnam eidem exprobrare minime uerebantur, eo præſertim tempore, quo, tametſi propter improbitatem illa Iobus pateretur, decebat nihilominus acerbum, qui adeſſet, caſum, uerbis ad ſolandum idoneis & artificio quodam mitigare. OLYMP. Vos igitur, inquit, mali eſtis conſolatores; dum uerbis ærumnas meas amplificatis; &, ut uidetur, a ſcopo aberratis. Nã, cum conſolandi cauſſa adieritis, me cruciatibus identidem laniatis, hominem, qui conuiciis læſit neminem.

Quid enim? numquid ordo eſt uerbis [1] ſpiritus? aut aliquid moleſtum erit tibi? Quia reſpondes, etiam ego, ſicut uos, loquar.

[1] Ambr. uerbis uenti.

Nec ordine, inquam, nec decore loquimini. Quis te tandem laceſsiuit, cur in me tanto ſtomacho inueherere? Quid enim? an non certa quædam eſt lex iis, quæ dicuntur, repugnandi? an a quopiam coacti eſtis, ut cunctis meis ſermonibus contradiceretis? Verum, quandoquidem ſic ipſi ſtatuiſtis; quandoquidem is, qui dicit, pro ſua libidine loquitur, ueſtram ipſe quoque orationem imitabor, rectaq́. mente uos refutabo.

1 Amb. Vtinam ſupponeretur anima ueſtra pro anima mea.

1 *Si ſubiecta eſſet anima ueſtra pro anima mea.*

Si, hoc loco eſt pro, Vtinam εἴθε: ſic enim interpretatus eſt Symmachus; Aquila uero, ὄφελον, Vtinam.

Deinde inſultabo uobis uerbis: mouebo autem contra uos caput.

Severi. Iobus uir incredibili mentis celſitudine, iam fortunis euerſus, iam liberorum cętu orbatus, conſtãter ulceris ferens acerbitatem, cum in ſua calamitate perperam amicos philoſophantes animaduerteret; a quibus iuſtus ideo prædicabatur Deus, quòd in illas eũ ærumnas conieciſſet; temporis uſus opportunitate, eos compellat; homines uidelicet, qui earum rerum, quas ſentiebat, ipſe, ſenſum illi nullum acciperent. Chrysost. Optarim ipſe rationes ueſtras cum meis eſſe coniunctas, measq. a uobis ſuſcipi calamitates: fortaſſe tum ego quoque caput mouerem, quaſi ueſtris malis gratulans; & ea, quæ facitis ipſi, facerem ego quoque. Tunc demum diſceretis in alienis malis minime philoſophari. Verumenim hoc etiam tempore loquar: res enim ipſa mihi conſolationẽ adfert. Quamquam eorumdem uerborum ad hunc modum lectio poteſt eſſe morata. Si in meis uos miſeriis uerſaremini, utrum ipſe in uos uerbis inſultarem? aut etiam caput contra uos iactarem? minime uero: quinetiam uerbis ad leuandam ægritudinem accõmodatis, uos ipſos erigerem. Hanc ipſam ſententiam cum alius quidam interpres animo informaſſet, huiuſmodi interpretationem fecit. Si meis ipſi malis urgeremini, profecto alio uerborum genere uobiſcum eſſem congreſſus; capitisq. motu ueſtrum ad me dolorem pertinuiſſe declararem, meoq. uos ore confirmaſſem: pro quo Septuaginta.

Sit autem robur in ore meo; motui autem labiorum non parcam.

Olymp. Vtinam tantum in me, inquit, facultatis eſſet, ut oratione poſſem meas ærumnas complecti. Non ànte deſinerem, quàm ſub adſpectum meas calamitates ſubieciſſem: hac forſitan ratione ueniam mihi tribueret eris; ſi modo mihi cõtenta uoce apertaq. oratione apud uos uti liceret. Quæ deinceps ſequuntur, legito cum interrogatione.

Si enim loquar, non dolebo uulnere?

Ac ſi diceret, Prorſus dolebo.

Si autem tacebo, an minus ſauciatus fuero?

Id demum dicit, Quamuis doloribus prouectus locutus fuero, tamen non ſolum nulla conſolatione habear dignus; (id quod Symmachus. Nec remittet dolor meus, interpretatus eſt) ſed etiam in grauiora incidam mala; cum me unuſquiſque tamquam nefariũ Dei obtrectatorem condemnabit. Quòd ſi ſilentio ferre uoluero, non modo nulla mihi philoſophiæ gloria parta ſit; ſed etiam multo magis tamquam uiolatarum legum reus condemner, cum ſilentium a conſcientia earum rerum, quæ dicuntur, profectum exiſtimabunt. Quamquam, ſi mihi tum dicenti, tum tacenti dolendũ ſit, dicere ſatius fuerit; ne forte taciturnitate ueſtram accuſationem uidear comprobare. DIDYMI. Fortaſſe etiam ſuam cupit erga amicos egregiam animi uoluntatem declarare. Quia ueſtra, inquit, ſalus mihi curæ eſt; idcirco uel in hoc meo cruciatu uos commoneſacio. Nam, licet alii cum dolent, ſuis ægritudinibus contenti ſint, mihi tamen eſt meorum amicorum ſalus potior.

1 *Nunc autem laſſum me fecit ſtultum, putrem.* 1 Laſſauit Aug. Amb. laceratum me fecit fatuum putridũ in 1. li. de interpellat. Iob.

OLYMP. & CHRYSOST. Nec ſatis eſt, inquit, me torqueri ſuppliciis, ſtultus & amens etiam uideor. Enimuero hic ipſe cruciatus me laſsitudine confecit, concidit, ac putreſecit; ut pœne uidear a communis naturæ ſenſu abalienatus. Aut id etiam ſignificat. Dei permiſſu factum eſt, ut me doloris ſenſu carere, amici mei ſuſpicentur, neque me his tangi ærumnis. Nam *ſtultum*, hoc loco dixit pro, Nihil ſentientem: Ideo adhoc *Putrem*, adiunxit, quoniam putridæ corporis partes ſenſu priuantur.

A *Et apprehendiſti me; in teſtimonium factus ſum.*

Alii codices habent, *Apprehendit me*. Si ſequamur illud *Apprehendiſti*, pro quo Symmachus interpretatus eſt, Colligaſti me indeſinenter in iugo; nempe cum Deo loquitur: ſimul ac puſillum me, & imbecillum, tamquam fortis ipſe ac robuſtus attigiſti, in exemplum propoſitus ſum uniuerſis, propter peccata in cruciatum me datum eſſe. Sin autem retineamus, *Apprehendit me*, ſermo erit ad amicos de Deo huiuſmodi. Quia me tetigit, certam mihi te-ſellendi rationem ſuppeditauit. *In teſtimonium factus ſum*, ideſt, fortitudo mea omnium eſt fama, atque ſermone percelebrata. Quũquam uerior eſt prior expoſitio, ſcilicet, poſtquam me Deus multauit, omnes ſibi mei accuſandi occaſionem oblatam eſſe arbitrantur: meæq. pietatis inquiſitionem omnem contemnunt. Ergo il-

 lud,

lud, *In teſtimonium*, idem eſt quod, Ad criminationem.

Et ſurrexit in me mendacium meum, & in faciem meam reſpondit.

Hoc apertius Symmachus dixit, Surrexit in me mentiens, in faciem meam contradicens mihi. OLYMP. Dum hæc, inquit, ipſe perfero, cauſſam contra me fingendi mendacia arripuerunt: ut nec illud coram mihi obiicere uereantur, peccati a me pęnas dari. POLYCHR. Et me criminatio inceſsit, nulla illa quidem ueritate, ſolis autem ærumnis ſubnixa; nec quiſquam e rebus, ſed ex iis tantum, quæ acciderunt, malis pronunciat. Quando autem dicit, *Surrexit mendacium meum*, ipſi mendacio tamquam alicui perſonæ ſpeciem accuſationis affingit. Hanc enim uult ipſe exprimere ſententiam. Vos freti mendaciis, in me impetum feciſtis; nec quidquam ueritatem reueriti, nimium audaces, ac præfidentes ad me refutandum eſtis aggreſsi.

Iracundia uſus detecit me: fremuit ſuper me dentibus.

OLYMP. Hæc ſi de ipſo Deo loquitur, uehementem eius iracũdiam declarat. Similiter enim ſe mihi præbuit, ut ij, qui præ iracundia dentibus ſtrident. Quòd ſi de diabolo, atque Dęmonibus hæc ipſa dicantur, ferme totidem, iiſdemq. uerbis de ijs magnus cecinit Dauid. *Frenduerunt ſuper me dentibus ſuis. Cum enim circum-* Pſal.
eat quærens, quem deuoret, merito tamquam leo fremere dicitur. 34.

a Totidem uerbis Aug. a *Sagittæ piratarum eius ſuper me deciderunt.* 1.Pet.

OLYMP. Si de Deo hæc dicantur, ſubitum malorum agmẽ, quæ c.5. in illum incurſarunt, plane oſtendit, ac ſi diceret. Supplicia tamquã piratæ quidam in me de repente irruerunt. Quòd ſi ad diabolum referantur hæc ipſa, piratas eius dæmones dicit, qui eius miniſtri ſunt, & ſatellites.

1 Amb. telis oculorum inſultauit. [1] *Spiculis oculorum irruit.*

Et hoc Symmachus eſt planius interpretatus his uerbis. Aduerſarii mei acuerunt ocu'os ſuos, vnuſquiſque in me. Vt huiuſmodi quædam indicetur ſententia, Nõ ſolum dentibus fremendo, in me iracundiam exprompſit. Vtcumque tandem is fuerit, ſiue Deus, qui licentiam permiſit; ſiue diabolus, qui opus perfecit; ſed ea re etiam, quòd acri, ac uehementi oculorum coniectu, quòd truci & immani adſpectu, quòd horribili ſpecie in me inſiluit. Nonnulli uero ſic commentati ſunt, Luculentas mihi plagas inflixit; & meos oculos, quaſi ſagittis ac ſpiculis uulnerauit. Sunt autem ἀκίδες ſagittarum

gittarum cuſpides. Meminit autem oculorum ad uulnetis atrocitatem ſignificandam.

Acriter percuſsit me ſuper genua.

Me uehementer, inquit, ſauciauit: ut iam genua mea diſſoluta ſint, atque labaſcant.

Vnanimiter autem concurrerunt in me.

Diuina ſcilicet ſupplicia, aut etiam diaboli piratæ. Oratione autem adumbrat omnia, quæcumque ſibi grauia acciderunt, fortunarum, bonorumq. amiſsionem, corporis afflictationem.

Tradidit me Dominus in manus iniuſtorum; impijs proiecit me.

Symmachus autem, In manus impiorum proiecit me. Nempe hæc cauſſæ eſt expoſitio. Hæc eo, inquit, contigerunt, quòd me Deus hoſtibus tradidit; a quibus ſunt mea direpta: Iniuſtos autem, & impios, ipſos piratas dicit, non amicos ſuos.

In pace me degentem diſcerpſit.

Et hoc ſummam habet, inquit, acerbitatem; quòd, cum in ſumma ſecuritate, atque in rerum omnium abundantia degerem, protinus bonorum poſſeſsionem eripuit, ac profligatis hominibus, diripiendam tradidit.

1 *Et tenens me coma, diuellit.*

Comam ipſum ornatum, ac felicitatem appellat: ut ſi diceret, Vitam illam meam, quæ otium, tranquillitatemq. complexa erat; illam bonorum copiam, illam dignitatem & gloriam abſtulit, ac diſsipauit. Hebræus ſic. Apprehendens me neruo a colli, excuſſit, ab iis ſumpta metaphora, qui contentione, atque iracundia inflãmati luctantur, & aduerſariorum ceruicibus manu iniecta, illos excuſſos ad terram allidunt.

1 Amb. accipiẽs me capillis euulſit.

a τένοντος, *eſt autem colli neruus, qui ad talos uſque producitur.*

Statuit me tamquam ſignum; circumdederunt me lanceis, iaculantes in renes meos, non parcentes.

Olymp. Quia Deus, inquit, me tamquam ſignum propoſuit, qui cunctorũ iacula, ictusq. exciperem: idcirco quibuſdam quaſi telis meos renes cõfixerunt. Quibus uerbis occulta, & mortifera uulnera, ſignificauit: huc enim exemplum pertinet, Illud autem, *Tamquam ſignum*, hoc ualet, ut ad ſcopum iaculentur; ut omnes contra me collineent: quod ipſum effecerunt. Etenim me circumſteterunt;

terunt;ſtudioq. acri adhibito, plagis affecerunt; nec ullam crudelitatis partem prætermiſerunt. Ideo uero hoc dixit; quoniam nihil ei plane factum eſt reliqui. Poſtquam autem dixit, Signum ſum cunctis propoſitus,& iaculis appetor,in metaphora perſeuerās, ut is,qui præcordiis telum excepit, ait.

Effuderunt in terram fel meum.

Ideſt, prorſus cunctis me rebus nudarunt; ſi quid mihi reſtabat ad uitam, omni exhauſto.

1 Iniecerūt mihi ruinā ſup ruinam Ambr.

1 *Deiecerunt me proſtratione ſuper proſtrationem.*

Olymp. Hic numquam interrupta ſupplicia, & alias poſt alias exortas calamitates, quæ illi ferendæ fuerunt, oſtendit.

Cucurrerunt ad me potentes.

Polych. Ideſt,ad præcipuorum bonorum meorum direptionem aduolauerunt; quod ſibi collibitum fuit, perfecere: ſiquidem Dei ira, ut facile caprari poſſem, effecit.

2 Aug. habet, Cilicium aſſuerunt. Sed Vulgata latina legit, Conſui. Ambr. ſaccū conſuetūt ſuper cutē meā.

2 *Saccum aſſui in corio meo.*

Olymp. Aut hoc dicit. Nigrorem nacta eſt cutis mea propter cruciatuum acerbitatem, quaſi ſaccus quidam ex uillis contextis effectus. Aut illud docet. Quemadmodum,qui ſaccum geſtant,corpore contabeſcunt,ac macie cōficiuntur,ſic ſe plane tabeſcere. Vel deniq; hoc dicit. Qui antea ſplendida, & regali ueſte eram indutus,nunc eſt mihi ſaccus amictus; & in ſqualore ac ſordibus iaceo, illa ſuperiore felicitate funditus euerſa.

Robur meum extinctum eſt in terra.

Omnis,inquam,illa mea poteſtas atque felicitas,omnis gloria, & dignitas extincta eſt,atque deleta.

Venter meus combuſtus eſt a planctu: & ſuper palpebras meas umbra.

Polychr. Ventrem animām dicit; uel quia abdita eſt, ſugirq. obturum: vel quia qui a ratione ſuppeditantur,cibos concoquit ac diſtribuit: dicit igitur, Anima mea ardet; nec lacrymæ quicquam remittunt; ut iam oculorum meorum acies detrimentum acceperit: uel etiam, quia ægritudine confectus, pœnè uerſor in tenebris. Alij autem codices habent, 3 *Vmbram mortis*, tanquam ſi diceret. Ipſam mortem ante oculos fero.

3 Vmbra mortis, apud Ambr. & Auguſtinum.

Iniuſtum

Iniuſtum autem nihil fuit in manibus meis; oratio autem mea munda.

Polychr. Illud me maiore moleſtia, ac dolore afficit, quòd nullius flagitij conſcientia teneor: nec quidquam aliud ſcio, niſi me recta mente Deo preces adhibuiſſe. Quamobrem admiror magnopere, cur hæc ipſa ſuſtineam. Itemq. illud animaduerte, puram Iuſti fuiſſe precationem, nulli perturbationi admiſtam, nullis mentis fluctibus, occupationibusq. ſuccumbentem, curis nullis diſtractam.

Terra [1] *ne operias in ſanguine carnis meæ; neque ſit locus clamori meo.*

[1] Cum lectione Catenæ conſentit Vulgata latina. & Hebræa, & Ambr. Aug. habet, operiar: Græci codices impreſsi, ἐπικαλύψαι, operias.

Olymp. & Polychr. Æſtuans terram alloquitur, ad eliciendã miſericordiam uerba uſurpans; quamquam optantis more dictum eſt: hæc autem eſt eius oratio. O terra, mea hæc ne taceas; neque meum contegas ſanguinem, haud iuſte e meis carnibus effluentem: quinetiam meus ſanguis perinde, ut Abelis, uociferetur: ipſa Deum prouoca ad ulciſcendum, ut quæ ſis mei corporis ſanie reſperſa: neque clamorem meum cohibeat aër: neque gemitus mei, atque lamenta loco conſiſtant; neque occultentur; neque obliuione aliquã obliterentur: uerum ad cœlum uſque uocis meæ contentus ſonus perferatur; ut Deus malorum, quæ contingunt, uindex ſit; &, qui eorum ſunt auctores, ulciſcatur; ut eorum, quæ a me in uita ſunt geſta, innocentiam cunctis faciat inſignem. Chrys. Mos eſt eorũ, qui in ærumnis, malisq. uerſantur, ut nolint ſua mala celari. Tantum abeſt, inquit, ut facinoris ullius mihi ſim conſcius; ut etiam optem, incommodorum, quæ fero, omnes eſſe ſpectatores. Olympiod. Nempe hæc ipſe, ô Beate, non magis, ut ſupplex, quàm ut uates enunciaſti; neque enim ſunt in operto res tuæ, uerum tua certamina, tuæ luctationes, tua uirtus, & inuicti animi robur, tua tolerantia, tuæ uictoriæ præmia, tuæ coronæ, tua præconia, in noſtrum omnium ore uerſantur.

Et nunc ecce in cœlis teſtis meus, conſcius autem meus in altiſsimis.

Olymp. Sane animi, ideſt, nulla labe aſperſi, eximiæq. & ſingularis caritatis, necnon ueracis conſcientiæ, illum oculum, qui omnia contuetur, teſtem dilaudare. Polychr. Dei, inquit, iudiciũ, appello. Is enim, cum perfecte cognoſcat omnia; neque ex ijs, quæ

 uidentur

uidentur, ſed ex ipſa ueritate ſententiam feras ſcilicet eorum, quæ a me dicuntur, teſtis eſſe poteſt.

Perueniat autem oratio mea ad Dominum: coram autem eo ſtillet oculus meus.

CHRYSOST. Sic propemodũ dicit, Audiat hæc Deus: hæc Deus cognoſcat. POLYCHR. Vbi meis precibus annuerit; lacrymantemq. fuerit miſeratus: homini miſere uexato ius dicere ne grauetur. OLYMP. Necnon illud tibi, uir clariſsime, ex animi ſententia euenit. Tuas enim pugnas, atque congreſſiones magnus agonotheta ſpectabat: tuæq. ſupplicationi fauit: ac tuas præclaras lacrymas adſpexit, nec uero certaminũ cauſſam ancipitem, dubiamue reliquit. Porto, Beate, tantum lugentibus tribuitur, ut eorum lacrymę coram Deo ſtillent.

Sit autem redargutio viro coram Domino: & filius hominis proximo ſuo.

Mihi, inquit, atque ijs, qui me exagitant, præbeat ſe Deus auditorem: liceatq. mihi cum aduerſarijs meis diſceptare. Et proximos quidem dicit amicos ſuos: uirum autem, & hominis filium ſeipſum nominat. Ipſumq. iudicium uſque eo illuſtre fore confidit, ut nemini debeat eſſe obſcurum, non ſecus, quàm ſi de hominibus, interq. homines factum eſſet: idq. à principibus tranſtulit, qui res omnium auribus exquirere conſueuerunt. Et nimirum hoc etiam uaticinando Iobus pronunciauit: namque Deus, ijs auditis, quæ ab litigantibus diſceptata ſunt, Iobum quidem iuſtum pronunciauit: amicos uero eius condemnauit.

Anni vero numerabiles aduenerunt; via autem, qua non reuertar, ingrediar.

OLYMP. Rurſus uitæ per breue ſpatium ad ſupplicationem adhibet; docetq. eum, qui ſemel exceſsit e uita, ad hanc ipſam uitam ei non futuram eſſe amplius reuerſionem. Quare de his ante mortem, ut tranſigatur, poſtulo, ſolatium maximum ratus, ſi res ipſæ planius fuerint demonſtratæ.

ADDI-

ADDITIONES IN CAPVT XVI.

A. *Apprehendiſti me, in teſtimonium factus ſum.*

DIDYMI.

APPREHENDISTI; hoc eſt tetigiſti. *In teſtimonium factus ſum*: quia te ipſa Beati Iobi fortitudo nulli eſt hominum non audita. POLYCHRONII. Quoniam ſupplicia mihi Deus irrogauit, hinc omnes ad me condemnandum capiunt coniecturam, meæ aduerſus Deum Religionis diſquiſitione neglecta. Illud igitur *in teſtimonium* idem eſt, quod ad criminationem.

B *Circumdederunt me lanceis.*

Malorum ſignificat multitudinem: ac loquitur de inimicis: ab exemplo enim ad rei ueritatem migrauit.

Iaculantes in renes meos.

DIDYMI. Hoc eſt crudeliter in rebus omnibus uerſati ſunt. id uero dicit: quoniam illorum, quæ ei antea fuerant, nihil factum eſt reliqui.

Effuderunt in terram fel meum.

Plane me rebus omnibus ſpoliauerunt. Quoniam una cum opibus filios amiſit. in ſobole autem priſci illi memoriam collocabāt.

CAPVT XVII.

Grauiter [1] diſcrucior ſpiritu agitatus: rogo autem ſepulturam, & non adipiſcor: preces adhibeo laborans: & quid faciam?

OLYMPIODORI.

MALIS oppreſſus animo ſum perturbatiore; præſertim cum iudicem nullum habeam iniuriarum, nec ullam miſeriarum liberationem reperiam: uitę exitum nullum inuenio. Verum cogitatione in omnes partes diſtractus, & quæcunque mihi acciderunt, contemplans, mortem experior. Quocirca & exopto interitum, & angor uehementer, quòd hunc inuenire non poſsim: nam illud, [2] *Preces adhibeo*, pro, Dubitatione æſtuo, dixit. Et illud precor, ut ad ſepulturam detur corpus meum; nec id tamē, quod opto,

con-

[1] Ambr. pereo, & ſpiritu circū-feror. Aug. Defeci ſpiritu: Græce, ὀλέκομαι πνεύματι φερόμενος. [2] λίσσομαι, tum ex Aug. tum ex ui uerbi interpretati ſumus, Preces adhibeo: etiam ſi Olymp. exiſtimet hoc loco uſurpari pro διαπορουμαι. Ambr. Præcor laborans, ut nos.

conſequi poſſum; quinetiam deludor. Attende igitur illud ipſum, quod nos principio diximus; illi quidem mortem expetitam eſſe, ſibiq. ipſum manus potuiſſe adferre: ſed tamen illas ipſas eo abſtinuiſſe: ne eum, a quo tenebatur conſtrictus, quapiam iniuria afficeret.

Furati autem ſunt bona mea externi.

Equites & hoſtes, qui præda ex meis fortunis per imperium capta, profugerunt. Ego uero, quaſi in angulum, latus ue obliquum coniectus, in ſumma malorum tempeſtate fluitans, exitum mihi iä-rum uidere nullum poſſum.

A *Quis eſt hic? Colligetur manui meæ: quia cor ſuum abſconderunt* [1] *a prudentia; ideo non exaltabis eos: parti annunciabit malitias.*

[1] Augu Cor eorũ abſcondiſti: itaq; legit, ex u..a. Sed Ambr. & Catena Pin. abſconderunt.

POLYCHR. Horum uerſuum hanc nonnulli adferunt expoſitionem: Quis mecum uult in iudicio diſceptare? ad manum meã alligetur; ut una ad diuinum tribunal deducamur, Dei iudiciũ ſubituri. Ac, ſi quiſpiam putat, a me præ animi anguſtijs augeri mea, is prodeat, orationemq. refellat, ac dictorum iudicio pari contendat. Poſt de amicis dicit, ab ijs, cum prudentes uideantur, ſuum tamen ipſorum occultari conſilium; præſertim cum intelligant, inquit, nihil in me ſe poſſe reprehendere; ijdemq., cum Deo patrocinari ſe putent, contra me ipſum mentiantur: ut minime mirandum ſit, quòd ſermonibus meis contradicant: ijs enim eſt cauſſa deterior pro meliore electa. Hæc igitur aliorum eſt explanatio. Mihi autem antegreſsiorem, conſecutionemq. uerborum conſideranti, hæc, quæ interiecta ſunt, per conſequentiam cum illis uidentur eſſe connexa. Dixerat enim: Quia furati ſunt bona mea alieni; eorum etiam iniquitatem, cupiditatemq. exagitauit. Ergo, ne ſit improbitas uirtute glorioſior; ne ue maius ſit perditorum hominum, quàm frugi compendium; Deum precatur; ut raptorum faſtum obterat: eosq. in poteſtatem iuſti hominis redigat. Itaque dicit, *Quis eſt hic?* Iniquus uidelicet, & alieni appetentiſsimus: ne liceat illi eſſe diſſoluto, ſed prohibeatur, cohibeatur, in manus meas ueniat uinctus. Et quoniam cor ſuum a prudentibus, ſanctis, honeſtisq. cogitationibus, atq; conſilijs abduxit: idcirco nulla ſit iniquis poteſtas animi elatius intendendi; immo uero eorumdem deprimatur, deijciaturq. arrogantia; eiuſdemq. uitioſitatis factioni, ijs inquam, qui homini iniuſto pari ſunt morum ſocietate coniuncti, nuncietur

tur calamitas: ut, quæ ſunt ex eodem genere, minime audeant; uerum pœna ipſa, & calamitas uni profligato homini importata, hos erudiat, modeſtosq. reddat: ac pœne ille ipſe, qui fuerit ad calamitatem depulſus, malum ſuum ceteris nunciabit. In hanc me ſententiam ille, qui uerba hęc paulo poſt conſequitur, uerſus induxit, Iuſtus ſuper impium inſurgat: habeat autem iuſtus uiam ſuam. Deinceps pergit Iuſtus ſuas ærumnas commemorare, ac dicit.

Oculi autem mei ſuper filios extabuerunt.

Perpetuum luctum, quo proſecutus eſt liberos, tragice exponit. Ac uide quemadmodum non dicat, propter fortunarum amiſsionem ſuos oculos extabuiſſe; (neque enim magno illas æſtimabat) ſed propter repentinum natorum interitum. Hi enim eum, qui cõmunem ſenſum doloris minime aſpernaretur, grauiter exulcerarũt.

Poſuiſti autem me celebratum [1] *ſermonem in nationibus.* — [1] Amb. fabulam.

Alij, Parabolam, dixerunt.

Riſus autem ipſis euaſi.

Res, inquit, meæ ſermone locis omnibus celebrantur, ac cunctis ſum ridiculus: tanta eſt uis calamitatis, ut ad eos etiam, qui ſunt lõgioribus locorum interuallis diſiuncti, permanarit: res item meæ in cunctorum ſermonem inciderunt; quibus ipſis cum miſericordiam aliquam tribuere deberent, cum bonorum amiſsionem, cũ filiorum iacturam miſerari; me multo maxime in doloribus uerſantem deridont.

Obſcurati autem ſunt oculi mei ab ira.

Ideſt, hebetati ob mala mihi a diuina ira inuecta: lacrymis uero, quas in filiorum immatura morte effudi, mei ſunt oculi pęne conſumpti.

Obſeſſus ſum uehementer ab omnibus.

Hoc me mordet maxime, facitq., ut lacrymis diffluam; quòd eiuſmodi mihi ſupplicium diuina intulit ira; ut, qui uidentur eſſe amici, & conſolandi cauſſa properaſſe, iidem me nunc, tamquam ſine cauſſa grauiter ferentem, irrideant, atque contemnant, atquẽ hoſtium more, alius alio genere uerborum percellat, ac denique cũcti in meas inſultent ærumnas.

[2] *Admiratio autem habuit ueraces in his.* — [2] Ambr. ſtupor tenuit ueraces.

Olymp. Nequaquam ueritatis cupidi, perinde, ut uos affecti ſũt

animo;

animo; ſed potius obſtupuere, quòd perpeſsionis malorum cauſſas ignorarint. Hoc ideo fortaſſe dicit; ut amicos nutu ſignificet, qui nec ueritatem colerent;& Deo dumtaxat gratificari ſtuderent.

Iuſtus autem ſuper impium inſurgat.

OLYMP. Tamquam de alio quopiam ſermonem haberet, ſic loquitur; ſed hæc tamen ad ſeipſum refert. Quia enim ſupra dixerat. Non exaltabis iniuſtos: nunc contra potius fieri optat, ut iuſtus quàm impius ſit a uiribus firmior. Antea enim in frugi homines perditi irruerunt: nunc ratio commutetur: rerum ſit alia condicio: iniquos, & facinoroſos imperio iuſti coerceant.

Habeat autem iuſtus uiam ſuam; & purus manibus reſumat audaciam.

Hæc cum optatione dicta ſunt. Vtinam in priſtinum reſtituat ſtatum. Sed tamen Theodotio, qui his uerbis interpretatus eſt: Retinebit iuſtus uiam ſuam; haud nos ſini ad hęc uerba optationem, ſupplicationemue adiungere; ſed cauſſę potius expoſitionem attexere. Si iuſtus, inquit, impio uidebitur melior; ſi uitium non erit vſq; ad extremum uirtute ſuperius; quid tandem eueniet? ſane quidem is, qui uirtuti nauat operam, haudquaquam lædetur; neque enim æmulabitur iis, quæ uitioſam habent, indignamq. æmulationẽ. Verum, ſi (quod cõtingere facile poſsit) a ratione paullulum aberrarit, rurſus in uiam ſuam redibit, uirtutisq. iter inibit. Huius ſimile Dauid canit. *Quia non dimittet Dominus uirgam peccatorum ſuper ſortem iuſtorum, ut non extendant iuſti in iniquitatibus manus* *Pſal.* 124. *ſuas*. Non aliter hoc loco Iobus, a Eſto; plane nulla mei ratio habeatur; ceterũ qua ratione in uia uirtutis conſiſtent, niſi, contra quàm putant alii, res iuſtis proceſſerint: ut ad eos ſit uitæ iucunditas ab iniuſtis hominibus remigratura? In homine uero integro, & incorrupto, quid animi futurum ſit ad audendum, niſi ſceleratorũ fortunatæ uitæ condicio immutata fuerit? ac maius ſit inſontiũ, quàm ſontium robur? Recte huius rei in me ceteris prodetur exemplum; ſi ſuperiorem felicitatẽ recuperaro; & qui iniuria alios uiolant, humiles, abiectosq. uidero. Quæ quidem Iuſtus cunctis precatur: ita non pro ſe ipſo tantummodo, ſed pro uniuerſo Iuſtorum genere Deo preces adhibuit.

a ἔςω δὲ ἐμὰ ἐν οὐδενί. quæ uerba ancipitem ſententiã præſeferunt.

Verumtamen omnes adnitimini, & iam accedite: non enim inuenio in uobis uerum.

Prorſus, inquit, iis, quæ a me dicta ſunt, rurſus ſtomachamini; &

uos

uos ipſi ad me refellendum comparatis, quaſi in aciem progreſſuri, uerbis inſtructi; atque alter alteri fert ſuppetias; ut, quod uni deeſt, præſtetur ab altero. Confirmatis igitur & corroboratis animis, conſpirantibus ſtudiis, collectis uiribus, & quaſi facta teſtudine, una concurrite. Quamuis enim cuncti conſenſeritis; quamuis mihi millies oratione aduerſati fueritis; uos nihilominus mendacii conuincam; neque enim a uero uos ſtare animaduerto.

Dies mei præterierunt in fremitu, & [1] rupti ſunt articuli cordis mei.

[1] Aug. Conuulſæ compages. Amb. articuli.

Polychr. Rurſus, quæ ſibi acciderunt, orditur exponere; ut oſtendat, non ſine cauſſa a ſe mortem optari: dicit igitur. Iam multum temporis mihi abiit, & ad finem propero: in mœrore animi, atque ægritudine mihi dies conſumpti ſunt: animi robur iam pęne infractum eſt, atque diuulſum. Quòd ſi cor Principem partem animi dicit, commentari nobis ad hunc modum licebit. Vis doloris, atque triſtitiæ ad inſaniam me pęne deduxit.

Noctem in diem poſui: lumen prope a facie tenebrarum.

Olymp. Luci, inquit, præſtolans, noctem omnem, non aliter, atque diem peruigilaui, id enim natura ægrotantibus euenit, ut, cum morbus cogit uigilias agere, diem exoptet. Verum, appetente die, non ſecus, quàm in nocturno ſilentio ingemiſcebam: nec dolorum ullum erat alleuamentum. Denique, inquit, dies cum noctibus coniungebam; nec tempus ullum a lamentis & fletibus uacuum in præteritis relinquebam. Quando uero ait, *Lumen prope a facie tenebrarum*, id fortaſſe ſignificauit. Etiam lux ipſa prę animi angore, atque moleſtia haud procul mihi a tenebris uidebatur. Quemadmodum alibi de mœrentibus dictum eſt. *Occidet iis Sol meridie*;
Amos. c. 8. non occidente quidem aſtro, uerum ijs, qui mœrore tabeſcunt, diē noctem exiſtimantibus, nec lucem iucunde excipientibus.

Si enim ſuſtinuero, Infernus eſt domus mea: in caligine autem ſtratus eſt lectus meus. Mortem inuocaui patrem meum eſſe; matrem meam, & ſororem meam putredinem. Vbi igitur eſt ſpes mea? uel bona mea uidebo?

bo? uel mecum in [2] *Infernum deſcendent? uel ſimul in tumulum deſcendemus.*

[2] Ambr. in ſepulchrum. *Omnis hæc explicatio eſt item Polychronii in Cat. Pin.*

OLYMP. Atqui ſuſtinendum etiam nunc eſt; ut etiam quid accedat. Quamquam cur ſuſtineam? aut cur non optem interitum? an nō mors oppreſſura eſt uel inuitum? an non commune eſt mortalium omnium mori? an non Infernus eſt omnium domicilium? an non illic omnes ſuorum laborum exitum inueniunt? id enim oſtendunt uerba illa, *In caligine ſtratus eſt lectus meus*, ideſt, in regione quę luce orbata eſt moleſtiarum, quæ ſunt in hac uita ſuſceptæ, datur laxamentum: atque ea de cauſſa pro patre eſt mihi interitus; nec iniuria illius aduentum exopto: pro matre, corporis eſt tabes atque diſſolutio, quæ neceſſario poſt mortem continget, illamq. ipſam tamquam ſororem cupio mihi eſſe dilectam, cunctisq. amicitiæ nominibus appello, atque complector. Ideo autem hæc dico, quia iam corpus propter luem, atque perniciem male olet; & ſimile eſt ea laueris, ac mortui præſeferentis effigiem. Nec uero putetis illud mihi eſſe in optatis; ut, his rebus deſperatis, quæ apud nos ſunt, in Inferorum regione fortunis locupletet. Vtrū contingat id aliquando, ut diuitias in Infernum ſuas quiſpiam deportet? aut gloriam partam in uita illuc adducat? An uero cum bonorum poſſeſsione ad tumulum, hoc eſt, ad eos, qui degunt ſub terris, hinc poſſum demigrare? Certè fieri id nulla ratione poteſt. Cuinam igitur ipſe ſpei pręſtolor? huic ſcilicet, quod condictum eſt, non multo poſt decedendū eſſe, atque humana hæc omnia relinquēda. In his enim ego nil aliud pręter mortē exſpecto; ceteramq. mihi fore quietem mortem arbitror; quam cum fuero complexus, dolorum memoria mihi omnis euaneſcet. Vt enim, qui extremum uitæ diem morte confecerunt, præſentium rerum ſpem omnem abiecerunt; ſic ipſe rerum, quas a me eripuerunt, ſpem nullam ſum adhuc adeptus: quòd ſi in ſpem quampiam ingreſſus fuero, hinc tamen emigrabo; & quidem, ut is, qui nulli rei ſtabili fruſtra inhiauerit; nec ulla bonorum deguſtata uoluptate, lucis huius uſuram reddam. Quæ cum ita ſint, merito mortis tamquam patris aduentum opperior. Quemadmodum enim filijs patres ſolatium prębent; ſic mihi in nulla re alia quies eſt, atque perfugium, niſi in morte, corporisq. diſſolutione. Appoſitione autem exempli malorum atrocitatem poſuit in conſpectu. Quemadmodum enim, inquit, inchoati partus in parentis utero uiuere uidentur, illicq. continentur, patrem uero eum, a quo ſati ſunt, habent; nondum

autem

autem in lucem ſuſcepti humore, ſanieq́. plurima ſunt circumfuſi: ſic & mea eſt plane condicio: mors enim nondum aduenit; nec tamen extra me ipſum degit; quinetiam tamquam pater mihi conciliata eſt, & me quaſi uentre quodam malorum circumſepſit; neque ullam largitur ſolutionem malorum; neque ſpem aliquam ſalutis oſtendit. Nec non illud nos docuit; ab ijs, quæ in hac uita bona, & præclara habentur, cupiditatem eſſe auocandam; nec enim eorum quidquam nobis comitabitur: Ita non temere a ſe, qui tot moleſtias exhauſerat, optari interitum idoneis rationibus confirmauit.

ADDITIO IN CAP. XVII.

A *Parti annunciabit malitias.*

POLYCHRONII.

HAVD, inquit, mirum, ſi meis dictis teſtimonium dantes contradicitis. Deteriorem enim cauſſam melioti anteferτis. Cum enim de mea direptione bonorum nihil mœreatis; Cum de filiorum extinctione nullam mihi miſericordiam tribuatis; in me etiam conuicia intorquetis.

PROTHEORIA CAP. DVODECIMI.

IOBI longiori orationi indignatur Baldadus. Minime decet, inquit, more belluarum eos, qui ſilent, prouocare. Deinde, quia id ſepe in ſermone Iobus iniecerat, mortis ſe eſſe ſitientem; quid te, inquit, iactas inſolenter? dicisq́; identidem; Libenter exirem e corpore? tuaq́; ita oſtentas, tamquam ſi homo ipſe non eſſes? tuaq́; ſolius mors huius totius vniuerſitatis futurus eſſet interitus? Hæc vbi dicit, ad ea, quæ contingunt impiis, orationem conuertit; ac, licet vniuerſe loquatur, Iuſtum nihilominus impietatis inſimulat.

Suſcipiens autem Baldad. Sauchites, dicit; Quouſque non quieſces? Suſtine; ut & ipſi loquamur. Cur autem tamquam quadrupedes ſiluimus coram te?

OLYMPIODORI.

CAPVT XVIII.

SAVCHABORVM Tyrannus tyrannice differit. Quouſque, inquit, non ceſſabis? Suſtine, ne putes tibi cum belluis fore ſermonem; neque adeo uerboſa utaris oratione; ſed nobis potius habendæ orationis locum tribue, tuæ interim uelis contractis. POLYCHR. Quamobrem non in ea cogitatione acquieſcis, ob tua peccata corpori plagas eſſe inflictas? ipſe autem, hac cogitatione abiecta, contra Deum uteris audacia; ac nos de induſtria ſilere cupientes incitas, ad loquendũ. Nec enim fas eſt, nos tamquam homines nullius rationis compotes, nefariæ tuæ aduerſus Deum obtrectationi aſſentiri. CHRYS. Videas eos in illius cauſſa eſſe iudices, atq; diſceptatores: uideas eoſdẽ hoc agere, & cupere, ut eius os obſtruant. Atque id non amplius conſolantium, ſed multo maxime irritantium, conuiciumq. facientium eſt opus. Suſtine, inquit, ut etiam ipſi loquamur. Quid cauſſæ fuit, cur accederetis? an non ut etiam uos loqueremini? Cognoſce hominum ambitionem, ipſum ſilentium ſummam eſſe amentiam exiſtimantium. Nempe non id eorum eſt, qui conſolandi rationes adhibere conantur. Plus tibi, inquit, quàm nobis commodi partum erit, ſi, uictoria adepta, ſuperior nobis diſceſſeris. Ac uide, quemadmodum omnes ei loquacitatem obijciant: uide quemadmodum eum accuſent & criminentur. Pariter, inquit, ipſi ac tu, ratione utimur: noli putare ulla te re nobis eſſe ſuperiorem.

1 Amb. interfecit te.

1 *Male affecit te ira.*

OLYMP. Poſſunt hæc uerba cum interrogatione legi ad hunc modum; Vtrum ira ſua te Deus multauit? nam dixerat Iobus, Ira ſua uſus, deiecit me. Poſſunt etiam cum affirmatione, ac nuda enunciatione intelligi. Heus tu, qui contra te ipſum, tuumq. animum excandeſcis; nimirum tuam iracundiam quaſi machinam contra te comparaſti. In Deum iracundia incitari, & quaſi furentem tanta uerborum aſperitate uti, & iam uitæ pertæſum, mortem ubique inculcare, nil eſt aliud, quàm in tuam ipſius animam ſtomachum

erumpere.

erumpere. Hanc ſententiam Theodotio ſua interpretatione plane expreſſit; ſic enim ille, Diſcerpens animam tuam in furore tuo.

Quid enim? ſi tu mortuus fueris, inhabitabilis erit, quæ ſub cœlo eſt? aut ſubuertentur montes a fundamentis?

OLYMP. Adeon' exiſtimas, inquit, te ſtante, mundum conſiſtere? ut adeo magnifice de te, tuisq. rebus loquare? Quaſi uero omnis hæc rerum uniuerſitas, te uno extincto, damnum factura ſit: ſic optas interitum, [a] tamquam ſi omnis hæc regio, quæ Soli ſubiecta eſt detrimentum tua morte capere debeat: tamquam communis futurus ſit rerum omnium interitus, ſic ſermocinaris: perinde quaſi tua iuſtitia res humanæ conſtitutæ ſint, teq. e medio ſublato, haud quiſpiam ſit futurus ſuperſtes, qui diuinum nobis numem placatum efficiat.

a Poſterior pars huius expoſitionis ſumpta eſt a Polychr. planum ex Cat. Pin.

Et lumen impiorum extinguetur.

Symmachus autem, Profecto.

A *Et non diſcedet eorum flamma.*

Pro quo Theodotio, non lucebit, eſt interpretatus.

B *Lux eius tenebræ in tabernaculo: lucem autem ſu-*

C *per eum extinguetur.*

OLYMP. Enimuero, inquit, ſic habeto, quamuis lux fulgeat impijs, ſublimeq. prouehantur; (id enim flamma oſtendit) res nihilominus, rationesq. eorum inclinationem paſſuras eſſe contrariam; omniq. illorum uitæ eſſe tenebras offundendas, hoc eſt, ab infortunio illorum ſtatum occupatum iri, ac licet exigui temporis felicitate potiri uideantur, pœnas tamen dabunt omnino, domeſticæ lucis ſplendore amiſſo, ut non amplius eorum extent inſignia. *Lucerna autem ſuper eum*, ideſt, ſuperior ille nitor, & cultus, & quæcumque ſplendorem impio attulerunt, extinguentur: ei enim illato ſupplicio, gloria illius concidet uniuerſa. In quo ipſo ſimilitudine eſt uſus: ſiquidem qui in lumine ambulant, hi nequaquam offendunt. CHRYS. Attende autem mihi improbum hominum ingenium; cum enim mala, quæ impijs inferuntur, grauia eſſe confirment, eiuſmodi ea dicunt eſſe, cuiuſmodi Iobus opprimebatur: & quidem uerba cum illius calamitatibus implicant; ut ferme hunc ipſum demonſtrare conentur. Nam cuiuſmodi ſint, quæ loquantur, audi.

Venentur infimi ſubſtantiam eius : erret autem conſilium eius.

Pro quo Theodotio, Præcipitabit eum conſilium eius.

Immittatur pes eius in laqueum : in rete inuoluatur: ueniant ſuper eum laquei.

Hęc ab auibus, & animalibus, quæ uenatu capiuntur, transfert; ut doceat mala, quę in impium incubuere, nulla poſſe ratione uitari. Quemadmodum enim animalia, quæ ſeſe in laqueos, retiaue induerunt, euadere non poſſunt; ſic impij neceſſarijs, e quibus eripere ſe nequeant, implicantur ærumnis: &, quod peius eſt, non ſolum a potentibus, ſed ab infimis etiam ſæpe hominibus fortunarum ſuarum coguntur euerſionem illatam ſuſtinere; interim omni eorum conſilio interuerſo, atquę in contrariam partem abrepto. Ac ſi diceret, Tu, qui in tua iuſtitia gloriaris, tuo ſcelere rem tuam amiſiſti, ac malis, quæ prohibere non potes, es irretitus; id quod laquei, retiumq. ſimilitudine declarauit.

Roborabit contra eum ſitientes.

Confirmabit, inquit, Deus eos, qui opibus impij expleri ſe uolunt; & qui contra aliquid machinantur, illos ipſos impio robuſtiores efficiet: & ille quidem perpeſsioni malorum erit expoſitus, Deo ſic decernente: alij uero in eius annonam, poſſeſſionemq. inuolabunt.

Abſconditus enim eſt funiculus eius, & captio[1] *eius in ſemitis.*

[1] Amb. Decipula eius.

Olymp. Et hoc per metaphoram extulit, a retibus filo contextis transferens, quas in terra aucupes occultant; ut aues delapſas, adducto fune, contractisq. retibus, aucupentur. Vt enim, inquit, qui capiendis auibus inſidiantur, retium funiculum occultant in terra, eminusq. ſedentes, num in retia præda inciderit, ſpeculantur; deinde, funiculo adducto, prædam inopinatam, & circumretitam capiunt; ipſæq. uolucres ad paratam eſcam aduolantes, nec ſentientes irretiuntur: ita prorſus impij, cum omni metu poſito, agant improbe, imprudentes ſubitis ærumnis, infortunijsq. implicantur. Quamquam hoc etiam funiculus impij ſignificat, partem eius obrutam eſſe; [a] uel etiam ſuis ipſum flagitijs fore deuinciendum, atque in cunctis ſemitis ſuis colligandum. Hûc illud pertinet. *In laqueo, quem abſconderunt, comprehenſus eſt pes eorum.* Pſ. 9.

[a] *Verba hæc. Vel etiam uſque ad illa, illud etiã captio etc. ſunt item ex Iuliani interpretatione teſtes Vaticani Codices.*

rum. Illud etiam, *Captio eius in ſemitis*, eius ſententiæ expoſitionem habet huiuſmodi. Incurſiones, atque irruptiones in ſolitudinibus, locisq. deſertis fieri ſolent: uerum impius, inquit, non in deſerta regione, ſed in media uia comprehenditur, hoc eſt, in ſummo fortunæ ſplendore ſubitam conuerſionem cogitur ſuſtinere.

In circuitu perdant eum dolores.

Huic, inquit, mala haud ad perpeſsionum dumtaxat hærent metas, uerum interitu quoque pœnas perſoluit. Vel etiam illud, *In circuitu*, pro hoc altero eſt. Ex omni parte malorum eum acerbitates attingent.

Multi circa pedes eius in fame anguſta.

OLYMP. Alij uero exſcripti libri ſic habent, *Circa multorum autem pedes* [1] *veniat in fame anguſta*. Ideſt, ad ſummam redigatur inopiam, ut ad multorum pedes abiectus, & ſupplex uictum precibus quærat. At prioris lectionis hæc ſententia fuerit, *Multi erunt*, inquit, *circum pedes eius*, ideſt, multi arcta fame, hoc eſt, ea, quæ in illum incidit, calamitate eum euetient.

1 Veniát ex Vat. cod. Amb. eodem modo.

Ruina autem ei præparata eſt ingens: deuorentur autem rami pedum eius: comedet autem ſpecioſa ipſius mors: rumpatur autem de habitaculo eius ſanitas.

Veteres codices conſulenti mihi indicatum eſt hanc omnẽ interpretationẽ verbis tum Olymp. tum Polych. eſſe contextam.

Ruina impij mors eſt: quæ cum uidentibus admirationi eſt, tũ opes liberis, ac poſteris minime tranſmittit. OLYMPIOD. Ramos enim filios dicit, pedes uero actiones, atque facinora: ſati enim liberi parentes quodammodo ſunt. Ramos item pedum itinerũ progreſsiones licet interpretari, tanquam ſi diceret, Haud recta iter impio confiejetur, ruina ingenti opprimetur. Quinetiam *ſpecioſa illius*, ideſt, ſobolem mors inexplebili cupiditate conſumet. Quod ipſum ideo dicit Baldadus; ut liberorum orbitatem propter ſua facinora tuliſſe Iobum oſtendat; cui maior ex filijs extinctis, quàm e ceterarum rerum amiſsione dolor accidit; etſi in reliquorum bonorum direptione animum philoſophia dignum prætetulit, tamẽ fuit idem in liberorum morte illuſtrior. Illud uero, *Rumpatur de habitaculo eius ſanitas*, huic par eſt, [a] In perditis erit illi rerum abreptarum reſtitutio; illiq. eiuſmodi euenient, ut nullam medicinã, curationem nullam queant admittere.

a In perditis &c. ſunt Polychr.

Teneat eum neceſsitas [2] *cauſſa regalis.*

CHRYSOST. Ideſt, ſupplicium Dei inexorabile. Quòd ſi humanã

2 Ambr. accuſatione regali. Auguſt. autem cauſſæ regalis.

dixit animaduerſionem, ideo dicit; ut ea, quæ non Iobo contigerunt, admiſcens, eius cauſſa hæc eadem dicere minime uideatur. Sed tamen, quod loquitur, eſt huiuſmodi. Non ſolum impius ab inferioribus male multabitur, ſed etiam ab ijs, qui dominantur, in ærumnas coniicietur. Quamquam Aquila ſignificantius interpretatus eſt, Et incidet ei regis ἀνυπαρξία, ideſt, fortunarum ſpoliatio a rege illi contingat.

Habitabit in tabernaculo ſuo in nocte ſua.

Olympiod. Alij codices, pro illo, ***In nocte ſua***, habent, ***In corpore ſuo***. Ergo illud, ***In nocte ſua***, pro hoc altero eſt, In caligine, & in tenebricoſa nocte ei omnis erit commoratio. Verba autem illa, ***In corpore ſuo***, hoc ualent. Locum ingredietur, ubi cum ſumma deget inopia; nec quidquam præter ſuum ipſius corpus erit ei reliquum. Sententiam hanc Theodotio uerbis his extulit. Habitabit in tabernaculo eius cunctarum rerum interitus. Polychr. Hebræus autem habet. Habitabit in tabernaculis non ſuis; dicitq. aliquid amplius, hoc eſt, uagus in alienis commorabitur domicilijs.

Spargentur ſpecioſa eius in ſulphure.

Olymp. Theodotio autem, Triturabitur in ſpecioſitate ſua. Sulphur dixit diuinam ultionem a Deo conſtitutam: ut enim, inquit, igni terris illato, omnia extinguuntur; ſic impiorum, quæ uidebatur, felicitas, delebitur uniuerſa; cunctaq. illius euadent fructu carentia, ſulphure propemodum perſperſa. Quod ipſum in regione Sodomitide factum eſt, quam Deus; immiſſo igni, redegit in cinerem. Huius ſimile quiddam de improbis hominibus uaticinatus eſt Dauid. *Ignis, & ſulphur, & ſpiritus procellæ pars calicis eorum.* *Pſ.* 10.

Deorſum radices eorum ſiccabuntur.

Polychr. Quinetiam, inquit, omnis eius ſecuritas (id eſt enim radix) refutabitur; cum nihil contra diuinum decretũ ualere poſsit.

Et deſurſum cadet meſsio eius.

Polychr. Quòd ſi ſuſpicio nouæ ſobolis relicta erit, protinus euelletur, eiusq. ſpectatus ſplendor cum bonorum omnium poſſeſsione interibit. Hæc uero dixit, ab arboribus, quæ excindũtur, transferens.

Memoria eius pereat de terra.

Polychr. Ideſt, e cunctorum mortalium memoria impius elabetur. Eius enim filij, qui monimentum ſunt parentum, morientur.

Et

Et erit nomen ipſi in faciem exterius.

OLYMP. Nomen, inquit, eius uſque eo dirum erit, atque execrabile, ut, quicumque illud àud iturus eſt, ſolius nominis odio ſit ab eo, qui illud appellarit, os ſuũ auerſurus. POLYC. Symmachus uero. Et nõ erit nomẽ eius ſuper faciẽ fori: ac ſi dicat; Nec in amicorũ, nec in alienorũ uerſabitur memoria: ſiquidẽ ſua queq; accuſãt facinora.

Extrudant eum de luce in tenebras.

D Hoc eſt, de felicitate, & ſplendore, quem erat in uita adeptus, ad infelicitatem, atque ad eam, quæ infelicitatis comes eſt, animi ęgritudinem deturbabitur.

Non erit agnitus in populo ſuo, [1] *neque ſaluata in* [1] Amb. nõ erit ſaluata in ſubcęleſti domus eius.

E *ea, quæ ſub cœlo eſt, domus eius.*

POLYCHR. Aquila autem. Nec parentes, nec poſteri in populo eius. Sententia eſt eiuſmodi. Ij, qui rerum potiuntur, non prius dęſiſtent, quàm extrema calamitate afficiant impium: nec domus eius ſuceeſsio ad quempiam pertinebit, non ad filium, non ad nepotem: omnes enim funditus interibunt.

Sed in rebus illius uiuent alij.

POLYCH. Quòd ſi ullæ ei reliquiæ fuerint, harũ poſſeſsio ad alienos trãsferetur. OLYMP. Omnia hęc, unà excepta neceſsitate regali, Iobo euenere; etſi eiuſmodi neceſsitas eo eſt a Baldado fortaſſe uſurpata; ut Iobi cauſſa hęc dicere ne uideretur; etiãſi non, queãdmodum cũ ſuo animo ſtatutũ habebat Baldadus, ulla ſua culpa Iobus illa patiebatur.

Super eum gemuerunt infimi.

Aquila autem, In die eius infelices erunt poſtremi.

Primos autem habuit admiratio.

OLYMP. Primos eos dixit, qui eiuſdem memoriæ, atque ætatis ſunt ſeniores; poſtremos uero, qui poſt eum futuri ſunt. Impij, inquit, admirabuntur ruinam, tum qui cernẽt oculis, tum qui ab alijs poſtea auditione accipient: [a] & formido quidem illata iuuenibus faciet, ut ij in rebus ſuis trepident; qui uero ætate fuerint, & uſu rerum ſuperiores, in rebus ipſis obſtupeſcent. [a] *Et formido quidem &c. Polychr. ex Vatic.*

Hæ ſunt domus iniuſtorum; hic locus eorum, qui non cognouerunt Dominum.

OLYMP. Earum, inquam, rerum, de quibus adhuc dictum eſt, cernent impij hæreditatem. Sed nimirum hic ipſe Baldadus errore

lapſus

lapſus eſt, cum pronunciauit, omni ſublato diſcrimine, impijs iſthęc euenire; præſertim cum ijs non hic omnino, ſed in eo, quod conſequetur, æuo ſit prorſus reponendum.

ADDITIONES IN CAP. XVIII.

A *Non diſcedet eorum flamma.*

POLYCHR.

HINC eis demigrantibus nulla fit bonorum acceſsio, pœnas autem dant peccatorum.

B *Lumen eius tenebræ in tabernaculo.*

POLYCHRONII. Tu uero, inquit, ſtulte de te ipſo gloriaris: cum rerum natura ſecus, ac tu loqueris, doceat: omnes enim impios uidemus, licet breue tempus læto rerum ſtatu potiantur, pœnas tamen perſoluere, lucisq. qua fruebantur, claritate extincta, eiuſmodi ſeſe oſtendere intuentibus; ut numquam clari fuiſſe uideantur.

EX COD. VATICANO.

C *Et lucerna ſuper ipſum extinguetur.*

Eiuſdem. Supplicio ei irrogato, gloria eius dilabitur uniuerſa.

D *Extrudant eum de luce in tenebras.*

OLYMPIOD. In tenebras, pro eo, nomen eorum in tenebris exterioribus iacebit: lumenq. omne ab his fugiet.

E *Non erit agnitus in Populo ſuo.*

CHRYSOST. *Amici mei, & proximi mei aduerſum me*, inquit, *appropinquauerunt, & ſteterunt.* *Pſ. 37*

PROTHEORIA CAP. DECIMITERTII.

AMICI quidem Iobum obiurgant, tamquam audacius ſua efferentem: contra Iobus eos accuſat, vt homines ſibi contumelijs infeſtos. Ac verbis vtitur huiuſmodi. Hoc vnum vobis cupio eſſe perſpectum, Deum ſolum eſſe, qui plagas mihi has inſanabiles inflixit: vt, cum id cognoueritis, timeatis, ne forte vos quoque is paribus irretiat malis. Ideo autem ijs ſuccenſet; quòd ei coram obtrectent. Demus, inquit, me ſecus, ac decebat, loqui; nihilominus a vobis, qui amicitiæ iure mihi iuncti eſtis, non oportebat meas miſerias affligi vehementius. Quæ poſtquam ad

amicos

amicos dixit, rurſus ad malorum, quæ illum circumſedent, expoſitionem ingreditur; ſibiq́; & illis perſuadet, illata ſupplicia eſſe humanis culpis grauiora; immo vero illarum plagarum eſſe inimicum dæmonem auctorem. Nam reapſe communis omnium hoſtis erat, qui illum tam improbe tractabat; tametſi aduerſario permiſſæ licentiæ cauſſam ignorabat. Deinde amicos orat, vt, ſi minus illum tamquam iuſtum vereantur, ſaltem tamquam amici hominis miſereantur; optatq́; verba ſua ſcriptis mandari, vt conſequentis ætatis memoriæ commendentur: quod ipſum ſane euenit; nec Iuſti vota irrita extiterunt. Illud item in amicis reprehendit; quòd rationem ſedulo inibant, quemadmodum ipſum ſermonibus lacerarent, eoſdemq́;, vt a conuicijs abſtineant, hortatur; ſiquidem Dei iudicium uereantur.

A *Quouſque feſſam facietis animam meam?* CAPVT XIX.

ORIGENIS.

QVEMADMODVM onera grauia impoſita animalibus ferentibus laſsitudinem adferunt, ſic graues moleſtiq́. ſermones nonnulli reperiuntur, quibus eum, qui audit, defatigari neceſſe ſit, & ui uerborum, quæ cum conuicio aſpere, contumelioſeq́. iactantur, onere quaſi quodam opprimi: Ex hoc genere uerba Baldadi fuerũt; quæ ita grauia Iobo acciderũt; ut flacceſcens iam animo dicat. *Quouſque feſſam facietis animam meam*? & ueluti graui pondere, me uerbis onerabitis? Viden', ut Sauchæorum Tyranni ſermones tyrannidem ſpirent? quos ubi Iobus audiuit, hoc uiciſsim reddit: * nec enim quidquam ſic hominis attingit animum, ut ſermo durus. Nam ſæpenumero, qui corporis cruciamenta tolerauit, non paſſus eſt uerba. Contumeliam enim perferre, magni eſt uiri. Ita Apoſtolus in egregiorum ſuorũ
1.*Cor.* facinorum commemoratione inquit. *Contumeliis affecti, benedici-*
c.4. *mus; maledictis uexati, exhortamur*. Sed Iobus, qui hęc dicit, eſt athletarum fortiſsimus; in cuius libro nihil ita eminet, ut eius fortitudo, ac patientia: labores tamen ſentit, quos ex eorum duro ſermone, qui ad eum uiſendi cauſſa uenerant, hauriebat. Et quoniam

Nota
*Οὐχὶ οὕτως γὰρ καθικνεῖται ψυχῆς ἀνθρώπου ἄλλό τι, ὡς λόγος σκληρός. πολλάκις γάρ τις ὑπομείνας βασάνους σώματι προσφερομένας, λόγους οὐχ ὑπέμεινε. ὕβριν γὰρ ὑπομένειν μεγάλου ἀνδρός ἐστι.

niam pondus orationis, quaſi graue onus impoſitum animo, defatigare conſueuit; idcirco his pęne loquitur uerbis, Quamobrem, ô amici, ad corporis dolorem animi quoque moleſtiam adhibetis? dum me magis uerbis, quàm dolores corpus, conciditis? CHRYS. Vide, ut non modo commodi nihil adferant; ſed etiam diabolo ſuppetias ferant; illiq. armis auxilientur, ac Iuſti robur euertant. Nam addit.

ı Ambr. occiditis me ſermonibus. Aug. deſtruitis me uerbis.

ı *Et euertitis me verbis.*

POLYCHR. Ideſt, iuſtas meas defenſiones contrariis ſermonibus labefactare nitimini; & hoſtium more pro iaculis uerba mittitis, quoad intentum animi robur infringatis, & iniquam uictoriam reportetis. Nec uobis ſuperiora ſatis ſunt uiſa; uerum nunc quaſi uno ore omnes tres eadem loquimini; atque (ut Theodotio, & Symmachus interpretati ſunt) en decies confudiſtis me.

Scitote ſolum, quia Dominus fecit mihi ſic.

A ORIGEN. Hæc, inquit, quę me mala circumuallant, ne putetis aliunde, quàm à Deo mihi cecidiſse. Poſtquàm igitur calamitatem meam ueſtris animis informaueritis; & cogitatione magnitudinem ærumnæ pertractaueritis; malorumq. atrocitatem eiuſmodi fuiſſe intellexeritis, ut anteactæ beatæq. uitæ ueſtigium nullũ reliquerit; necnon illud ratione luſtraueritis; haud alia, atq; mea eſt, uos natura conſtare, ſcilicet metuite; ne, cum in meis conuiciis, maledictisq. peccetis, pendatis pœnas, paresq. plagas accipiatis. Nam, qui mihi illas infligit, peræque poteſt uobis infligere. Hoc autem iis metum infert, quòd nefas eſt in eos inuehi, in quos diuina animaduerſio incubuit: immo uero decet potius eorumdẽ ſortẽ lugere, ac formidare. Quaſi hæc Iobi uox eſſet. Nolite mihi laboranti imminere infeſti; ne, ſi nulla uos ærumnoſæ meæ condicionis miſeratio tangat; ſi nullus communis ſenſus doloris; ſimilibus malis, (quandoquidem eiuſdem naturæ conſortes eſtis) implicemini.

B a *Maledicitis mihi, non reueriti me: inſultatis mihi.*

a Horum uerborũ pleniorem explanationẽ habes in additione B. ex Vatic.

Graue quidem eſt obtrectare abſentibus, uos autem, omni abiecta uerecundia, mihi coram conuicium facitis, & acrius inſtatis, ex mea calamitate nullo miſericordiæ, nullo doloris ſenſu ſuſcepto. ORIGEN. Sæpenumero quis agens flagitioſe obtrectat alteri: vbi uero pudoris lineas tranſilierit, coram iactat maledictum; quãuis nec quidquam interim certo probet, nec uera adferat; ſed contumelia dumtaxat, atque conuicio afficiat.

Pro-

C *Profectò iam ego uere erraui: apud me habitat error: loqui uerbum non oportebat: uerba autem mea errant, (et) non in tempore: ſine autem, quia in me magnificamini: inſultatis autem mihi opprobrio.*

OLYMP. Aquila autem, & Theodotio. Arguitis contra me opprobrium meum. Plane, inquit, iſtam uobis concedo hypotheſim; me ob mea peccata, ut uos opinamini, hæc mala perpeti; & illud detur uobis, me a recta uia declinaſſe: demus me a uero protſus aberraſſe, & me ipſum uerbis, ſeu adeo rationibus falſis tueri; & cum ſim impius, iuſtitiæ habitum ementiri; neque opportunā a me orationem adhiberi: reſideat etiam apud me error, uel (ut aliis placuit interpretibus) ignoratio; nec quidquam apte, decore ue loquar. Quid? ut hæc, quæ nō oportebat, propter hypotheſim largitus ſim, ut talis fuerim; ut nulla mihi libertas orationis a pietatis officiis, quibus olim perſunctus ſum, tribuatur; ut innocentiam quoque ſimulem, & tamquam iuſtus reſpondeam [a] an nō decebat tamen uos flagra, ſaniem, uermes, bonorum amiſſionem intuentes uereri, atque homini in dolore uerba facienti ueniam tribuere? Nec uero conuiciis ſolum, quibus me inceſsitis, non moderamini; uerumetiam in hominem in tanta malorum perpeſsione, in tantis ærumnis uerſantem impetum facitis, ac propemodum pedibus obterentes inſultatis.

[a] *An non decebat &c. conſequentem expoſitionem ab Origine accepit Olymp. perſpicuum ex Vatic. Cod.*

Cognoſcite igitur, quia Dominus eſt, qui conturbauit.

Ideſt, qui adeo res meas confudit. Hebræus pro, *Conturbauit*, habet, Percuſsit me. Ruiſus ſententia hac procœmium inſtruxit; ut amicos perterrefaceret, atque a contradicendi ſtudio auocaret. [b] Si ad meam plagam, inquit, meditati fueritis, metuetis uidelicet, ne par in uos incurrat calamitas.

[b] *Si ad meam plagam &c. ſunt Polychronij in Vaticano exemplari.*

Munitionem autem ſuam in me exaltauit.

OLYMP. Haud me temere angi exiſtimate debetis: tamquā enim uallo quodam, & muro, ſic malis ipſe cingor undique; & infortunio quaſi muro ſic circumcluſus ſum, ut euadere plane nō poſsim, donec Deus ſuo decreto illum diſturbarit. Hanc item potes in eumdem uerſum ſententiam accommodare, quaſi editum quoddā propugnaculum Deus inter me, ac ſeipſum, interiectum excitauit; ut ſi diceret; Omnem mihi ſuam opem denegauit.

Ecce ego rideo opprobrio, & non loquar.

OLYMP. Varios uerba hæc habent explicatus. Aut enim hoc dicit. Vobiſcum probrũ obiicientibus, ridere potius uideor, quàm colloqui. POLYCHR. aut uero hoc aliud. Quamuis de rebus meis uere dicam; meos tamen non probabitis ſermones; immo uero illud ueſtro refellendi artificio aſſequimini; ut nec ipſe quidem dixiſſe uidear. OLYMP. Aut ſic. Præſtat iſthæc ueſtra ridere conuicia, & tamquam falſa contemnere, quàm ad ea quicquam reſpondere: quid enim dicam? quandoquidem nondum ex ulla ſententia intelligi poteſt, quis noſtrum dictorum ueritate nitatur. Quare addit.

Vociferabor, & nuſquam iudicium.

CHRYS. Nullus, inquit, audit; nullus eſt iudex; nullum uideo; quo me uertam, neſcio: an non hæc miſericordia digna erãt? quãquam hanc etiam potes facere horum uerborum interpretationem, quòd ſi Deum inclamaro, ut res meas cunctis faciat inſignes, nequaquam mihi aderit ſupplicanti. Itaque Symmachus dixit. Si clamauero læſus iniuria, non exaudiar. ORIGEN. Nunc ſi clamauero, non tamen iudicium ueniet. Etiam nunc decerto: tamquam ſi diceret. Veluti quidam athleta in ſtadio conſiſtens uociferor, nec tamen meum aliquando inſtituitur iudicium: etiam nũc pugno. Ac, niſi mihi fuerit certamen confectum, de mea corona haudquaquã iudicium fiet. Hoc autem nos hæc dicimus, quo Deum ab omni reprehenſione uindicemus; quamuis nondum de Iobo tot malis oppreſſo pronunciarit, ideſt, nullam de liberatione malorum, ſolutioneq. miſeriarum ſententiam tulerit.

D *Vndique ædificijs circumſeptus ſum, & non tranſibo: ſuper faciem meam tenebras poſuit.*

OLYMP. Alii uero pro, *Super faciem meam.* Super calles, dixerũt.[a] Eiuſmodi, inquit, mala ſunt mea, ut oratione percurri nõ poſſint: tantiſq. ſum circumſeptus ærumnis, ut prorſus nullum exitũ reperiam. Vt enim ij, qui muro ſunt aliquo undique circumcluſi, aut cæca quadam oculorum caligine circumfuſi, longius progredi non poſſunt; ſic mihi omnis eſt erepta facultas, pedes e calamitatibus efferendi. Tenebras mihi obduxit: quo confugiam non habeo, nihil uideo; nihil poſſum, ac ualeo: quaſi mole, & cuſtodia ſeptus teneor.

[a] *Huius expoſitionis prima uerba sũt etiam Polychro. in Codice Vatic.*

Clo-

Gloriam autem meam a me exuit; abſtulit autem coronam de capite meo.

POLYCHR. Meam, inquit, felicitatem omnem amputauit. Gloriam, rerum uariam abundantiam nuncupauit: ac ſi diceret. Et poſſeſsiones, & diuitias, & ſpecioſam ſobolem, & externum ſplendorem, & corporis ualetudinem a me abſtulit: omnia hæc his uerbis indicauit. Coronam autem ademptam ſibi eſſe dixit: uel quòd ipſe Rex erat, uel quia omni uitæ iucunditate, dignitateq. fuit ſpoliatus; id quod uerba, quæ conſequuntur, non obſcure declarant.

Diſcerpſit me in circuitu, & abij: excidit autem tamquam arborem ſpem meam: ira autem me grauiter multauit: reputauit autem me ueluti hoſtem.

POLYCHR. Me, inquit, membratim diſcerpſit; bonorum, quæ aderant, poſſeſsionem ademit; præclaræ ſobolis memoriam deleuit; bonam ſpem meam omnem non aliter atque arborem excidit; non ſecus quàm hoſtis iracundia inflammatus, contra me copias comparauit, & corpori plagam inflixit, meq. grauius, quàm ſi aduerſarius eſſem, multauit. Pręclare uero dixit. *Tamquam:* neque enim aut hoſtili animo, aut etiam perturbato Deus ſupplicia irrogat. Hęc autem ideo dicit; ut tum amicis, tum ſibi perſuaderet, humanis erratis pœnam eſſe ſuperiorem; præterquam quòd Iuſtus non culpa ſua aliqua, ſed ad uirtutem tantummodo exercendam illis malis affligebatur.

Vnanimiter autem venerunt ſuper me cunei piratarum eius.

POLYCH. Theodotio [a] Latrunculi: Symmachus uero, Agmina ad inſidias inſtructa, interpretatus eſt. Quod autẽ dicit, eſt huiuſmodi, Vno impetu cunctæ contra me ærumnæ conſpirarunt. Partem ſcilicet bonorũ calamitoſo eripi, partem relinqui, aliquid demum adfert ſolatij: uerum uno tempore, ac repente omnibus ſpoliari, magnam, ingentemq. habet acerbitatem.

[a] *μονόζωνοι Suidas eos eſſe ſcribit, qui bellica virtute excellunt, eximioq; cingulo ab alijs ſecernuntur. Verum Hier. ſum in 4. Regum 13. tũ in cap. 29. Iob. Latrunculos interpretatur.*

Vris meis cinxerunt me inſidiatores.

POLYCHR. Tranſlatione ab hoſtibus ducta, hoc dixit: ij enim, cum loca omnia inſidiis occupauerunt, ſubito adoriuntur; atque eos, quibus comparatæ erant inſidię, comprehendunt. Eius ferme hæc eſt oratio. Qui mihi auctores ſunt malorum, me undique interclu-

tercluſerunt; & qui priores fuerunt, ad inuadendum ceteris uiam munierunt: aliusq. alium inſequebatur, & nunciis malorum non interruptis, animum opprimebant. [1] *Inſidiatores* autem ſunt, qui dolis atque improbitati operam nauant; qui tendunt inſidias; qui nocent, ſiue homines, ſiue adeo ii dæmones ſint. Viæ autem eæ fuerunt, quibus illi, a quibus fuerunt eius opes direptæ, iter fecerũt.

1 ἐγκάθετοι.

a Verba hæc omnis interpretationē habent in Cat. Card. Caraffæ incerti auctoris; puto eam eſſe Olympiodori, partim e Iuliani, partim e Polychronii conflatam commentario: id codex oſtendit Vaticanus.

[a] *A me fratres mei receſſerunt; cognouerunt alienos quàm me: amici mei immiſericordes facti ſunt: non me ſuum uendicauerunt. proximi mei: & qui ſciuerunt nomen meum, obliti ſunt mei; uicini domus & ancillæ meæ, alienigina fui coram ipſis.*

Hęc ipſa magnus Dauid deplorans aiebat. *Obliuioni datus ſum, tamquam mortuus a corde: factus ſum tamquã uas perditũ.* Ps. 30 POLYCHR. Iobus item nunc dicit. Neque apud cognatos ſolatij quidquam inueni. Fratres enim eos appellat, qui ſibi erant cognatione iuncti. IVLIANI. Immo uero me, inquit, hi deſeruerunt, meamq. calamitatem quaſi uoluntatis flagitium oderũt. POLYCHR. Atque adeo eos, quibuſcum nulla cognatione tenebar, ei, qua me attingunt, affinitati ante tulerunt. Illi, qui mihi in felicitate amici fuerunt, nunc in infelicitate inſidias ponunt. Illi quibuſcum maior mihi propinquitas generis propter neceſsitudinem eſſe uidebatur, hominem tot malis afflictum, & perditum, nõ modo miſericordia nulla proſequuntur, ſed etiam loco hoſtium habent. Et quidem dum res meę florerent, mihi cogniti erant; (proximos porro dicit, qui ſibi erant genere propinqui) nunc autem nemo Iobum nouit: quinetiã neceſſariis, atque domeſticis ipſa calamitas cum ad commiſerandũ eos deberet adducere, odiũ in me ipſum conflauit: & qui me paullo ante uerebantur, ac metuebant; nunc flocci faciunt: & quibus fuit antea meum nomen, & gloria perſpecta, ita nunc ſunt in me affecti animo, tamquam ſi poteſtatis meæ fuiſſent ignari. Necnon illud cognoſce; domum quoque & familiam a diabolo in Iobum fuiſſe incitatam. Non ſolum, inquit, domeſtici, ac propinqui, uerum etiam ſerui, in quos imperium tenebam, ſic nunc me tractant, quaſi nullius umquam imperii mei ſibi fuerint conſcii; meq. tamquã hoſpitem, & hominẽ quempiam alienum prætereunt. CHRYSOST. Sane mirificus fuit ille conflictus diaboli: quandoquidem qui ei tei, qui facti ſunt domeſtici, calamitatem uehementius, quàm qui

em igra-

emigrarant e uita, amplificabant. Nam qui deceſſerant, nihil amplius faciebant; qui autem manebant in uita, conuicijs, ac probris contumelioſi erant; nec morem gerebant, & uerbis illi obtrectabant; necnon alia pleraq; admittebant, quæ ipſe ſubiungit.

Seruum meum uocaui; & non audiuit.

POLYCHR. Cum mihi omne ereptum eſſet ſolatium, ſeruorum meorum obſequium flagitabam, atque adeo precibus implorabã. Voti tamen compos haudquaquam eram.[a] Id uero magnam partẽ obtinet ad dolorẽ, ab ægrotante eum acceſſiri, qui debet obſequiũ; & ab eo, quem obſequi oporteret, imperium recuſari. Et nos ergo, Iobi exemplum hoc ſpectantes, ijs, qui obſequium impertiri nobis deberent, minime debemus iraſci: vxor ne ſit, an ſeruus, an filius, qui dicto non ſit audiens; nihil ad rem:

a *Id uero, & quæ ſequuntur crediderim ipſe eſſe Olympiodori: abſunt enim Polychronii expoſitioni in Vaticano.*

Os meum deprecabatur: & orabam vxorem meam.

IVLIANI. Sed & ipſa, inquit, vxor mea me deſpiciebat: & quia eam audire recuſabam, flagitioſa ſuadentem, conficere me moleſtijs adoriebatur.

Blandiens autem uocabam filios concubinarum mearum; illi autem me in perpetuum reiecerunt.

POLYCHR. Theodotio uero, Et ſtulti expulerunt me. Filios concubinarum eos hoc loco appellat, qui non ſunt ex * legitimis nuptiis: ita ex Agar Abraham Iſmaelem ſuſcepit; & ex Balla Iacob Dan, & Nephthalim. OLYMP. Nam olim ad liberorum procreationem pellicibus uti ad generis propagationem, haud ueritum erat. Sed planius Symmachus dixit. Inuocabam blandiens filios puerorum meorum: neque enim diabolo in genus Iobi uniuersũ, ſed in domum eius dumtaxat facta eſt poteſtas. Itaque atrocior plaga uidebatur, cum cetera eius cognatio tranquilla, iucundaq. uita frueretur. Nam collatio ſolita eſt augere dolorem; maxime quòd, qui ei antea ſupplicabant, illum ipſum nunc in ærumnis contemnunt. *In perpetuum*, ideſt, omnino. POLYCHR. Hæc uero non ad filios pertinere, quamuis ſecus uideatur, illud plane oſtendit, quòd cuncti filii in conuiuio fuerunt extincti.

* Non ex legitimis nuptijs interpretare, non e primarijs Vxoribus.

Cum ſurrexero, contra me loquuntur.

b Cum fortaſſe & illi eum execrandum, impium, impurũ, & ſuorum ſcelerum ſoluentem pœnas dicebant. Aut hæc, quamuis non dicerent, illud fortaſſe, quod in diuturnioribus morbis uſu uenit,

b *Haud mihi dubium hæc eſſe Olympiodori.*

in ore habebant. Olymp. Quamdiu hic non moritur? quid pondus hoc graue, atque inutile hæret in terris? *Cum autem ſurrexero*, aut, ubi nox præteriit, a ſomno fuero excitatus; aut ab iis diſiunctus fuero, tunc ſic ſecum ipſi loquuntur. Necdum eſt mortuus? etiam nunc hic tartarus uiuit.

Abominati ſunt me ſcientes me, quos autem amaueram, inſurrexerunt in me.

Polychr. Iis, quibuſcum mihi antea conſuetudo erat, nunc meum uitant adſpectum; & hoſtes habeo, a quibus nuper diligebar: familiares enim mei, cum me prodire uiderent, ut ab iis ſolatium peterem, tamquam nefarium, numiniq́ infenſum deteſtabantur: & qui antea domeſtici fuerant, meam opem implorantes; atque a me beneficiis affecti, nempe mala mihi repoſuerunt. Tale quid Dauid etiam canit, *Poſuerunt mihi mala pro bonis, & odium pro* Pſal.
dilectione mea. 108

In cuti mea putruerunt carnes meæ: & oſſa mea in dentibus tenentur.

Polychr. Poſtquam incommoda expoſuit, quæ ei ſunt illata extrinſecus: mala corporis deinceps perſequitur: nam cutis, & carnes ſanie corruptæ erant. Etenim, me uiuo, carnes meæ putruerunt; & oſſa mea dentibus propemodum belluarum abſumuntur. Eodemq. tempore cutis, & carnium mentionem fecit; a ut doceret malum ac luem, ad imos artus permanaſſe; ut prorſus nulla queat dolor conſolatione leniri. Verum Aquila ſic interpretatus eſt. Cuti meæ, & carni meæ adhæſerunt oſſa mea; ut ſi diceret. Cutis mea, ac carnes extabuerunt; ut iam nudis oſsibus adhæreſcant. Illud autem. *Oſſa mea in dentibus tenentur*, apertius Symmachus dixit; Cutim meam dentibus meis uellicabam; nempe, ubi iam tabe exaruerat, diuulſaq. erat. Ad Septuaginta autē interpretationem, qui dixerunt, *Oſſa mea in dentibus tenentur*, illud dicere uidetur. Quæ patior ipſe, eiuſmodi ſunt, ut ad ea nulla reperiri poſsit medicina. Olymp. Siquidem ex corporis partes, e quo genere ſunt oſſa; quæ ſunt ſenſus expertes, dolore minime uacant; ſed ipſa oſſa quaſi dentibus quibuſdam conficiuntur.

a ὅτι εἰς βάθος ἐγγέγονε τὸ δεινόν. Hæc uerba in Vaticano Codice ſeparatim leguntur, tū in Olympiodori, tum in Polychronii expoſitione.

E *Miſeremini mei, miſeremini mei, ô amici: manus enim Domini eſt, quæ tetigit me.*

b Poſtquam ab amicis, a cognatis, a filiis, ab vxore; necnon ab iis, quibus antea ipſe proſpiciebat, ac prouidebat, ſuam dixit deſpici

b Sententiarū harum omniū reperi in Vati. eſſe Polychr. auctorem: ſed uerborum & cōpoſitionis opificem exiſtimo eſſe Olympiodorū: in prima autem uerba Sacræ Hiſtoriæ uide Additionē C. ex Commentario Polychronii.

ci

ei calamitatem; nu nc, ab orationis conſecutione nihil recedens, amicos, qui aderant, eiusq. calamitates ſine miſeratione aliqua contuebantur, pęne compellat his uerbis. Si me iuſta proferentē non ueremini, ſaltem humanitatis, miſerationisq. ſenſum ſuſcipite: & ad miſericordiam meum adiungite: dum in meas miſerias intuemini. Vobis enim ipſis metuendum eſt; ne ſimilibus incommodis uos item afficiat Deus; qui non propter aliquod peccatum meum mihi plagas inflixit; ſed ſua dumtaxat poteſtate uſus calamitatem inuexit.

Quare autem me perſequimini, ſicut etiam Dominus? de carnibus autem meis non ſaturamini?

POLYCHR. Cur meas exagitatis ærumnas? nec miſericordia me ulla complectimini? idque cum malorum atrocitatem intueamini? Cur diuina comite ira in me impetum facitis? atque orationis contra me inexplebilem acerbitatem comparatis? In quo profecto ex Dei decreto nequidquam agitis: nam, quamuis is puniat, in uobis tamen humanitatem uult reſidere. Etenim, ſi ab ipſo caſtigamur; tamen mutuam a nobis inter nos exigit humanitatem. OLYMP. Illud autem; *Quare me perſequimini, ſicut & Dominus?* huic par eſt. Poſsit Deus forſitan culpam aliquam meam accuſare; a me ſi in uos quidpiam peccatum eſt, docete. Vtrum uobis non eſt ſatis, quòd ita ſit meum corpus tabe conſumptum? hoc enim ualet, *De carnibus meis non ſaturamini;* [a] præſertim cum probroſi ſermones ad depaſcendos artus, ſatis per ſe ipſi ualeant. Itaq. contumelias ipſi uereri debemus, cum illis fratres noſtros uerberari intelligamus.

[a] *Diſce hoc, ut ſequare. eaq; lege, quæ D. Chryſoſt. de uitando uerbo contumelioſo ſcribit ho. 13. in epiſto. ad Epheſ.*

F *Quis enim det ſcribi uerba mea? poni autem illa in libro in æternum? in ſtilo ferreo, & plumbo, uel in petris ſculpi? Scio enim, quod æternus eſt, qui me reſoluturus eſt* [1] *ſuper terram.*

[1] Ambr. in terrā.

POLYCHR. Optat res ſuas ſcriptis tradi ſempiternis. Hoc item uotum proprie ad ipſius pertinere poteſt ærumnas; ut undiq., quidquid poteſt, commiſerationis aucupetur: quandoquidem, & hoc ipſum aliquid adfert ad ægritudinem leniendam. Illa etiam fortaſſe litterarum cupit monimentis commendari, quæ in communi uita, uirtutibusq. uerſantur; quarum rerum teſtimonium datum eſt illi diuinitus: cum eum Deus improbum eſſe negauit: Adeo, in-

Huius commentarij magnã partem Vaticanus Codex tribuit Olymp. eius integrum eſſe nõ dubito: quamuis multa fuit a Polychr. mutuatus.

a Quæ enim &c. eandem ſententiam ijſdem verbis expreſſam tribuit Polych. Codex Vaticanus.

b Huius libri Auctor Moyſes, aut Salomon.

c Vide additionem F.

quit, mihi certum eſt, neminem a me læſum eſſe iniuria; ut maxime uelim res meas ſcriptorum memoriæ prodi; ut posteritati haudquaquam ſint ignoratæ; & illas quidem ſtilo ferreo ad tẽporis diuturnitatem uelim inuri: ut earum lectio conſequentis ætatis conſtet hominibus. IVLIANI. Hæc autem non quaſi aut ſua laude, aut ſui amore elatus loquitur; ſed ideo; ut poſteris extet patientię ſcopus. OLYMP. Porro ſimilitudinem ab ijs duxit, qui, cum ea, quæ mandant litteris, magnopere cupiant ad longiſsimi temporis memoriã permanere, ſoliti ſunt illa ipſa, aut in plumbo, ferreo calamo exarata in columnis collocare; aut uero in tabulis inſculpta relinquere: a quæ enim ſunt inſcripta in plumbo, ægrè delentur. Ergo, quemadmodũ natura Dei; qui mihi ſupplicij eſt auctor, nulla eſt terminatione concluſa; ſic etiam res meæ, etiamſi ueluti terra dilabantur, e memoria tamen hominum minime elabantur: ut cũcti patientiam meam admirentur, cum intolerandam malorum atrocitatem, & auditionem acceperint, eorum inquam malorum, quorum ipſi adſpectum ſine ulla commiſeratione cõtemnitis. Neq; enim mihi dubium illud eſt, quamuis ipſe exſolutus, reſolutusq. fuero; quamuis, inquam, me uita defecerit, Deum tamen, qui ſemper eſt ſuperſtes, ac manet, poſſe poſt meũ interitum rata ſua, conſtantiq. ſententia res meas cunctis propalam collocare. Idquod plane conſecutum eſt, perinde, ut Iuſti poſtulata fuerunt. b c Idq. Moyſis, Salomoniſue opera, Deiq. decreto. Itaque factum eſt, ut tantum exemplum in rebus aduerſis Eccleſijs non deeſſet: ſed Beati huius egregia facinora, adiuuante & afflante Deo, ſcriptis mandarentur: ut iam quidam Apoſtolus dixerit. *Patientiam Iob audiſtis*, *Iac. c. 5.*
& finem Domini vidiſtis. Vbi autem ipſi aut audiuimus, aut uidimus, niſi in hac ipſa ſcriptione? CHRYS. Ecce ſcripta ſunt hæc non ſtilo quidem ferreo; ſed tamen amplius, quàm poſtulauit ipſe, perfectum eſt. Nam, ſi factum eſt illud, iam tempus tamen obliterauit: hæc uero ſcripta multo magis perſeuerant.

Surgat autem pellis mea, quæ ſuſtinet hæc.

OLYMP. Vtinam, inquit, Deus reſuſcitet pellem meam hæc ſuſtinentem. Docemur hoc loco eccleſiaſticum dogma: corpus ipſum quod impetus, & cruciatus excepit, anima comite reſuſcitandũ eſſe; ut bonis cum illa una fruatur. Idcirco dixit, *Quæ ſuſtinet hæc*. Nec enim æquum eſt, aliud quiddam eſſe, quod patitur; aliud, quod reſurgit. CHRYSOST. Igitur de reſurrectione cognouerat, & mea quidem ſententia de corporum reſurrectione; niſi quiſpiam hanc dixerit

dixerit reſurrectionem eſſe, malorum, quibus is premebatur liberationem: futuræ autẽ mutationis probabilẽ explicat rationẽ. Ipſe, inquit, percuſsit; ipſe etiã ſanabit; & qui me calamitatibus affecit, calamitatibus liberũ faciet etiã inſignem; & corpus hoc ſero quidem, ſed tamen aliquando occidet; & imminentium dolorum faciet inducias. Verũ Theodotio, qui hanc interpretationem fecit, [a] Propinquus meus uiuit, & ad extremum in puluere excitabit; duos ſuperiores uerſus, perſuadet, ut ad hunc modum connectamus, & legamus. Scio quia ſempiternus eſt, qui me ſoluturus eſt ſuper terram: [b] ſuſcitet autem pellem meam ſuſtinentem hæc. Sententia autem eſt huiuſmodi. Immortalis eſt Deus, cuius nos genus ſumus: me uero ubi per mortem in terram diſſoluerit, per reſurrectionem rurſus e terra excitabit: uel etiam ſic. Poſtquam me morbo exſoluerit, ac liberauerit, iterum pellem meam corruptam ſanie innouabit: is enim mihi dolorem adfert. Quocirca attexit.

a ἀγχιστεύς Eſt cognatus & propinquus apud 70.

b ἀναστῆσαι, actiue, & paſsiue poteſt intelligi.

A Domino enim hæc mihi facta ſunt.

Chrysost. Non humana, inquit, eſt hæc uexatio: calamitatem enim pecoribus, liberiſq. importatam eſſe diuinitus, e corporis mei ærumnis plane cognoſco: ideo, inquit, mihi ipſe ſum conſcius. Maximam hanc eſſe plagam, corpus, ex ijs, quæ ſibi acciderunt, ſatis me docet. Quamobrem aiebat. *Fœtorem video cibos meos.* In morbum naturalem referri hæc non poſſunt: iampridem enim corpus ipſum concidiſſet. Deus hæc mihi intulit: neque enim ſimiliter, ut ego, malorum ſenſum accipit; nec eorum, quæ ipſe patior, malorum acerbitatem perinde, ut ego, poteſt habere perſpectam. Egomet, quem dolores peruellunt, noui. Polychr. Quamquam uel ipſe adſpectus ijs, qui mentis ſunt ſuæ, magiſter poteſt eſſe idoneus. Itaque adiungit.

Iob c. 6.

Quæ oculus meus vidit, & non alius.

Polychr. Hoc adfert ad uerberandos amicos, qui, cum miſerias tum oculis, tum animo cernerent, eum nihilominus, ut animo perpuſillo ferentem criminantur.

Omnia autem mihi [1] confecta ſunt in ſinu.

Olymp. Cauſſam reddit, propter quam is tantum ſuas norit ærumnas: ac propemodum dicit. Merito mihi uni mea ſunt nota mala: ſiquidem omnia, quæ in me incurſarunt mala, pœne in ſinũ inſerui, & mecum ſunt ferme conglutinata. [c] Etenim ſinus pro re, quæ nec diuelli, nec diſiungi poteſt, ubique in ſacris literis uſurpa-

1 συντετέλεσται, Aug. Conſumpta ſunt. Ambr. conſummata.

c Etenim ſinus &c. ſumpta e Polychr. expoſitione auctor Codex Vatic.

 tur;

tur; ut illic. *Redde vicinis noſtris ſeptuplum in ſinu eorum.* At Pſ. 78
Theodotio his uerbis interpretatus eſt. Defecerunt renes mei in ſinu meo, acſi diceret. Tum renes, tum mea cuncta præcordia contabuerunt. Vt facile hinc intelligere poſsitis, & uiſcera mea omnia eſſe conſumpta, interioresq. artus tabe eſſe exeſos.

Si autem & dixeritis, quid dicemus coram eo?

Pro quo Symmachus. Quid eſt, quo perſequemur eum?

Et radicem ſermonis inueniemus in eo.

Hebræus autem Et peccatum ſermonis, dicit.

Cauete etiam vos ab integumento.

Rurſus Symmachus, Timete pro uobis gladium.

Ira enim ſuper humeros veniet: & tunc cognoſcent, vbi eſt eorum materia.

a Huius explicationis nõnulla eſſe Polych. cognoui ex Vaticano exemplari, nonnulla incerti auctoris. Verum ipſe ſuſpicor constructionem uerborum, & poſtremas ſentẽtias eſſe Olympiodori.

[a] Reliqui uero. Vt cognoſcatis, quia eſt iudicium. Nempe igitur quod hiſce uerbis ſignificatur, eſt huiuſmodi. Quandoquidé uos, inquit, pro uerbis ad conſolandum idoneis, priuatas unuſquiſque ad repugnandum rationes inueniſtis; & eorum more, qui radices perquirunt, meos inueſtigatis ſermones, quo me captare poſſitis, & peccatum meum aliquod palam coarguere: ac, licet mihi res ipſæ teſtimonio faueant, ipſi tamen urgetis, ut minime ueram de mea innocentia ſententiam feratis. Profecto, cum ſic agitis, uereri debetis; ne, cum Deo ſimulate opitulari uideri uultis, me condemnetis: hoc enim ualet illud, *Ab integumento.* Timete, inquam, ne forte (quandoquidem me adeo ſine ratione, animiq. iudicio accuſatis) Deus, qui perſonarum nullã rationem ducit, uobis iraſcatur: & pœnas a uobis tam inſanæ audaciæ exigat, cum pro tribunali ſederit: neque enim is talia impunita, atque inulta dimittit. Quòd ſi is contra nos fuerit concitatus, tunc ueſtram materiem plane nullã eſſe intelligetis: immo uero ueſtra omnis de percepto honeſto opinio, & in præſentibus bonis conſtitura fiducia funditus delebitur. Materiem enim dicere uidetur, aut uerborum turbam, aut copiam diuitiarum. Verum ipſe altius eorumdem uerborum ſenſa eruens, etiam quid aliud cogitando aſſequor. Etenim, ſi hæc ueſtra eſt, inquit, ô amici, oratio, me quidem crimine, quod pateat, ceteriſq. propoſitum ſit, uacare; quodpiam autem occultum in me reſidere, non ſecus, quàm alicuius herbæ radicem deliteſcentem in terra, atque ideo a me improbitatis pœnas perſolui; ſane idem uobis formidandum

midandum eſt, *Ab integumento*, ideſt, a iuſto Dei iudicio: quando ſinguli cognoſcemus iudicium, & ultionem eſſe, quæ materiam eſt conſumptura.

ADDITIONES IN CAPVT XIX.

EX CODICE VATICANO.

A *Quouſque feſſam facietis animam meam?*

OLYMPIODORI.

QVAMOBREM ô amici ad corporis cruciatus animi ægritudinem adiungitis, uerbis illum acrius, quàm morbi corpus percellentes?

B *Maledicitis mihi, non reuerentes me inſultatis mihi.*

OLYMP. Terrorem ijs infert, prope uerbis his loquens. Nolite iſto modo mihi in calamitate inſultare: ne forte ijſdem ipſi malis implicemini, qui mihi eſtis eiuſdem naturæ ſocietate coniuncti. ORIGENIS. In quos diuina animaduerſio incubuit, inſultare in eos minime decet; ſed illacrymari: atque perhorreſcere. Eſto, inquit, detur id uobis, ut ob peccata hæc patiar: etiam ne oportebat iſtius modi me a uobis uexari contumelijs? POLYCHR. Percepta, inquit, magnitudine calamitatis, atque hoc conſtituto, eiuſdem uos eſſe naturæ, timete, ne ſi ob maledictum petulantis iurgij improbe egeritis, eaſdem, quas ipſe luo, pœnas ipſi perſoluatis.

C *Sine autem, quia in me magnificamini &c.*

POLYCHR. Quid uobis ex hac re cadit incommodi? quæ affertur neceſſitas, cur me iniuſtitiæ nomine condemnetis? cur in me ærumnoſe affectum inueheamini? tunc præſertim, cum homini ob uim cruciatuum uoces elicienti uos tribuere ueniam oportebat?

D *Super faciem meam tenebras poſuit.*

CHRISOSTOMI. Ideſt tenebris me circumfudit: quo confugiam, non habeo: non uidendi, non ullius rei mihi eſt relicta facultas.

E *Miſeremini mei, Miſeremini mei: &c.*

Polychronius, ut apparet ex Vaticano Codice, legiſſe uide-

tur. Appropinquate mihi, & miſeremini mei, o amici. Sic enim ille. ἀκολούθως πρὸς τὰ προάγοντα ἀποδιδοὺς ταῦτα ἔφη· τὸ μὲν ἐγγίσατε, πρὸς τοὺς συγγενεῖς, καὶ τὴν γυναῖκα εἴρηκεν, οἷς καὶ τὴν πρόσοδον φεύγειν ἐν τοῖς ἔμπροσθεν ἐδίδαξε· τὸ δὲ ἐλεήσατε, ὡς πρὸς παρόντας τοὺς φίλους ἀφιλελεημόνως ὁρῶντας τὰ πάθη. Id eſt. Superioribus hæc conſequentia reddens, dixit: Illud quidem appropinquate, ad cognatos, atque uxorē retulit; a quibus ſuum uitari congreſſum antea docuit; illud uero, miſeremini, ad amicos: qui corā aderant, qui in illius intuentes calamitates, nullo commiſerationis ſenſu commouebātur. A

F *Quis enim det ſcribi verba mea? &c.*

IVLIANI. Nō tamquā de ſe ipſo, ac ſua cauſſā hæc dicit: Verū ut patientiæ ſcopus poſteris eſſent: idq; Dei cōſilio Moyſis ætate factū eſt.

PROTHEORIA CAP. DECIMIQVARTI.

MVLTIS, ac præclaris dogmatibus a Sopharo eiusq; amicis iam expoſitis, ſperabat videlicet Sopharus nihil poſſe amplius ab Iobo contradici: vbi vero illum vidit cauſſæ ſuæ æquitati fidentem, eorumq; rationes depellentem, fractus deſperatione, Haud ego, inquit, exiſtimabam, ita hæc abs te refutatum iri. Ad hæc, quæ eueniunt impijs, quæq; ij agunt, & diuinam in eos animaduerſionem commemorat. Necnon inter ſomnia, illorumq; felicitatem nihil intereſſe confirmat; nec quidquam præter vnam impietatem, poſt mortem illis ipſis comitari. Poſtquam autem de multis, quæ contingunt impijs, diſſeruit, addit, hanc partem eſſe impiorum, hanc ijs a Deo eſſe hæreditatem, poſſeſſionemq; traditam. Verumenim nec dum Sopharus perceptum habebat, haud omnia, quæcunque contingunt, propter peccata euenire; cum alijs etiam de cauſſis, quæ in Dei prouidentia ſitæ ſunt, accidere ſoleant. Sed nec recte in Iobum, quæ dicebantur, conueniebant. Quapropter ſermones recti, niſi item recte promantur, & mente recta, & quo decet, delectu, atque diſcrimine, & quo tempore oportet, & de qua par eſt perſona, in quam ea, quæ dicuntur, cadere poſſint, ſane nulla laude, ſed reprehenſione dumtaxat digni fuerint.

Suſcipiens

A *Suſcipiens autem Sophar Minæus dicit, Non ſic exiſtimabam contradicere te hæc: & num intelligitis magis, quàm ego? Eruditionem confuſionis meæ audiam, & ſpiritus ex intelligentia reſpondet mihi.* CAPVT XX.

NEQVAQVAM ſunt huius loci ſententiam interpretes aſſecuti; quinetiam a decoro, ac uero longius receſſerunt; nec uero collinearũt. Dixerunt enim, ad Iobum hęc Sophari uerba pertinere. Non putabam iſtis te aduerſus nos uſurum eſſe ſermonibus; neque te nos pro acerbis hominibus habiturum, qui utilia, & quę conducunt, adſeramus: Conuerſa autem Sopharum ad reliquos amicos oratione dixiſſe: Vobis non iuxta, ac mihi ſunt ea, quæ diſputantur a Iobo comprehenſa: iterum autem ad Iobum oratione traducta, illa locutum eſſe: Tuam audiam inſtitutionem, qua nos pudore ſuffudiſti; ac tuum intelligentiæ ſpiritum, quo recte nobis reſpondiſti: quamquam cum ironia hęc dici contendunt a Sopharo. Nec enim fieri poſſe dixiſti, ut ipſi erubeſceremus. Hæc igitur ad interpretum opinionem: ad ueritatem non item. Nempe igitur Sopharo ſupra Iobus dixerat. Itane uos eſtis homines? aut vobiſcum finietur ſapientia? mihi etiam cor eſt, perinde ut uobis: & poſt aliquanto. Sit autem uobis obmuteſcere, & continget uobis ad ſapientiam: audite redargutionem oris mei; iudicio autem labiorum meorum attendite: obmuteſcite, ut loquar: annunciabo enim uobis audientibus. His reſpondit, & contradixit Eliphazus. Sopharus autem confutationem ipſe quoque pariebat; ſed tamẽ exſpectabat, dum deſineret Eliphazus, ut ſibi quoque ad ea, quę audierat, liceret reſpondere. Vbi igitur Eliphazus finem dicendi fecit, atque ei Iobus ſua e regione oppoſuit, nunc demum Sopharus orationem complectitur; iisq. reſpondet, quę antea a Iobo audierat. Atque huiuſmodi apud Iobum utitur oratione. Putabam, ô Iobe, cum tam multa, & pręclara nobis dicta ſint, aliquando te ſilentio uſurum, noſtraq. monita comprobaturum; nec te ita nobis amicis tuis aduerſaturum, ut diceres, nequidquam amplius, quàm egomet, aut ſapitis ipſi, aut intelligitis: immo uero, omni mentis elatione contempta, ſic te dicturum exiſtimabam. Vos, qui mihi obiurgantem diſciplinam, & uerecundiam adfertis, libenti animo complectar; nec ueſtras cohortationes audirę

graua-

grauabor: Illud item profitebor, hęc ipſa, quę uos reſpondetis, atque loquimini, ſpiritu intelligentię fundi. Tibi uero ratio inita eſt plane contraria: namque tibi ipſe ſapientiæ teſtimonium dediſti: nobis ſilentium imperaſti: ut te docentem audiremus; quòd nobis ſilentium, magis quàm oratio conueniret.

Non cognouiſti hac vſque adhuc? ex quo homo poſitus eſt ſuper terram?

CHRYSOST. Vtrum poſt conditam rerum uniuerſitatem factũ eſt aliquid noui? nihil accidit paradoxum, nulla nouitas, nulla mutatio. OLYMP. Vidiſtine aliquando iniuſto quempiam fuiſſe a Deo ſupplicio affectum? Illud autem, *vſque adhuc,* Symmachus, A ſęculo, interpretatus eſt.

Lætitia impiorum ruina ingens, gaudium autem iniquorum perditio.

a An non planum eſt &c. locus reſtitutus ex codice Vaticano, & Vinc. Pinelli.

[a] POLYCHR. An nõ planũ eſt, inquit, quãuis illud contingat, ut breuis temporis uoluptate impiorum uita fruatur, grauiorẽ tamen illos poſtea pœnam ſubijſſe? hoc etiam acerbiorẽ tuliſſe, quo maius ingrati eorum animi in Deum argumentum attulerunt? Neque uero iucunda ijs uita fuerit diuturna, quam præſentium bonorum poſſeſsio poſsit adferre. Immo uero, quę illis lętitię uoluptas cordi eſt, exitio futura eſt, ingentiq. ruinę. Quamquam hoc ipſum planius expreſsit Hebręus, Exultatio, inquit, impiorum breuis, & gaudium ipſorum momẽtum. Cum Hebręo, Symmachi, & Aquilę congruit interpretatio: nam ille, Impiorum hilaritas, & affluentia breuis; hic autem, Lætitia hypocritæ, * confertim effuſa. CHRYSOST. Si eorum lętitia, ingẽs eſt ruina, & gaudium perditio; quid dicemus eſſe ipſum interitum? Dic, amabo te, quid dolorem? quid animi ęgritudinem?

* ἐπὶ ἀθρόου.

Si aſcenderint in cœlum dona eius; ſacrificium autem eius nubes tetigerit; quando autem viſum fuerit firmatum eſſe, tunc in finem peribit. Qui autem cognouerunt eum, dicent, vbi eſt? ſicut ſomnium, quod auolauit, non inuenietur: euolauit autem ſicut viſio nocturna.

OLYMP. & POLYCHR. Ne mihi, inquit, ſacrificia narres; quibus te diuino numini honores deferre arbitrabare: ſi enim, qui flagitioſus

gitioſus eſt, dona eiuſmodi attulerit, ut cęli pœne altitudinem emetiantur: ſi eius ſacrificia nubes ipſas contingant; ſi eius bona firmitatem, & conſtantiam tueri uideantur; Deo tamen ſceleſta munera repudiante, nempe qui eiuſmodi fuerit, funditus interibit, e ſimulatis ſacrificijs utilitate nulla percepta. Neque enim aſſimulatę pietatis ſpecie Deus delectatur: ſed nimiam cupiditatem, ambitionemq́ pęnis perſequitur: ut is, qui antea pietate præditus apud omnes habebatur, iam affectus ſupplicio, eam tamquam in ſcena oſtētaſſe tantummodo uideatur. Vt enim qui ſecundum quietem diuites fiunt, firma, ac tuta opum poſſeſsione carent, illorumq. felicitas uno ſomno terminatur; ſic eſt iniquorum hominum, quod e ſuis ſibi bonis quęrunt, oblectamentum; cum nec fixum ſit, atque ad nihilum illorum recidant rationes, non ſecus, ac ſi ſomnium foret, uiſumq. nocturnum; ut, quibus fuit antea notus, dicturi ſint, & quidem ſtupore perculſi: Vbinam ille eſt? ubi, inquam, eius gloria? ubi dominatio? ubi honor? ubi diuitię? nempe cuncta inania; in nihilum eius arrogantia abijt. CHRYSOST. Ita repentinum illi creatur exitium; ut ne putes conſecutione quadam ſolum naturali, ſed multo maxime poteſtate Dei incomprehenſa gigni calamitatem: ne mihi ſolas iniquitates obtrude. Quòd ſi iniuſtus uictimas quoque mactarit, nihil ea te tamen iuuabitur. Audiant ij, qui in iniuſtitiæ atque improbę cupiditatis quęſtu uerſantur; quāuis ſibi pietatis opinionem conficiant. ORIGEN. Et hęreticus quidem, cum preces Deo adhibuerit: cum eius ſacrificium ob animi, orationisq. elationem ſeſe altius erexerit, cum niti firmiter uiſus fuerit; tunc funditus interibit: oratio enim eius reputatur in peccatum. Nos uero eccleſiaſtici, quibus haud ſunt eius ignota ſcelera, atque errata, dicturi ſumus. Vbi ſunt, qui talia ſomniant, atque comminiſcuntur? ſibiq. ipſi uiſa fingunt? qui falſa, ac fallaci cogitatione decepti, fundamenta ueritatis euertunt? ſomnijq., quod euolauit, quod nuſquam conſiſtit, naturam imitantur? Huius rei ſi-
Pſ.36 mile quidpiā canit, Dauid. *Inimici autem Domini, mox vt honorificati fuerint ipſi, & exaltati, deficientes ſicut fumus defecerunt.* Ac
Pſ.72 rurſus. *Tamquam ſomnium eorum, qui expergiſcuntur.*

Oculus uidit, & non adiiciet: & non conſiderabit eum amplius locus eius.

OLYMP. Qui ſemel, inquit, adſpexit impium, non eum uiſurus eſt amplius: [a] nam inde, ubi conſtitutam putatur habere felicitatem, ſibi accerſit interitum. Hinc celerem perniciem impii decla-

[a] *Alias, Nā tum demum, cum uidetur felix, ruit ad interitum. Et hæc probabilior eſt interpretatio.*

declarat. Adde quòd nec in ſuo, ac proprio loco notus erit, hoc eſt, nulla eius relinquetur memoria. Simile huius Dauidica canit lyra. *Vidi impiũ ſuperexaltatũ, et eleuatũ ſicut cedros Libani; & tranſiui, & ecce non erat; & quæſiui eum, & non eſt inuentus locus eius.* Pſ. 36

Filios eius diſperdant inferiores: manus autem eius ſuccendant dolores.

* πυρσεύσαισαν.

Olymp. Filiis, inquit, eius necem, perniciemq. adferunt inferiores, tenuioresq. dominantur. Idq. merito, cum paternæ ſint impietatis imitatores: ſemen enim impiorum exterminabitur. Is uero ſibi ſuis facinoribus rogum accendit, πύρσος autem fax eſt, porro manus, actiones: ergo actiones ſupplicii in illum flammam commouebunt, in illum, inquam, qui impietate animum obligarit; cuius oratio in peccatum deputatur. Nihil ab hac ipſa re diſcrepat prophetia, cum ait, *Ambulate in lumine ignis ueſtri, & in flammam, quam ſuccendiſtis.* Chrys. * Illud igitur eſt exploratum, eſſe hanc plagam illatam diuinitus, cum deteriores melioribus dominentur; & robuſti ab iis, quorum eſt abiecta condicio, ſuperentur. Quãquam pro *Succendent dolores*, Aquila. Reddent; Symmachus, Inſerent, eſt interpretatus.

Quæ ſententia eſt item Polych. in cod. Vaticano. Poſterior pars huius expoſitionis eſt Origenis in exemplari Vaticano.

Iſaia c. 50.

Nota. * καὶ ἀπὸ τούτου δῆλον: ὅτι θεήλατός ἐστιν ἡ πληγή: ὅτι οἱ χείρονες κατακρατοῦσι τῶν μειζόνων: καὶ περιγίνονται τῶν ἐχόντων ἰσχὺν οἱ ἀπερριμμένοι.

Oſſa eius impleta ſunt iuuentute ipſius; & cum eo in puluere dormient.

Olymp. Quæ firmiores ſunt animi eius partes, iuuenili completæ ſunt cupiditate: ſed tamen nihil ab uoluptatis illecebris lucri auferet, cum mors deleat uniuerſa; nec quidquam, una excepta libi-

B dine, hoc eſt, iniquis exceptis facinoribus, illum ad ſepulchrum proſequetur. Sed quænam eſt ſupplicii cauſſa?

Si dulcis fuerit in ore eius malitia, abſcondet eam ſub lingua ſua.

Chrys. Rationibus, inquit, delectatus eſt ceteros circumueniendi; & quod grauius eſt, improbitatem non indicabat; ſed clam dolum machinabatur; cumque illum ſub lingua occultabat, callide, inſidioſe, ac ſimulate omnia loquebatur; nec uero eundem improbe agentem pœnituit; ſed, quæ meditatus eſt omnino perfecit.

Non parcet ei, & non derelinquet eam: & [1] *continebit eam in medio gutturis ſui: & non poterit auxiliari ei.*

[1] Continebit συνέξει in noſtra; cuius notionem eſt ſecutus Olympiodorus; ut apparet ex Cõmentario. Amb. cõgregabit, id eſt συνάξει ita Vat. cõplut. et reliqua impreſſa biblia: ſed Vatica. exemplar quod cum noſtro collatũ eſt, non aliter atque noſtrũ habet.

Olymp.

Olymp. Cupiditate, inquit, immoderata atque inſatiabili ſcelus complectetur, atque circumplectetur; non ſecus, quàm ſuauem quempiam cibum in faucibus continebit. Polychr. Hoc eſt, cum acerbe perniciem alteri machinatus fuerit, tunc demum ad agendum aggreditur. Olymp. Sed nimirum nil commodi improbo tum ſua feret improbitas, cum improbitatis pœnas ſuſtinebit. Namque flagitioſum fallendi artificium nō modo quidquam opitulatur, ſed etiam ſupplicii cauſſa ſolet eſſe facinoroſo.

C *Fel aſpidis in uentre eius.*

Polychr. Vt inquit, aſpis imbuta ueneno, e uentre illud euomit, quando ei collibuerit; ſic etiam hoc genus hominum ex meditato fallendi artificio, malo, ac fraudi ſunt ceteris. Hebræus autem ſic habet. Et factum eſt uenenum aſpidum in uiſceribus eorū: ideo, quia a nequitia perinde ut a ſerpentis uito illius abdita diſcerpuntur: ac ſi diceret. In iuſtitia non ſolum illa utentibus nullā præbet utilitatem, ſed etiam enecat eos, ac damno afficit. Quare addit.

D *Diuitiæ iniuſte congregatæ euomentur.*

Polychr. Ideſt, cum dolore effundentur. Nihil enim non agit impius, ut aliena interuertat; omniaq. hûc ſpectant, quæcumquæ ab eo geruntur. Verum, ubi rerum omnium dominus eſſe uiſus fuerit, tunc ſuas opes cernet ad alios demigraſſe. Chrys. Quamuis adeo tutam diuitiarum poſſeſsionem adeptus ſit, eas ut in uentrem ferme abdidiſſe uideatur, breui tamen illas ipſas dolens amittet: hoc enim ualet, *Euomentur*. Idquod iis uſu uenit, qui improbis artibus diuitias quæſierunt: qui & a Deo coercentur ſupplicio; & bonorum poſſeſsione deiiciuntur. Olymp. Eiuſmodi huius loci eſt ſententia. Impius, inquit, cum iniquas opes exſorbuiſſe uidebitur, hoc eſt, illas in tuto habere collocatas, tunc in diuinam iram, quaſi in mortiferum medicamentum ueneno aſpidis temperatum incurrens, opes flagitioſe partas uomit uniuerſas. Id porro, ſignificat, quemadmodum, qui uenenum hauſerunt, incitantur ad uomitum; ſic eum, qui diuitias comparauit iniuſtas, cruciatu diuulſis uiſceribus, illas ipſas effundere. Genus item aliud egomet noui diuitiarum, quæ in hæreticorum ſunt reconditæ ſermonibus: ij enim præcepta habent ueritatis decretis contraria in ſuis ipſorum incluſa uiſceribus; quæ dulcia minime ſunt, ſed fel aſpidis ſunt illa doctrinæ præcepta, ideſt, nefaria; quemadmodum in Deuteronomio in ode Moyſis de uino doctrinæ eorum dictum eſt. Quamquam, quę Dei eſt bonitas, non id permittet; ut per iniuriam partas

Deut. c. 32.

tas diuitias uſque illi retineant: nimirum faciet, ut eas uomant aliquando. Angelus enim diuinæ clementiæ ope e ſcelesta domo, quæ Eccleſia eſt malignantium, illos educet. Itaque ſubiungit,

E

De domo ipſius extrahat eum Angelus.

Si uerba tantum pendantur. Angelus quiſpiam ex iis, qui tortorum munere funguntur, e cunctorum bonorum illos poſſeſsione exturbabit: ac nimirum de iniuſtis hominibus eſt ſermo. A domo autem uniuerſa ſignificauit. Ceteri pro, *De domo eius*, De uentre, interpretati ſunt. Nempe hanc uidentur expreſsiſſe ſententiã. Angelus e corpore quaſi e uentre animam extrahet hominis iniuſti; ac per uim illam interimet.

* Ambr. pro lactet habet ſugat.

Furorem draconum [1] *lactet.*

Alij uero, Venenum aſpidum ſuget.

Interficiat autem eum lingua ſerpentis.

Si omnia, inquit, illi erunt exitioſa, inteſtinoq. uitio conſumetur, non aliter, atque is, cui morſum ſerpens infixit. Nam, furore; uenenum ſignificauit, recteq. dixit, *lactet*, ut oſtendat impium ex certa animi ſententia, & libentem, nequitiæ lac, ueluti mortiferum uirus ſugentem augeri cum uitio, & quæ uitioſa ſunt, adminiſtrare, ac demum a uitio perimi. Polychr. Lingua autẽ ſerpentis eſt, ſicut improbi contraria loquentis. Origen. Ac uide, quænam, & quanta ob impia dogmata homini propoſita ſint, falſis opinionibus corrupto. Quo etiam magis nobis ipſi cauere debemus; ne forte ſermonibus ad perſuadendum accommodatis hæretica doctrina prædas agat e nobis; atque ab Eccleſiæ Sacramento decidamus.

C

* Aug. Mulctã pecorum.

Ne uideat [2] *mulſionem gregum, neque paſcua mellis & butyri.*

Symmachus autem, Riuulos.

In uanum autem & ſtulte laborauit; diuitiæ autem, e quibus non guſtabit, ſicut * *herba, quæ mandi & deuorari non poteſt.*

* στριφνὸς ἀμάσιτος, ἀκατάποτος.

Olymp. Qui putat ſe rapinis locupletatum iri, partis bonis ideo non potietur; quia Deus uindex fortunarum illi poſſeſsionem eripiet. Subiectis uero exemplis rerum copiam declarauit. Ea uero, quorum cauſſa ſtulte laborauit, quaſi ſtriphnus illi erunt: eſt autẽ ſtriphnus caro boum neruoſa: eſt item herba quædam ſic appellata,

quæ

quæ mandere conantis linguam reddit aſperiorem, quæ mandi nequit, atque ob id ipſum nec deglutiri. Dicit igitur impium nequaquam ſua bona cuncturum, neque illis plane potiturum: uerum, quemadmodum, qui herbam illam ſumit, quamuis dentibus exterere magnopere conetur, nequit tamen deuorare; ſic qui frui rebus cupit alienis, nihil lucelli ſuis laboribus faciet. Iobum autem ſic propemodum compellare uidetur. POLYCHR. Minime mirari debes, ſi tibi omnia abrepta ſunt e conſpectu; quæ enim rapina fueras adeptus, hæc ipſa iure a te Deus abſtulit. Nempe igitur ex iis, quæ dicta ſunt, ratiocinare, in opum conſtruendis aceruis te ſtulte deſudaſſe: ita diuitiarum, quas collegiſti, fructu es, ac uoluptate ſpoliatus. ORIGEN. Et is, qui alienis, ac mendacibus eſt opinionibus imbutus, gregum & armentorum mulſionem non uidet. Greges, ipſæ ſunt animæ, quæ a bono paſtore paſcuntur, & paſcua inueniunt. Ipſa quoque dogmata, quæ Deo aduerſantur, nil habent dulce; ſed prorſus acerba ſunt, aſpera, ac dura.

Multorum impotentum domos fregit: domicilium autem rapuit, & non ſtatuit.

Symmachus autem, Domum rapuit, & non reædificabit eam.

F *Non eſt ſalus ſubſtantiæ eius.*

OLYMP. Quæ aliis molitus eſt, hæc ipſa illi euenient. Nam, quemadmodum ipſe imbecillorum domos fregit, hoc eſt, inaniter afflixit, atque cõtriuit; atque adeo fortunas omnes diripuit; nec eas reſtituit. Illud enim, *Non ſtatuit*, pro, non reſtituit, poſitum eſt) ita nec ſuæ illi rationes erunt incolumes; nec ullam ei ſalutem impertiet. POLYC. Immo uero propter hanc ipſam cauſſam parta illi bona peribunt. Nec poſteris transmittetur. Symmachi tamẽ interpretatio ſententiã quãdam aliã pręfefert. Hoc enim dicere uidetur alienam domũ, quam iniuſtus rapuit pro ſua libidine, iterum ab eo ædificari atq; ornari non poſſe; quinetiam antea fore ipſi moriendum. ORIG. Et nimirum is, qui prauas conſectatur opiniones, ſicubi in fide, & in ſana doctrina infirmum offendat, hunc ſpoliat. Vereq́. de falſarum opinionum magiſtro dicitur, multorum impotentum domos ab eo comminui; eius uero, quem in fraudem induxit, tabernaculum diripi, quod poſtea ſtatuere nequit: neque enim poteſt mendacium ſtatuere.

In

In deſiderio ſuo non ſaluabitur: non ſunt reliquiæ cibis illius.

a Et quæ contra alios machinatus eſt ac meditatus, hæc ipſa patietur ex Vatic.

POLYCHR. Poſtquam res alienas cõcupierit,[a] conſecutuſq. fuerit, nihil tamen ex iis compendii faciet; neque eorum, quæ adeptus eſt, poſſeſsionem retinebit incolumem; ſed omnia perdentur exitio; ut prorſus nihil ſit ei relinquendum in bonis; ſit etiam cibis carituтus; ſummaq. faciet inopia, ut relinquere plane nil poſsit. Quo etiam loco maximam egeſtatem, ac difficultatem, qua Iobus premebatur, oſtendit. Quocirca ad hunc modum eſt Symmachus interpretatus. Cum habuerit ea, quæ concupiuit, non ſaluabit; non relinquet de cibo ipſius. Quare.

Non florebunt ipſius bona; quando uidebitur plenus eſſe, conteretur: omnis autem neceſsitas ſuper eum irruet: ſi qua ratione impleat uentrem ſuum.

OLYMP. Fortaſſe etiam nec illius bona florebunt, uerum in ipſo flore cõtabeſcent. POLYCHR. Quòd ſi eius uita referta, boniſq. omnibus cumulata uideatur, nihilominus omnis calamitas atque neceſsitas, tunc temporis in eum incurret; ut neceſſe ſit eius animum doloribus redundare. ORIGEN. Hęc utilem nobis habẽt admonitionem, [b] ut ab alienis abſtineamus; quandoquidem is, qui nõ ſua ſibi uendicarit, cum bonis omnibus circumfluere uidebitur, tunc grauiſsimam inopiam ſuſtinebit; ut ratio ſit illi ineunda, quemadmodum inanem uentrem, & egentem queat explere.

b Hæc meditentur, qui flagitioſa cupiditate bonis incubant alienis.

c Ningat Amb. interpretatus eſt, lauet deceptus Aoriſto. νίψαι, qui non ſolũ eſt uerbi νίπτω quod eſt lauo, ſed etiã νίφω quod ualet ningo.

Emittat ſuper eum furorem iracundiæ; [c] ningat ſuper eum dolores.

OLYMP.[d] Symmachus autem, Pluet, Deus uidelicet. Hæc, inquit, patietur impius; iracunde in eum Deo plagam, eamq. acerbã, & more pluuiæ confertam, & quidẽ ſine intercapedine, cienteḿq. dolores, immittente: ORIGENIS. Quem ipſum etiam Deus, quaſi niuium doloribus obruet.

d Pro Symmacho eſt Theodotio in codice Vaticano.

Et non ſaluabitur de manu ferri: uulneret eum [e] ſagitta ærea: pertranſeat os eius iaculum.

e Ita ex Augu. Græce, τόξον χάλκεον: quod Latine fortaſſe non minus recte diceretur, Arcus æreus. Amb. arcus æneus.

OLYMP. Hæc dicit, ab ijs transferens, qui in bellis luculentas plagas ferro inflictas excipiunt, & contentorum arcuum ſagittis, configuntur; huc enim pertinet ſagitta ærea: ut ſi diceret; Deus, qui fortis eſt, acri in impios utitur ira; nec illius uitandi ſupplicium ulla

ulla datur facultas. POLYCHR. Sed, quemadmodum corpus ſagitta confixum facillime in ſeruitutem redigitur, ſic & impius a Deo conſtringetur ſupplicio. Enimuero hac ſimilitudine plane rem omnem illuſtrauit, cum grauem Dei in impios animaduerſionem oſtendit.

Stellæ in tabernaculis eius ambulent.

OLYMP. Alij codices habent. Non ambulent, quaſi his uerbis utatur. Nihil ei ſplendoris relinquetur. Illa uero lectio, *Ambulent,* hoc ſignificat, terribilibus eum uiſis perterrefactum iri. IVLIANI. Aut uero id ſignificat; ſic derelictas fore domos atque deſertas; ut ad eas ſiderum fulgor, perueniat, contignationibus, laquearibusq. retectis; uel etiam fulmina dicit, quę impetu feruntur: quam ſententiam his uerbis Aquila expreſsit, Et fulgur a facie eius ueniet ſuper eum, ideſt, a facie Dei, hoc eſt, illius imperio fulgura & fulmina immittentur in impios. Necnō aliter licet hæc intelligere: nā ſtellas iuſtos nominat, qui tamquā luminaria ſunt in mundo: & quoniam dictum eſt antea: Quæ illi congregarunt, comedent iuſti, hoc ipſum nunc uerbis aliis efferr, fore ut ſtellæ in impiorum domiciliis ambulent, ideſt, ad iuſtos, ut illorum bona, perueniant.

Terrores ſuper eum: omnes tenebræ [1] illi maneant.

OLYMP. Terror, inquit, ac tenebræ erunt impii rebus iniectæ; nam præter alia tenebræ illum excipient.[a] Aquila autem, Abſconditus eſt in occultis eius, interpretatus eſt, aliud quidpiam indicans, impium metu duce in abditis deliteſcere, hoc eſt in locis occultis, remotisq. ab arbitris, in locis inquam tenebricoſis: & ego quidem ſic ſentio. Quod uero eſt apud LXX. *Omnes tenebræ maneant illi*, hoc ualet, impium pauore perculſum loca omnia obſcura, ac tenebricoſa obſeruare, & quærere ad perfugium.

1 Amb. ei permaneant.

a Aquilæ interpretationem Theodotionis quoque tribuit codex Vatic.

G

Deuorabit eum ignis, qui non ſuccenditur.

Aquila, autem, Theodotio & Symmachus ſic, illi quidem, Nō excitatus flatu; interpretati ſunt, hic uero, Sine flatu. Mihi quidē ratiocinanti hæc huius uerſus occurrit interpretatio: hoc loco eum ignem ſignificari, qui conſulto non fuit accenſus, ſed caſu, fortuitoq. demiſſus; cuiuſmodi ille fuit, quo Iobi greges, atque paſtores deflagrarunt, quem ipſum quaſi nutu indicat. ORIGEN. Quòd ſi reconditiora quædam meditemur, ignis, qui non ſuccenditur, aut ignis eſt conſcientiæ; aut uero ignis ad futura tribunalia referuatus: Hinc enim myſterium eius, quæ illic futura eſt, animad-

uerſionis docemur: vt eam animi prouiſione, & cautione uitemus. Igni igitur, qui non ſuccenditur, deuorari impium dixit: hic, qui apud nos in materia hæret ignis, haud eſt eiuſmodi: hic enim accenditur, nobiſq. eſt adſpectabilis: ignis autem, qui facinoroſos corripit, eoſq. intus inflammat, is eſt, quem negauit accendi: cuius ſi imaginem quampiam cupis animo intueri, ſic tute cogita. Eſſe quempiam igni admirabili circumſeptum, & illo quidem igni amburi, atque cremari; nemine huius externi, & concreti ignis flammas admonente, nempe ignem huic homini circundatum uidebis, quo eius præcordia urantur. Haud ſecus quis ſcelerum æſtu, febriq. iactatus exuritur.

H

[1] Lædat autem domus eius aduena.

[1] Amb. pro lædat legit uexat. pro aduena græce eſt ἐπήλυτος, cuius uerbi, quæ notio ſit diſcere potes tum ab Origene, & Olymp. tum a Polychr. in additione H.

OLYMP. Ideſt, hoſpes aliquis, aut alienigena: quod ipſum ad miram impij imbecillitatem confirmandam allatum eſt.

Reuelet autem cœlum iniquitates eius; & terra inſurgat in eum. I. L.

Omnis, inquit, natura cum eo, qui Deo eſt inuiſus, inimicitias geret: & partem quidem malorum a cęlo accipiet, contra eum pugnante Deo; partem uero a terra, inuadentibus hominibus, & cęlum quidem ipſum eius reteget iniquitates, eiuſdem facinora diuina ultione propalam collocante; cum ſceleribus ſupplicium fuerit diuinitus conſtitutum; ipſaq. terra inſtructis, armatiſq. copijs decertabit. Hæc ideo Sopharus dixit, quòd greges, e ſuperna regione deiecto igni, conſumpti ſunt; filij autem, quia, domo aëreo flatu conquaſſata, & ruente, oppreſsi ſunt; boum uero, aſinarum, & camelorum armenta ex inferna hac regione irrumpentes hoſtes abripuerunt. Probat igitur Sopharus cunctas Iobo ærumnas ob ipſius flagitia illatas eſſe.

M

[2] Trahat domum eius perditio in finem.

[2] Ambr. protrahat inundet.

Hoc eſt, omni exitio uaſtabitur; atque omnia animaduerſio diuina peruadet, Deo ſupplicium decernente.

Dies iræ irruat ſuper eum.

Qua quidem die ultio in eum diuina incitabitur.

Hæc pars eſt hominis impij, & poſſeſsio bonorum, quæ ſunt illi ab [3] Epiſcopo.

[3] Ambro. Speculatore.

POLYCHR. Hæc a Deo impius, inquit, cõſequetur, tantæq. poſſeſsionis finis erit ſupplicium. OLYMP. Quia enim is, qui bona eſt adeptus,

eſt adeptus, diuinæ beneficentiæ ſenſum non accipit; hæc illi poſſeſsio & pars a Deo, qui omnia ſpeculatur, aſsignatur, ut ira diuina ſaturetur. Verumenim, cum audiunt Epiſcopi, hoc nomine Deum in ſacris literis appellari, id curent in primis, ut nominis ſui dignitatem tueantur, uigilantiq. ſtudio ad gregis ſalutem incumbant, fide, uita, quæ omni culpa uacet, doctrinaq. ſint ornati. ORIG. Diſcant quiſnam ſit hoc loco Epiſcopus nuncupatus, omniq. ratione illius imaginem ſtudeant præſeferre. Quemadmodum enim, qui regiam imitatur imaginem, in eo quod præclarum eſt, imitari conatur, illam item ſtudet exornare; ſic de beato Epiſcopo dicendum eſt, qui cogitatione atque imitatione eum, qui uerus eſt Epiſcopus, complexus eſt; qui tamquam Deus inter homines uerſatur; qui cum ſibi propoſuit Epiſcopum, a quo uere creatus eſt in CHRISTO IESV Epiſcopus.

ADDITIONES IN CAPVT XX.

EX COD. VATICANO.

A *Diſciplinam confuſionis meæ audiam.*

OLYMPIODORI.

ALIA exemplaria diſciplinam cõfuſionis tuæ habent: Si priorum lectionem ſequamur, diſciplinam confuſionis, & verecundiæ ſuæ, dicit Pietatem ipſam, quam Prudentiæ ſpiritus docet audire: nec non illa docet, quæ deinceps de impijs Sopharus ipſe diſſerit. Nimirum huc eius ſpectant uerba. Qui diſciplinam tradunt, qui pietate, ac prudentia præſtant, norunt uidelicet impios, ob ſua ipſos ſcelera prorſus ſupplicio affici. Poſterior lectio confuſionis, ſeu uerecundię tuę, hunc alterum præbet commentarium. Tuam audiam diſciplinam, atque caſtigationem, qua nos merito uerecundia præſtinxiſti. Tuæ item prudentiæ ſpiritum audiam, quo recte nobis reſpondiſti. Quæ ſane per Ironiam effert. Equidem libentiſsime, inquir, te ueritus fuerim erudientem. POLYCHR. Si ſapienter, atque perfecte rerum natura perſpecta locutus eſſes, iuſtam orationis tuæ defenſionem reueritus plane ſiluiſſem: ratus minime rectum contra prudentes ſermones uocem promere. Verum, quoniam indicta cauſſa improbitatis nos ipſos inſimulaſti; tuaſq. utcumque iactans ærumnas iuſte angi te arbitraris; Ideo eorum, quæ dicuntur, ueritatem attende.

B *Si dulcis fuerit in ore eius malitia, abſcondet eam ſub lingua ſua.*

Polychr. Quænam ſupplicij cauſſa? Quia dulcis facta eſt in ore eius malitia. Olympiod. Poſtquam, inquit, uitioſitatis ſuauem ſenſum acceperit, certo illam conſilio complexus, ueteratorie, & doloſe; cuncta deinde, tum loquitur, tum agit, eidem uitioſitati intemperanter obſequens; illaq. ipſa tamquam ſuaui quapiam eſca delinitus. Verum, quo tempore cruciatur flagitioſus, nulla re ab improbitate adiuuatur.

C *Fel aſpidum in uentre eius.*

Origenis. Fel aſpidis in uentre eius, quem ſua falſa ducit opinio, atque impietas, in dogmatibus latet ueritati contrarijs.

D *Diuitiæ iniuſte congregatæ euomentur.*

Origenis. Quæ diuitiæ aliæ coaceruantur iniuſte, niſi eæ, quæ in hæreticorum ſermonibus ſitæ ſunt? Verum non ſinet Deus eos, qui lapſi ſunt, eiuſmodi diuitias inique collectas ſemper poſsidere: faciet enim, ut eas uomant.

E *De domo eius extrahat eum Angelus.*

Dei enim beneficio de eccleſia malignantium, quæ impij domus eſt, flagitioſe ædificata, diripiet eum Angelus. Polychr. Hæc ſcilicet contingent ei ulciſcente Deo, atque ab ſuis eum inſtitutis auocante.

F *Non eſt ſalus ſubſtantiæ eius.*

Origen. quibus is affluit opibus, eæ ſalutem dare illi minime poſſunt. Aliter. Nulla in eum non inuadet neceſsitas; furoremq. in eum Deus immittet iracundiæ ſuæ.

G *Deuorabit eum ignis, qui non ſuccenditur.*

Olympiod. Vel conſcientiæ, uel qui in altero æuo reſeruatur. Polychronii. Quaſi igni, inquit, conſumetur, ideſt, neque dignus erit ſepultura.

H *Lædat autem domum eius aduena.*

Origenis. Qui Populum illum armis domuit, aduena fuit, non proſelytus: is domum afflixit, cum Sanctuarium, & quam Sanctam appellabant Ciuitatem, euertit. Polychr. Ἐπήλυτος λέγεται τὸ ὑπολελειμμένον τοῦ οἴκου· ἀσαφῶς δὲ μετελήφθη εἰς ἔλλειψιν. ἵνα ὦσιν ἔτη, ὅτι καὶ μέχρι ἑνὸς χωρήσῃ ἡ τιμωρία· ὥστε μηδὲ μνημόσυνον αὐτοῦ περιλειφθῆναι. Epelytum dicit familiæ reliquias. quod eſt

græce

Græce expreſſum obſcurius. Tamquam ſi dicat, fore, ut nullum præterreat animaduerſio: nec ullam ſit ſui memoriam relicturus.

INTERPRETIS.

Hæc Polychronij Interpretatio prorſus perſuadet nomen græcum Επήλυτον hoc loco pro aduena, ſeu hoſpite minime uſurpari, ſed pro ſuperſtite ſumi: quod uerbũ latinũ eſt in Pagnini interpretatione ex Hebræo. Sic enim ille: Côteretur ſuperſtes in Tabernaculo eius: ſed apud ORIG. & OLYMP. pro alienigena ſumitur.

I *Reuelet autem cœlum iniquitates eius.*

POLYCHR. Pro eo. Tum a Deo, tum ab hominibus illi importabuntur calamitates. Hæc dicit, quòd Iobus ſibi quidem a Deo plagam factam eſſe dixerat, ab hominibus uero iniuriam. Probat igitur Sopharus propter ſua ſcelera Iobum in eas omnes ærumnas eſſe coniectum.

L *Terra autem inſurgat in eum.*

ORIGENIS. Hæc ipſa terra in nationem illam incitatur. INTERPRETIS nationem intelligit Iudæorum.

M *Trahat Domum eius perditio in finem.*

OLYMPIOD. Ideſt funditus interibit. POLYCHR. Cuncta in eũ, inquit, ſupplicia incurſabũt, animaduerſionẽ Deo decernẽte.

PROTHEORIA CAP. QVINCTIDECIMI.

VENIENDAE ægritudinis cauſſa cum Iobi neceſſarij properaſſent; ac ſuis ipſi oculis malorum atrocitatem ſpectaſſent; nullam tamen de Deo abſurdam cogitationem ſuſceperunt; quippe quorum mentes aduerſus Deum religio imbuiſſet: nihilominus, cum ignorarent ad periclitandam, comprobandamq́; virtutem plagam illam pertinere; rectum illud exiſtimarunt; Iobum quidem ſi tamquam culpæ, pœnæq́; obnoxium condemnaſſent; Deum autem, qui minime iniuſtum irrogarat ſupplicium, tamquam iuſtum pronunciaſſent. Fortiſſimus vero Iobus, etſi nihil de Deo iniuſte cogitauit; etſi opinionem diuinæ prouidentiæ, recte & iuſte cuncta adminiſtrantis, quæ in animis amicorum inſederat, nulla ratione euertit; quia tamen nulli erat rei conſcius, cui tantum deberetur ſupplicium, iniquam condem-

nationem amicorum ferre non poteſt. Quamobrem cum multi hiſce de rebus inter ipſos ſermones habiti eſſent, nunc etiam Sopharus impietatis Iobum inſimulaſſet, atque damnaſſet; idcirco illos his verbis compellat. Audite ſermones meos; vt intelligatis ad conſolandum orationem aptam haudquaquam a vobis adhiberi, ſed in faciendo iudicio errari. Atque interim, dum eorum coarguit inſcitiam, hoc ipſos problemate laceſſit. Vtrum prouidentiæ perſpectas habetis rationes? (dicite mihi) cur recte agitur cum impiis? cur bonis omnibus circumfluunt? cur vſque adeo eſt eorum vita lauta, ac moleſtijs vacua? præſertim cum inimicas, & hoſtiles aduerſus Deum voces vſurpent? (tametſi eſt eorum quoque caduca felicitas) qui fit etiam, vt alius diuitijs, ceteriſq́; rebus apud homines beatus, alius vero cum amarore animi migret e vita, nulla percepta parte bonorum? Adhæc ſententiam hanc mediam interponit. An non Dominus eſt, qui prudentiam, & ſcientiam docet? vt Dei iudicia inexplicabilia, & incomprehenſa, Prouidentiæ item rationes obſcuras nobis eſſe oſtendat.

CAPVT XXI.

Suſcipiens autem Iob dicit, Audite, audite ſermones meos, vt ſit mihi a vobis hæc conſolatio.

* γενέσθω τοῦτο μεταβούλευμα ὑμῶν.

SYMMACHVS autem, Et* ſit hæc mutatio conſilij ueſtri. Duplicatio uerbi, *Audite*, aut ad excitandam attentionem, aut ad animi ſecuritatem declarandam pertinet. Huius autem uerſus eiuſmodi eſt ſententia. Accipite, quæ a me dicentur; ut, cum intellexeritis uerba ad conſolandum idonea uos minime feciſſe, tum ueſtri uos pœniteat conſilij: tum orationis ordinem, rationemq́. commuteris. Nam, ut nunc ueſtra conſolatio eſt, non tam conſolatio eſt, quam dolorum additamentum. Dum enim mihi calamitates exprobratis, uulnera mea dilaceratis.

1 Theodotio ſufferte. Symmachus tolerate, ex Vat. Cod.

A [1] *Ferte me, ego autē loquar: deinde non irridebitis me.*

OLYMP. Symmachus. Et poſt ſermones meos ſtabitis. Duplex

eſt au-

eſt autem ijs uerbis ſubiecta ſententia; uel enim id dicit, ſuſtinete & ferte me dicentem; nec enim dubito, quin quieſcere aliquando, & a ludibrijs ceſſare debeatis, dummodo, quæ ipſe paro dicere, percipere uelitis: uel certe hoc loquitur. Releuate, me atque erigite morbo ſuccumbentem: poſtquam autem ipſe arbitratu meo peroraro, ipſi rurſus in priore accubitu collocabitis.

Quid enim? an hominis eſt mea [a] *caſtigatio? aut cur non iraſcar?*

a *Ita Aug. Græce* ἔλεγξις, *recte etiam diceretur, redargutio, quo verbo latino hic eſt uſus Ambroſ.*

OLYMP. Stomachū, inquit, mihi mouetis, dum huiuſmodi contra me mendacia fabricatis. Nam quis tandem ex omnibus hominibus probare potuerit, me aut impium, aut rapacem, aut alieni appetentem fuiſſe? quod ipſum tamen dicere non eſtis ueriti? Ergo, cum nemo reperiatur, qui me iure reprehendat, an non ipſe iure uobis iraſcar; qui accuſatorie ad ea confirmanda nitamini, quorum eſtis ignari? Vel certe illud dicit, quod poſtea uſurpauit
1. Cor. Apoſtolus. *Mihi pro minimo eſt, vt a vobis iudicer: qui autem*
c. 4. *iudicat me, Dominus eſt.* Idcirco minime excandeſco. Nam, cum id, quod in cauſſa uerſatur, haudquaquam ſit uobis apertum; quod diuini eſt iudicij, uobis ipſi arrogatis.

Reſpicite in me, & admiramini.

Aquila autem, [1] Dubitate; Symmachus uero, [2] Obmuteſcite.

1 ἐξαπορήθητε.
2 ἄφθογγοι γίνεσθε.

Manum ponentes ſuper maxillam.

Ceteri, Super os. OLYMP. Qui ſilentio audiunt, ferme cubito in femur incumbente, & in manu ore reſidente ad ea, quæ dicuntur, aduertere animum conſuere: hæc igitur eius eſt oratio. Silentio, atque attente audite me; ut, quę dicentur, admiremini. Ita nonnulli ſunt uerſum hunc interpretati. Sed tamen, quantum ipſe iudico; id ſcilicet dicit. Cum mea reputaueritis, miramini: nullaq. ſit uobis ratio explicata conſilij: quandoquidem nec perpeſsionis meæ cauſſam inuenire poteſtis: itaq. hæſitantes, cum nihil dicere habeatis, ſilentij uincla ori iniicite: etenim uſque eo meę ærumnæ orationis quamlibet ſuperant facultatem, ut de ijs propter difficultatem præſtet ſilere, quàm temere pronunciare, atque de mea condemnatione ſententiam ferre.

Si autem recordatus fuero, [3] *feſtigi, tenent autem carnes meas dolores.*

3 Ambroſius ſtupui.

Hoc item loco lapſi ſunt interpretes. Strictim, inquit, attin-

 gam,

gam, ac breuiter commemorabo ea, de quibus ſum dicturus: nec enim qui meos artus dolores obſident, largiuntur mihi, ut longiore utar oratione. Symmachus pro, *Sategi*, Cum conturbor, expoſuit, hoc credo ſignificauit. Cum meorum malorum memoriam repeto, prorſus commoueor, atque conturbor; ut nec ipſam recordationem ærumnæ ſedato animo ferre queam: corporis enim cruciatus ad ſeſe me rapiunt; nec ea, quam deceret, oratione uti me ſinunt. CHRYS. Vide quemadmodū ſuam ubique cauſſam tueatur, quemadmodum dolores in medium adducat; quemadmodum eorum, ad quæ dicenda ingreditur, cauſſam neget aut a ſe, aut ab ulla mentis inductione natam, ſed a perturbato animo, infuſcatisq. cogitationibus profectam.

B *Quare impij uiuunt? inueterauerunt autem in diuitijs?* [a] *ſemen eorum ſecundum animam? filij autem eorum in oculis? domus eorum proſperantur? timor autem numquam? flagellum autem a Domino non eſt ſuper eos? uacca eorum non abortiuit? ſaluata eſt autem prægnans eorum, & non errauit? manent autem ſicut pecora perpetua? filij eorum proludunt, aſſumpto pſalterio & cithara, & lætantur uoce pſalmi? conſumauerunt in bonis uitam ſuam? in requie Inferni dormierunt? dicit Domino, Recede a me, uias tuas cognoſcere nolo.*

a Semē eorum &c. Horum uerborum explanationem ab Origene in hæreticos factam inuenies in additione. B.

OLYMP. Quandoquidem ſapientes uos eſſe quoſdam exiſtimatis; nec non cauſſas tenere cur hęc ipſe perpetiar, percontāti mihi reſpondete. Cur multi ſæpenumero, quorum animos deuinxit impietas, in opibus conſeneſcunt? cur uberes ij fructus fert terra? cur felici, ac ſpecioſa ſobole lætantur? cur undique ad eos bona confluunt? cur neq; ipſa natura, quæ ratione caret cum ijs agit aliquando infeliciter? lætam, iucundamq. uitam ſimiliter, ut pecora perſequuntur? perinde quaſi ſint ipſi diuinam, mortis ue ſortem manibus amplexi? neque ad eos humanæ pertineant ærumnę? illorum quoque filij hilares ſumunt dies, uitamq. iucunde traducunt; ac mirificis organis oblectant animum, omniq. bonorum genere redūdant, dūm uiuunt? denique cum bonis ipſis

uitam

uitam deponunt? atque id aperto marte cum Deo pugnantes, diuinorum iuſſorum nulla cura, cogitationeq. ſuſcepta? Atque huiuſmodi eſt ſuperiorum uerſuum ſententia. Operæpretium tamen eſt ſingulos uerſus ſeorſim expendere. *Quare*, inquit, *impij viuunt? inueterauerunt autem in diuitijs?* Chrysost. Tale quid Dauid
Pſal. canit. *Eccce peccatores, & abundantes in ſeculo, obtinuerunt diui-*
72. *tias*. Et nunc quidem Iobus non id ſolum ait eſſe admiratione dignum; quòd impiorum ſceleri huiuſmodi quædam reponantur; uerum etiam, quòd felicitate fiant deteriores. Origen. Illud uero *Inueterauerunt in diuitijs*, hanc habet interpretationem. Haudquaquam ſunt nuper locupletati, immo uero ab ineunte ætate ad ſummam ſenectutem uitam in diuitijs egerunt. *Semen eorum ſecundum animam*, hoc eſt, nullus in ijs ſterilis, omnes fecundi; omnes ſemen, filiosq. habent: nam, *Secundum animam*, hoc ualet; Nemo non eſt ex ijs pater; *Eorum filij in oculis*. Symmachus autem, Manent ante eos: iucundum eſt enim ſpectaculum parentibus, natos contueri puerilibus, inconditisq. ſonis ſeſe oblectantes. *Domus eorum proſperantur*; *timor autem numquam*; *flagellum autem a Domino non eſt ſuper eos*. Capiunt, inquit, uoluptatem e liberis; uerentur neminem; florentis ſtatus uicisſitudinem non pertimeſcunt; plagam illatam diuinitus non excipiunt. At nonnulli, *Semen eorum ſecundum animam*, non ad ſemen filiorum retulerunt; ſed ad ea, quæ terræ mandantur, ſemina: ut id, quod dicitur, ſit eiuſmodi, Magna in eorum ſegetibus, & agris ſe effert fertilitas; ſterilitas nulla; nec quiſquam eorum eſt cui non fructuum ſuppeditet copia. Sed tamen priorem expoſitionem duco meliorem. *Vacca eorum non* [a] *abortiuit*, Symmachus autem non * fecit abortum, ideſt, rus colens uacca inchoatum ac mortuum fetũ non edidit. *Saluata eſt autem eorum prægnans, & non errauit*; Aquila autem, Vitula, ac ſi diceret turſus. Vacca rudem partum non abegit; immaturum conceptum non extinxit; ſed ſeruauit incolumem, & abſolutus eſt; nec aberrauit a ſcopo. Quidam de mulieribus hæc dici arbitrantur; quod impiorum hominum uxores mutilata & imperfecta minime pariant. *Manent autem, ſicut pecora perpetua*. Aut hoc dicit, ijs manere armenta, ut ſi forent ſempiterna ab omni pernicioſo morbo ac lue, ab omni interitu aliena; aut illos ipſos diuturnam uitam uiuere, ac pecudum more propagari, & procreationibus æternitati æmulari.

[a] ὠμοτόκησε, id eſt, immaturum peperit.

* ἐξέτρωσε.

Filij

Filij eorum proludunt aſſumpto pſalterio, & cithara; & lætantur uoce pſalmi.

Alia eſt hæc patrum felicitas, filiorum hilaritas; ad quam efficiendam tibiæ, citharæ, ac tympana magnam partem obtinent; quibus ipſis aures oblectantur; & animi uoluptates concitantur; & qui adſunt, illo intemperato, ac molli concentu permulcentur: & impiorum filii intemperanter agunt, dum intentis neruis, ac fidibus manus admouent; uociq. plaudunt organorum. *Conſummauerunt autem in bonis uitam ſuam.* Hoc eſt, numquam eſt ijs felicitatis curſus interruptus: ſed uitam bonis corporis cõfertam traduxerunt; ſuitq. ijs idem felicitatis exitus ac uitæ: ſiquidem eos uitæ iucũditas uſque ad extremum ſpiritum eſt proſecuta. *In requiem autem Inferni dormierunt.* Ideſt, uſque ad obitum, animi quiete & ſecuritate uſi, ſine cruciatu ad inferorum ſedes demigrant. Aut etiam. Quia haud amara eſt iis mors; ſed tamquam ſomno conſopiti, ſic moriuntur. Aut certe, quia ceterorum hominum acerba eſt, & ærumnoſa uita; & ſi in una morte requietem inueniunt: hoc uero genus hominum, de quibus eſt ſermo, ubi uitam omnem omni terrore liberam exegerunt, pari fiducia ac libertate ad mortis requietem peruenere. *Dicit autem Domino, Recede a me; vias tuas cognoſcere nolo.* Animo ſoluto, ac uacuo, nullaq. moleſtia impedito ſemper uiuunt, a Deo palam abalienati, atque impudenti oratione huiuſmodi apud Deum utuntur.[a] Quid nobis imponendis legibus moleſtiam exhibes? leges tuas recuſamus; nec eas noſſe uolumus, nec diligere, neque in illis ipſis ambulare.

[a] *Quid nobis imponẽdis legibus moleſtiam exhibes? uerba Iuliani in Cod. Vat.*

Quid ſufficiens? quia ſeruiemus ei? & quæ utilitas? quia obuiabimus ei?

Olymp. Per impiorum perſonam hæc loquitur. Par huic eſt illud: *Dixit inſipiens in corde ſuo; Non eſt Deus.* Quis, inquir, eſt *ſufficiens*, ideſt, omnipotens, qui dicitur Deus? Quid nobis tandem lucri dabit, ſi illius cultum, obſequiumq. delegerimus? Ecquid nobis erit opis, ſi ad eum adorandum procumbentes acceſſerimus? Illud enim, *Quia obuiabimus ei*, per metaphoram dictum eſt, translato uerbo ab iis, qui claris, honoratisq. hominibus aſſurgunt; ijsq. obuiam honoris cauſſa procedunt. Deinde cauſſam exponit, cur hæc dicant impii. Pſ. 13

In manibus enim erant eorum bona.

Olymp. Vt doceat, haud laborioſam iis fuiſſe bonorum uoluptatem.

tem. Et quidem hæc cogitant, inquit, propterea quod nullo afficiũtur ſupplicio; ſed in humanæ uitæ affluentibus bonis commorantur, Deo interim patienter ferente: ac uerbis loquuntur huiuſmodi. Cuncta in manibus habemus; quæ uoluptatem poſſunt adferre, nobis ipſi cõparamus: quid nobis amplius Deus fuerit impartitus? ut nobis in eius uiis, iuſsiſq. ſeruandis ſit magnopere laborandum?

Opera autem impiorum non intuetur.

Viſum eſt nonnullis, hunc quoque ab impijs proficiſci ſermonem; qui ut ueriſimile eſt, has uoces uſurpent. Hæc ne Deus contẽplatur? in his ille uerſatur? minime uero: nempe nihil is curat humana. Sed fortaſſe recte hæc ipſa uerba in Iobum accommodentur, Dei incredibilem patientiam admirantem; quandoquidem, qui ante pedes poſiti ſunt, impios non coercet. Sed impune peccare ſinit; perinde quaſi quę fiunt, gerũturq. ab illis, minime peruideret.

Verumtamen & impiorum lucerna extinguetur: ſuperueniet autem eis ſubuerſio: * *Dolores autem eos habebunt: erunt autem ſicut palea ante uentum, aut ſicut puluis, quem ſuſtulit procella. Deficiat filios ſubſtantia eius.* * ὠδῖνες.

Etiamſi, inquit, placide ferat Deus, tamen in impios tandem animaduertet: atque eorum ſplendor, non ſecus, ac lucerna, flantè uento, conſumptoue oleo, extinguetur: acerbi eos diſcindent dolores; parientiſq. mulieris cruciatus imitabuntur; illorumq. omnia minuentur; atque ad alienos migrabunt; non aliter atque palea à uento, aut puluis a turbine iactata; nec uero poſſeſsioni bonorum ſuccedent liberi. Quod autem dixerunt Septuaginta; *Deficiat filios ſubſtantia eius*, & quod Theodotio extulit; Deus abſcondet filiis eius iniuſtitias eius, pertinet eodem: etenim, cum filii patrum imitentur nequitiam, merito eos, inquit, Deus ſupplicio coercebit, atque eius filijs eiuſdem iniquitates Deus, hoc eſt, iniquitatum pęnã reſeruabit: nec permittet ad eos hæreditatem paternam peruenire. Huic illud reſpondet, *Reddens iniquitatem patrum in filios*. Deut. c. 5.

Retribuet ei, & cognoſcet.

Pſ. 9 Huius ſimile eſt illud. *Cognoſcitur Dominus iudicia faciens*. Cũ enim impius a Deo ſibi reponi ſentit, tũc animaduertit ac ſentit, ea, quæ geruntur, perſpici a Deo, certumq. eſſe impiis ſupplicium conſtitutum. Nam, quia impius, cum uitam ageret bonis perfluentem

tem, iniuria Deum affecit; nec eos, qui agunt improbe ab illo uideri, ſed impunitos dimitti exiſtimauit; idcirco eorum, quæ peccauit, pœnas ab eo repetit; ut uel ex ipſa plaga, tum iuſti iudicii Dei, tum ſuæ ipſius iniuſtitiæ, atque impietatis notitiam hauriat.

Videant oculi eius ipſius met interfectionem: a Domino autem non ſaluetur: quia uoluntas eius in domo eius cum ipſo, & numeri menſium ipſius diuiſi ſunt.

OLYMP. Interfectionem dicit, aut ipſum exitium, aut, ex interpretatione Symmachi, ipſum caſum, ac ruinam: hic, inquit, ipſe interitus atque excidij ſpectator erit; nullas ei interim Deo ſuppetias ferente: quandoquidem maluit ſuæ improbæ, quàm rectæ Dei uoluntati obſequi. Immo uero, inquit, immaturo perdetur interitu; ſiquidem uitæ eius ſpatium intercidetur; ſeu, ut Aquilæ & Theodotionis eſt interpretatio, dimidiabitur: breuiq. decedet. Tale quid in Pſalmis de impiis dictum eſt. *Quia non dimidiabunt dies ſuos.* Pſ. 54

An non eſt Dominus, qui docet prudentiam, & ſcientiam?

OLYMP. Symmachus autem, Numquid Deum docebit aliquis ſcientiam? Quoniam ante dixerat, quoſdam impios protinus, admiſsis flagitijs, pœnas dare, quoſdã in omni uita nullas luere: accidit etiã ut etiam inſontes perpetiãtur Dei permiſſu ærumnas; ideo, qua id Deus ratione agat, negat noſtrum eſſe ſcire; niſi forte Deus quempiam ea de re erudire uoluerit; atque huius ipſius rei ſcientiã docere. Quis enim huius inæquabilis condicionis, quæ in hominũ uita uerſatur, teneat rationes? quis Prouidentiæ decreta penitus introſpiciat? plane nullus, uno excepto uniuerſæ cognitionis Domino; qui cum nullo egeat doctore, gratuita alios imbuit ſapientia.

Ipſe autem ſapientes diiudicat.

OLYMP. Solus ipſe, qui eſt ſapientiſsimus Deus, harum rerum habet cauſſas exploratas. Is ſapientes, qui apud homines habentur, internoſcit; quorum alios diuina ſapientia præditos probat; alios humana ſapientia præſtantes improbat.

Hic autem morietur in robore inſipientiæ [1] ſuæ lætabundus & abundans: inteſtina autem eius plena adipe: medulla autem eorum diffundetur: ille autem moritur præ

1 Pro lætabũdus, & abundans Ambr. totus in abundantia, & gratia.

præ amaritudine animæ, cum nihil boni comederit: ſimul autem in terra dormiunt: putredo autem eos operuit.

OLYMP. Cur impius, ac ſtultus amentiæ ſuæ uiribus præditus moriatur, medulla ille quidem, ut Symmachus dixit, oſsium irrigatus, ideſt, corpore perbelle affecto; cui ad uoluptaté & præclaram habitudinem nihil deſit (id enim carniũ, oſsiumq. adipe indicauit) contra uero, cur iuſtus, nulla ſuauitate deguſtata, nulla humanorũ parte bonorum percepta, uitam dimittat; cur ambo communem interitus condicionem ſubeant; cur corpus utriuſque peræq. putreſcat, ac diſſoluatur; quemadmodum, & quamobrem hæc contingant; quanam ratione, inquam, decedat impius, in quem amentia, hoc eſt, peccatum, imperium tenuit; contra uero iuſtus, & uterque pariter putreſcát: hæc uero intelligere, ſolius eſt Dei. IVLIANI. Nec fieri poteſt, ut ex eo, quod commune eſt, proprium utriuſque cognoſcatur. Atqui euenta ambobus communia, ut uni Deo diſcrimé poſsit eſſe perceptum.

Quapropter noui, uos, quòd audacia inſiſtitis mihi.

Symmachus, Noui cogitationes ueſtras, & ſententias contra me iniquas.

Quia dicitis, Vbi eſt domus Principis? & ubi eſt uelamen tabernaculorum impiorum.

OLYMP. Hæc, inquit, dum egomet cum animo meo cogito, in unius Dei mente abſolutam rerum omnium notitiam inſidere, minime mihi dubium eſt; non ſcientia ulla, ſed audacia dumtaxat, uos mihi tamquam impio & facinoroſo acrius inſtare; ipſiusq. Dei iudicio præcepto, dicitis, Vbinam domus eſt eius, qui antea beatus erat? ubi genus? ubi bonorum poſſeſsio? ubi copia diuitiarum? ubi ædificiorum apparatus? ubi conſtructio? abeunt iſthæc omnia impiis: iſthæc, inquam, omnia perierunt; deleta ſunt; nullum factum eſt ueſtigium; nullæ manſerunt reliquiæ, nullum monimentum. Ex his tua expende; &, quæ ſors tibi obtigerit, intuere.

Interrogate tranſeuntes per uiam; & ſigna eorum non alienabitis; quia ad diem perditionis leuatur improbus; in diem iræ eius abducetur.

OLYMP. Quamuis, inquit, quædam in hominum uita cernatur inæqualitas; non tamen illud dederim potius quidpiam eſſe in uitio, quàm in uirtute: quinetiam hoc affirmo; quemadmodum iis, qui

qui iter faciunt, ſigna ſunt cognita, & diuerſoria nota, poſtquã iter confecerint; ſic, qui humanæ uitæ ſpatia ambularint, quo tandem loci uitam depoſituri ſint, haud eſſe obſcurum: licet enim ad breue tempus inſolenter efferatur improbus, atque tumeſcat; nihilominus dignum ſua improbitate tandem reperiet diuerſorium: namque ſtata dies exitij, diuinæq. iræ illum expectat. Illud autem, *Leuatur*, Symmachus, Seruatur; Clam auferetur, Aquila eſt interpretatus; hoc oſtendit illum ad ſupplicij diem reſeruari.

Quis annunciabit in faciem eius uiam eius? & ipſe fecit; quis retribuet ei? & ipſe in ſepulchra adductus eſt, & in aceruo uigilauit.

Quemadmodum, inquit, cum ex ijs, qui ſunt uiarum periti, quærimus, quo hæc, illaq. uia ducat; ſi autem eos dicere audierimus; Hæc quidem ad laxamenta, & commoda ducit diuerſoria, illam uero montes excipiunt, ſolitudines ac præcipitia; ipſi illorum ſigna minime alienamus, hoc eſt, minime reijcimus; nec improbamus, ſed tamquam propria, manifeſta & confeſſa illa admittimus, ac plane credimus, non ſecus, quàm acceperimus, illa nobis caſura eſſe: ſic prorſus perditis, ac profligatis hominibus uitæ, inſtitutiq. ſui exitum exploratum eſſe oportebat. Verum quis id ſuſcipiet, ut illis demonſtret? quis flagitioſe uiuenti, atque ei, cui fluunt omnia feliciter, aut uiam, in quam ſe dedit, aut uiæ clauſulam commonſtrarit? quis, quamuis ſit ab eo nefarie & contumelioſe tractatus, illũ aut vlciſcetur, aut æquo, pariq. iure perſequatur? quis nihil reueritus communis naturæ deſpectam condicionem, eumdem doceat? quis illum ad eiuſmodi mentis reuocet ſanitatem, ut perſuaſum habeat, hoc breui uitæ confecto curriculo, ad ſepulturam fore deportandum? ac multas illius curas atque uigilias eſſe tumulum complexurum? & quidem ternos cubitos, perpaucos lapides, anguſtam terram debere eſſe ſatis ad cœnum corporis eius cõtegendum? Nec non ad hunc modum commentabere. Quis impio coram, palamq. dicat, uitæ ſuæ omnis finem eſſe mortem? ut is hac ratione compungatur? ut ad tumulum meditans præ ſolicitudine uigilet?

Dulces factæ ſunt ei ſilices torrentis: & poſt eum omnis homo abibit, & ante eum innumerabiles.

a Quid ſibi uult hoc loco, torrens? quid, dulces effectæ ſilices? quænam in hiſce uerbis ſententia latet? Has ego ſilices, quemadmodũ in

a Quã pereruditi Olympiodori in alijs huius libri obſcuriſſimis ſententijs perquirẽdis atque enucleandis æſtuantem operã, & ſtudium fuerit recordatus, quin eiuſdem hæc itẽ omnis ſit explanatio, minime dubitauerit.

in ſinu intelligentiæ tuto collocem, aut quemadmodum torrentem hunc ſine offenſione commeando tranſeam, niſi uiæ dux, & adiutor aliquis adſit, prorſus non reperio. Tu ergo, ô Beate, qui iſthæc philoſophatus es, nos complectere; ac nobis dux eſto; nec antea deſeras, quàm in complanatam uiam deduxeris: qua iter recta facere poſsimus; & a uero minime aberremus. Nam, ut nunc eſt, ipſi prope deprehenſi in triuio, quam intelligendi uiam ingredi debeamus, ignoramus. Vtrum igitur, ô uir mentis celſitudine ac ſapientia præſtans, hoc dicis? Impio homini, & peccandi cupido, uel ipſam foſſam torrentis ſpeciem imitantem, quæ poſt mortem eſt illius cadauer complexura? uel ipſos lapides, ipſasq. ſilices iniiciendas uiſum iri dulces; cum nec moleſtiam, nec admirationem ea res homini eiuſmodi adferat cogitanti, non ſibi ſoli eſſe moriendum? ſed innumerabiles quoſdam idem poculum hauſiſſe? nec fore quépiam, qui non ſit ex illo ipſo calice potaturus? Aut uero id non dicis? Illud potius doces? Tametſi homini nequam tanta gignatur ubertas, ut etiam terra ſterilis, cuiuſmodi ea eſt, quam torrentũ curſus ac ſaxa exaggerarunt, ſit fructuoſa; tamen eſſe illi peræq., ut cũctis hominibus, moriendum? Aut etiam ſane eorum neutrum dicis? ſed reconditiorem quampiam aliam ſententiam oſtendis? népe, torrentis ſilices, hoc eſt, huius fluxæ & caducæ, ac torrentis more labentis uitæ aſperam, inæqualemq. condicionem eſſe impio uoluptati; nec ei, qui mundanis deliciis eſt delinitus, admirabilem ac nouum accidere interitum, quem ante non nulli, poſt alij, omnes denique ad extremum perferemus?

Quomodo autem me fruſtra conſolamini? me autem ceſſare facere a uobis nihil.

Nec utiliter, inquit, nec opportune conſolationem uos mihi adhibuiſtis; nec enim dolorem meum magis demitigaſtis, quàm exulceraſtis; nec firmum quidquam attuliſtis, cur ob uerecundiá mihi tacendum ſit, ac ueſtra cauſſa ceſſandum; ueſtræ enim refellédi ſtudio ſuſceptæ contentiones in fęcibus hæſerunt inſcitiæ. Ita nec meam ſedare ægritudinem, nec mihi ſilentium imponere potuiſtis, quorum contrariæ orationis neceſſaria perſuaſione ſunt ora obſtructa.

ADDI-

ADDITIONES IN CAP. XXI. EX COD. VATICANO.

A *Ferte me.*

DIDYMI.

CVM dicendum erat ferte ſermones meos maluit ſic: Ferte me dicentem, illud cogitantes rationes refellendi non ad contumeliam, ſed ad ueſtram eruditionem dumtaxat a me uſurpari. Etenim ſi uobis id cognitum erit, non hæc, quæ ſuſtineo, meis facinoribus reddi, me non amplius ridebitis.

B *Semen eorum ſecundum animam &c.*

ORIGEN. Iuſti hominis ſemen eſt ſecundum ſpiritum. *Seminat enim in ſpiritu: & de ſpiritu metit Vitam æternam.* At huius generis hominum *Quandoquidem animalis homo non percipit, quæ ſunt ſpiritus, ſtultitia eſt eum ei* Nequaquam ſemen eſt ſecundũ ſpiritum, uerum ſecundum animæ partem deteriorem. *Gal. c. 6.* *1. Cor. c. 2.*

Filij autem eorum in oculis.

ORIGENIS. *Omnia, quæcumque faciunt, faciunt, ut uideantur ab hominibus, ipſa enim opera filij ſunt uniuſcuiuſque.* Quorum ſunt animi peruerſis imbuti opinionibus, eorum filij non ſunt in corde, non in cogitationibus probis, uerum in oculis, ut uideantur ab hominibus. *Matt. c. 6.*

Domus eorum proſperantur.

ORIGENIS. Quando ſynagogam ingreſſus fueris hæreticorum, illicq. collectam uideris multidinẽ, tũ ſecũ agi feliciter arbitrãtur.

Timor autem nuſquam.

ORIGENIS. Metu carent. Deũ non timent. Deitatẽ aſpernãtur.

Flagellum a Domino non eſt in ipſis.

ORIGENIS. Cum eiuſmodi hominem uideris Deo obtrectantem, commoda ualetudine, probe affectis oculis, ſenſuum incolumitate, humanarumq. rerum fluxu felicitate fruentem; nempe in huiuſmodi impium dictum illud uere cecidiſſe intelligas *Flagellũ autem a Domino non eſt in eis.*

Vacca eorum non fecit abortum.

ORIGENIS. Bos animal eſt ad colendum agrum factum, ipſi quoque Terram excolunt, ideſt Sodomam Gomoram. Ægyptum.

Saluata eſt autem prægnans eorum, & non aberrauit.

ORIGENIS. Quæ concipiunt, ea pariunt. Concipiunt non a ti-
Pſ. 7. more Dei, ſed a uitioſitate. *Ecce parturiit iniuſtitiam; concepit dolorem; & peperit iniquitatem.*

Manent autem ſicut oues perpetuæ: filij autem eorum præludunt.

ORIGENIS. Quænam eſt illis uerbis: *Sicut oues æternæ*: Subiecta ſententia? Quæ nam oues perpetuæ? nimirum de quibus
Ioan. CHRISTVS dicit. *Oues meæ uocem meam audiunt, & ego Vitam*
c. 10 *æternam do eis*, & quæ deinceps recitantur. Quoniam igitur qui impiā ſectam, inſtitutionemq. proſequuntur, ij Gregē CHRISTI non ſecus quàm mimi ſtudent imitari: dum Epiſcopos, Presbyteros, Diaconos, Magiſtros qui Populum erudiunt, ſibi ipſi conſtituunt: Hæc, cum agunt, æternis ouibus æmulantur: illudq. facto comprobant. *Manent ſicut oues æternæ.* Non ſunt quidem oues perpetuę, ſed tamen ſicut perpetuæ manent oues.

Aſſumentes pſalterium, & citharam.

ORIGENIS. Noſtri pſalterium, & citharam ad Deum hymnis celebrandum, eiusq. gloriam prædicandam aſſumunt: illorū autem pueri, ideſt, qui apud eos deſipiunt, pſalterium, ac citharam ſumentes ludunt, quum ueteris teſtamenti uerba uſurpant: ludūt: & rident, quū legis ac Prophetarū cōcinentibus oraculis utūtur: eoramq. illis proludūt, legis pſalterio citharaq. ſumpta Prophetica.

Et gaudent uoce pſalmi.

ORIGENIS. Nec non iſti ipſi pſalmos pronunciant Valentini, Odas Baſilidis. Voceq. pſalmi delectati loquuntur eiuſmodi.

Conſummauerunt, autem in bonis Vitam ſuam: in requie Inferni dormierunt.

ORIGENIS. Non in Cęli, ſed Inferni requiete obdormiuerūt. Nos uero id a Deo precemur; non vt in requiete Inferni, ſed Regni Dei in ſanctis Cęlis cum Imperatore CHRISTO dormiamus: cui gloria, atque Imperium in ſæcula ſæculorum. Amen.

PROTHEORIA CAP. SEXTIDECIMI.

IOBVM Amici exagitabant, perinde quaſi eſſet ob ſua ſcelera inuidioſus; ſiquidem peccantibus neceſſario comitari ærumnas confirmabant. Verum, illorum rationes cum Iobus refelleret, hoc illis ipſis problema poſuit. Si hæc perinde, ut uos dicitis, ſeſe habent, quo igitur pacto pleroſq; uidemus impios in omni uita rerum omnium copia beatos extitiſſe? ac uitam iucunde, feliciterq́; dimiſiſſe? Ad quæ Eliphazus ueretur reſpondere: ita ad noua ſe conuicia confert, atque impudentius contumeliis lacerat Iuſtum; dum ea ipſi crimina obÿcit, quæ uix in profligatiſsimos homines cadant. Poſtquam autem eum iniuriis cumulauit, adhortationem inſtituit; illiq́; ſuadet, ut ad ſaniora conſilia ſeſe referat: quo, Deo placato, eiusq́; præpotenti dextera exorata, priorem referat felicitatem. Sed nimirum in Iobum hæc haud recte dicuntur, quamuis utilitate minime careant: neque enim a malo dumtaxat abſtinendum; ſed recte etiam agendum docet: cum diuina animaduerſio non eos ſolum, qui agunt flagitioſe; uerum etiam eos, qui non ad uirtutis normam ſuas dirigunt actiones, coerceat. Quoniam igitur amicorum uerba utilia ſunt, licet abſurde in Iobum iactentur; ideo diuina prouidentia perfectum eſt, ut hęc quoque ſcriptis traderentur. ORIGEN. *Etenim, quæ diuini ſpiritus conſilio habētur digna, quæ litterarum monumentis conſignentur, ideo ſcribuntur, ut, qui in ea incidit, ex eorum lectione capiat utilitatem. Quare trium amicorum, qui ad Iobum commearūt, ſermones, niſi fructuoſi eſſent, atque eiuſmodi, ut ad eos, qui legerent, fructus aliquis perueniret, nimirum id numquam diuina prouidentia paſſa eſſet, ut trium amicorum ſermones in Iobi librum conferrentur. Itaque illorum ſermones iis bono futuri ſint omnino, qui ſententias ſubtiliter perſpexerint, eorumdemq́; accuſationem in hoc uno uerſari intellexerint; Iobum ob ea tantum, quæ ei peccata ſunt, uexari ærumnis. In quo parum uiderunt; pręſertim cum multa ſint alia, cur rebus mortales cōflictentur aduerſis. Sed quid cōtra Iuſtum adferat Eliphazus, uideamus.*

Suſci-

Suſcipiens autem Eliphaz Thamanites, dicit: An non eſt Dominus, qui docet ſenſum & ſcientiam? CAPVT XXII.

OLYMPIOD.

HOC Iobus antea dixerat, de quo illi aſſentitur Eliphazus; dicitq́., Et ipſe illud intelligo; cur hic homo impius lætus, ac bonis auctus uiuat, ille uero crucietur, eius rei uni Deo rationem eſſe perſpectam: necnon illud noui, bonorum Deum eſſe auctorem, a uitio autem manare ſupplicia.

ORIGEN. Sanitatem habet hoc dogma, hominem haudquaquam eſſe poſſe uirtutis magiſtrum: Deus enim, quemadmodum eſt in
Pſal. 93. Pſalmis, eſt unus, *qui docet hominem ſcientiam*, dum ſua luce diſcentis animum complet, mentemq́. illuſtrat ueracis uerbi ſui lumine: ut, quamuis frugi homines, quibus docendi munus conceſſum eſt diuinitus, nos erudiant; nos tamen per eos doceat Deus. Et uero uel ipſum intelligere, ipſa corda ad diuinas doctrinas combibendas aperiri, ipſi diuinæ gratiæ referri debet acceptum.

Quid enim curæ eſt Domino, ſi tu fuiſti operibus irreprehenſibilis? uel quæ utilitas, quia ſimplicem feciſti uiam tuam?

Symmachus autem, Vtrum indiget Deus; ut iuſtificeris? aut lucrabitur, ſi immaculata fuerit uia tua? OLYMP. Quandoquidem magnifice, inquit, te circumſpicis, quòd ſis innocentia præditus: eſto ſis eiuſmodi; cedo, quid ex iſta tua iuſtitia Deo lucri acceſsit? etiamſi ſimplicem uitioſitatisq́. expertem uitam traducas, quid ex ea re compendij fecerit Deus? CHRYS. Vtrum, quia innocenter ipſe uixiſti, ad eius commoda quidquam illa tua innocentia contuliſti? Nam, quia identidem Iobus uſurpabat: Hæc Deus uidelicet fecit, atque eius cauſſa patior; ideo nititur Eliphazus perſuadere, illorum haudquaquam Deum eſſe auctorem; quandoquidem nihil ea res damni, lucriue Deo poteſt adferre; nec is quempiam reformidat: id quod plane, quod attexitur, docet.

Aut rationem tui habens, increpabit te?

OLYMP. Huic ſic fortaſſe poſsit occurri, Non quia quidpiam mali ſibi ab impio metuat Deus, cum increpat: Sed, quia ipſum ſua prouidentia, ac beneficentia comprehendit.

Et ſimul tecum ueniet in iudicium?

Origen. Vſque eo eſt hominum amans, ut etiam, cum de nobis iudicium facit, integrum nobis eſſe uelit; uerba apud eum facere, quaſi pari nobiſcum iure decernentem. Ita apud Iſaiam dicit. *Iſa.c. 1. ex edit. 70.* *Venite & diſceptemus*. Illud porro. Diſceptemus, eſt huiuſmodi, Siquid habes, in quo me poſsis reprehendere, ut minus recte agentem, profer: nam ipſe uiciſsim, quid aduerſus te habeam, docebo: prorſus tibi perſuadebo, cum a me condemnaris, iure te condemnari. Olymp. Alij uero ſic legunt, *Quid enim*? quem quidem locum interpungunt, & quæ deinceps ſequuntur, cum affirmatione efferunt, *Curæ Domino eſt, ſi fuiſti operibus irreprehenſibilis*. ideſt, nequaquam inſontium hominum eſt Deus negligentior: ac; licet nullius indigeat, nos tamen eſſe animo ſimplici, & partes explere uirtutis, ad ſuam putat pertinere utilitatem. Ideo, cum magnam tui rationem ducat, te redarguit, & quaſi aduerſus te in iudicio conſiſtens, iuſtum de te iudicium facit. Quamquam iidem uerſus uidentur mihi rectius legi, ſi tum moribus, & affectibus, tum interrogatione diſtinguantur.

Numquid non eſt multa malitia tua? innumerabilia autem ſunt peccata tua?

Olymp. Ex ærumnarum multitudine, multitudinis peccatorum capit coniecturam. Tua, inquit, introſpice, ac uide, nũ plura, quàm peccaueris, patiare. Hæc autem non affirmantis, ſed dubitantis ſunt hominis: ut, ſi quiſpiam diceret. Vide ne forte multa te peccãtem latuerint, quibus huiuſmodi eſt merces perſoluta. Origen. Sane multos uideo homines facinoroſos: tamen qui tantis, quantis tu, premeretur ærumnis, uidi neminem: ita non temere, ſed probabiliter te iniuſtum appello; quandoquidem eiuſmodi quædam ipſe ſuſtines, cuiuſmodi nullus: in quibus malis ipſe cũ uerſaris, multorum flagitiorum, quibus alios uincis, non obſcurum ſtatuis documentum: credibile enim eſt, iſthæc tibi ob innumerabiles tuas culpas cecidiſſe. Nec uero primum peccati, deinde uitij mentionem fecit; uerum primo loco uitium, qui flagitioſus eſt habitus: ſecundo ea, quæ a prauo habitu proficiſcuntur, appellauit, ea uero ait eſſe innumerabilia, quorum etiam diſtincta genera, ac ſpecies ponit.

Pignus abſtuliſti a fratribus tuis fruſtra.

Symmachus autem, Ab inſontibus. Hoc eſt, eos, qui nihil debebant,

bebant, non aliter atque deberent ob creditarum rerum pignora, appellaſti; idq. cum pauperes eſſent. ORIGEN. Hoc autem de Iobo ſuſpicabatur, quia diuitem eum eſſe non ignorabat; quæ res ſuſpicionem illi adferebat, Iobum eiuſmodi fructibus locupletatum fuiſſe. Ideo inquit, *Pignus fruſtra abſtuliſti*, id eſt, ab ijs, quibus nihil ipſe credideras. Necnon aliud ipſi crimen infert, cum ait.

Amictum nudorum ſuſtuliſti.

Atqui nudos ſpoliare quî poterat? Nudos igitur ualde inopes cogitare debemus, eos inquam, qui non alteram habent ueſtem, ijs tu inopiam amplificaſti; cum illam unam ueſtem, quam induebant, eripuiſti. ORIGEN. Tempus incidit, cum a diuite, cui multa ſunt indumenta, non a paupere licet ueſtem auferre. Si quis unum quodpiam habeat ueſtimentũ, & redhibendæ rei meæ cauſſa illud nudo debitori nulla miſeratione permotus detraxero, ſcilicet a nudo ueſtitum eripui. Idquod non raro nobis accidere ſolet: Sæpenumero enim is, qui nobis debet, ſumma tentatur inopia, nec eſt ſoluendo omnino: uerum ipſi, clauſis, contractiſq. præcordijs, quod uxorẽ alit & liberos, quod ęgre illis perpaucis, qui ſuppeditantur, obolis, uitam tuetur, nulla eius rei habita ratione, importune nomẽ exigimus, atq; adeo acerbe; idq. cũ nos ipſi abundemus. Hæc igitur Eliphazus Iobo in crimine ponit, cum dicit, *Amictum nudorum abſtuliſti.* Fortaſſe etiam, amictum nudo non præbere, ablationem ſpoliationemq. nuncupauit: [a] ſpoliator * enim & raptor is eſt qui aut nudum non, induit, aut panis indigentem non alit.

[a] *Quis ſpoliator, quis raptor apud Origenem.*

* ἀποστερητὴς γάρ ἐστι, καὶ πλεονέκτης, καὶ μὴ ἐνδύων τὸν γυμνὸν, καὶ μὴ τρέφων τὸν ἄρτου δεόμενον.

Neque aqua ſitientes potaſti.

OLYMP. Ergo reus quiſpiam eſt, non ſolum, quia iniuriam facit; ſed etiam, quia benigne non facit. Vide igitur quanta noſtra in alterum eſſe debeat benificentia: quandoquidem, non miniſtraſſe ſitientibus pocula, crimini datur; ſicut & aquæ frigidæ poculum mercede non caret. Itaque immoderatæ inhumanitatis Iobum condemnat Eliphazus; quòd nec aquam, gratiam ſumptus omnis expertem, homini ſiti enecto, quod ipſum ſcelus eſt grauius; tribuerit. [b] Hæc quidem certe crimina ſunt prorſus uituperatione digna; ſed quæ in Iobum tamen minime conueniant: neque enim recte in eum dicebantur.

[b] *Hæc quidem etc. ſumpſit ab Origene teſtis Cat. Pinelli.*

Atque eſurientes exiguo pane priuaſti.

Quid ego te, inquit, negem largitum eſſe egenti; quando perexiguum panem, quo ſuam is, qui eſuriebat, ſolabatur inopiam, extorſiſti?

torſiſti? Exiguus enim panis ψωμὸς fruſtum panis dicit. Quemadmodum eſt in Ruth, *Intinges buccellam panis in aceto*. Dicit *Ruth. c.14.* igitur, neceſſarijs alimentis calamitoſos priuaſti, ſiue cum pignora extorquebas; ſiue cum mercedem locantibus tibi operam non dabas; ſiue alia quapiam ratione peccabas: ſane hæc in appellationibus inhumanis contingunt. [a] Interdum enim fruſtum illud panis, quod debitor habet unum, cum pane integro careat, ab eo auferimus, cum his eum uerbis appellamus, Atqui debes.

[a] Interdũ enim etc. ſunt ex Origenis interpretatione in Cat. Pinelli.

Admiratus es quorundam perſonam.

Hoc eſt, nec recte, nec animo perturbationibus libero de rebus iudicaſti; nec perſonarum diſcrimina contempſiſti; immo uero quoſdam, cum iudiciũ dares, extuliſti, quoſdã autem afflixiſti: & humiles quidẽ per uim oppreſsiſti; potentes ſuſpexiſti, atque ornaſti. ORIGEN. * Crimen eſt hoc aliud perſonę dignitatem admirari: pauperem uero, quia ſplendore caret, pedibus obterere.

* Quibus momentis, ac nominibus ſint diuites anteponendi pauperibus docet S. Bonauentura in lib. qq. circa Regulã quęſt. 23.

Collocaſti autem pauperes in terra.

OLYMP. Hoc eſt, eorum inopiam abieciſti; pauperesq. humiq. ſtratos, in terra iacere multo ma is coegiſti. Nonnulli uero codices non, *Collocaſti*; ſed, [1] * *Cubare feciſti*, habent; ut ſi diceret, Vel ipſum lectum, & culcitam pauperibus ſubtraxiſti; ut cum nihil ij pro ſtrato haberent, humi cubare cogerentur. Hæ, inquit, tot illarum tuarum calamitatum cauſſæ extiterunt: hæc bonorum tuorum populatores, atq; direptores iniuſtos undique euocarunt.

[1] Ambr. habitare feciſti.
* ᾤκισας.
* ἐκοίμισας.

Viduas dimiſiſti manes.

Seu, quod ſuis eas bonis, fortunisq. nudaueris; ſeu potius, quod, cogẽdæ ſtipis cauſſa ijs ad te adeuntibus, nihil dederis; ſed nulla re accepta, ablegaris. Quare periculoſum eſt, eos, qui ad ſuſtentandam inopiam petunt aliquid, aſpernari. Viden' ut partem bonorum non communicaſſe cum uiduis, crimini detur? ORIG. Illud omnino prouidendum nobis eſt, ne, ſi uidua domum noſtram ingreſſa fuerit, inanem illam dimittamus. Quiſque quantum poteſt, uiribus connitatur, ut uiduæ ſinum rebus, quæ ſibi adfuerint, compleat.

Orphanos autem afflixiſti.

Nec ab inferenda, inquit, pupillis iniuria abſtinuiſti. Pupillos autẽ, & qui omni ſunt ope ſpoliati, male accipere, ſummæ eſt nequitiæ argumentum: [a] neque enim fas eſt cuiquam malum inferre: ſed tamẽ eſt orphanis præcipua quadam ratione parcendum.

[a] Neque enim fas eſt. Sunt Orig. in Cat. Pinelli.

Nam

Nam pro ijs animabus, quæ omni ſunt auxilio deſtitutæ, pugnandum eſſe, Deus præcepit: atqui ex omni hominum genere pauperes, uiduæ, ac pupilli, propriè opis indigent. Basil. Idcirco & per Iſaiæ perſonam Deus loquitur his uerbis. *Liberate eum, qui iniuſte læditur:* tunc nimirum, cum in homines rapaces, ac uiolentos inciderit; atque ab ijs per uim, quaſi a torrente fuerit abreptus. *Iudicate pupillo:* etenim, cum eos, qui ſibi ſunt iniurioſi, in ius (quod eorũ facile contemnitur ætas) uocare non poſſint, uos patrono carentibus, ueſtra ſponte id cumulate præſtate, quod illis ætas denegauit. *Et iuſtificate viduam:* & uero hoc perſonarũ genus in hominum uita multis rebus ſolet eſſe inferius: uiduitatẽ enim iniuria uiolare, haud quiſpiam maiore negotio aſſoriatur; quam ipſam uos plane ſuſcipite; atque eidem, quod iure debetur, reddite.

Iſaiæ. c.1. ex edit. 70. Iſaiæ. ibid. ibid.

Igitur circumdederunt te laquei; & ſolicitauit te bellum ingens.

Symmachus autem, Et conturbat te metus ingens. Quęcumque illi acciderunt, laqueos appellauit: ut huiuſmodi ſit eius oratio. Ideo es calamitatum iaculis confoſſus; Ideo ſunt abreptę fortunæ; ideo ad ſummam defluxiſti inopiam; ideo ſubita florentis ſtatus conuerſione perturbatus es, atque perculſus, quia contumelioſus in alios fuiſti; quia nulla es miſericordia uſus.

Lux tibi tenebræ euaſit: dormientem autem te aqua operuit.

Alij uero, Multitudo aquarum operiat te. Olymp. Idcirco, inquit, res tuæ a ſplendido ad tenebricoſum ſtatum deuenerunt; atque ab illuſtri felicitate ad obſcuram, triſtemq. infelicitatem deductæ ſunt; ac te conſopitum, ideſt, omni cura uacuum, nec uigilãtem, nec quidquam minus exſpectantem torrentes tẽtationũ intercluſerunt, & perculerunt. Aut etiam, *Dormientem*, dixit, ut caſuum omnium, qui ſimul, atque una die eum oppreſſerunt, illuſtriorem conficeret ſignificationem.

Numquid, qui excelſa habitat, non intuetur? eos autem, qui contumelia feruntur, humiliauit.

Pſal. 112. Ac Deum, eum inquam, *qui in altis habitat, & humilia reſpicit,* ea, quæ geruntur, uidere minime putas? Nempe igitur, qui cuncta contuetur, eos qui inferendæ iniuriæ libidine inſigniter ſunt arrogantes, deprimit, ac deijcit. Cũ igitur illa tu per iniuriam ege-

ris, eam ipſam ob cauſſam iſthæc perpeſſus es, atque in iſtam humilem, abiectamq́. ſortem coniectus.

A *Et dixiſti; Quid cognouit fortis? aut per quam caliginem iudicabit? nubes latibulum eius, & non videbitur, & gyrum cœli perambulabit.*

Immanis impietatis atque amentię Iobum condemnat Eliphazus. Veri eſt, inquit, ſimile tecum te fuiſſe locutum, & clam, quidem peccaſſe, cum ſic diceres: Quid nouit potens? quî enim rerum omnium Deo percepta poſsit eſſe notitia? quî de rebus omnibus iudicare? de ijs etiam, quæ in caligine obſcure tranſiguntur? cum ei ſit in nube domicilium conſtitutum? atque ea re nec cerni poſsit, nec cernere? præſertim cum tanto ſit eius domicilium a nobis interuallo diſiunctum? Quamquam ſatius fuerit ſuperiorem orationem in duos uerſus partiri, ut prior ad Iobum, poſterior ad Eliphazum referatur. Tu quidem Iobe, inquit, ſuſpicatus es Deo latere te poſſe in operto agentem, nec facturum Deum de ijs rebus iudicium, quæ fuerint in tenebris geſtæ, qui illas haudquaquam cognoſcat. Ipſe enim uero ita pronunciarim; Deum ipſum cunctis locis adeſſe, nube autem tectū nobis minime adſpectabilem eſſe, ſuo porro ſinu uniuerſa cōplecti, nec quidpiam illum latere: hinc plane perſpici poteſt; quòd is cœli circulum ambulando conficit; atque ex edita, nobisq́. occulta ſpecula cuncta intuetur; nec quiſpiam reperitur, qui illius uitare poſsit obtutum.

B *Numquid ſemitam æternam cuſtodies, quam calcauerunt viri [1] iuſti, qui comprehenſi ſunt immaturi?*

Symmachus autem, Capientur ante tempus.

Fluuius influens fundamenta eorum dicentes, Dominus quid faciet nobis? aut quid adducet nobis omnipotens? qui repleuit domos ipſorum bonis.

Theodotio pro eo, *Quid adducet*; Quid operabitur, interpretatus eſt: pro eo autem, *Qui repleuit*; Ipſe autem repleuit, dixit. OLYMP. Eſt locus hic ſane lubricus, nec noſtratibus hominibus ſatis explicatus. Qui enim ſint ij, qui æternam ſemitam, cum iuſti eſſent triuerint, quorum fundamenta fluuius eſt, & quorum eſt immatura comprehenſio, coniectura facili ſeu cogitare, ſeu affirmare nequimus: quantum igitur coniectura aſſequi poſſumus, non uirtutem Iobo, ſed uirtutis ſimulationem affingit Eliphazus: ac

[1] Viri iuſti, nec ſecus eſt in Vaticanis Biblijs peruetuſtis; quamquā apud Ambroſ. & in impreſsis libris ſit iniuſti, ἄδικοι.

ac ferme his loquitur uerbis. Ne forte, ô Iobe, ipſe quoque æternam uirtutis uiam, ut quidam alij ſimiliter tenueris, qui non tam uirtutem, quam fictæ pietatis ſpeciem ſunt perſecuti; qui, tametſi iuſtitiæ uiam terere uidebantur, illam ipſam tamen minime ambulabant. Ita hæc ijs adumbrata, commentitiaq. pietas immaturum attulit interitum: atque ea, quæ ipſis uidebatur tuto firmata, & quaſi fundata felicitas, tamquam a fluminibus fuit abrepta. Hæc autem ijs mala euenere, quia huiuſmodi pęne illorum erat oratio, atque ſententia: Deum nequaquam in ipſos poſſe animaduertere, nec eos poſſe bonis remunerari: in quo grauiter intelligẽtia errabant: ſiquidem ea, in quibus ſpem poſitam habebant, bona, &, quę firmitate niti arbitrabantur, non aliunde, quàm a Deo in ipſos deriuabantur. Quòd ſi tui ſenſus cum illorum congruunt, merito iſthæc pateris. Fieri etiam poteſt, ut ſemitam æternam diuinæ prouidentiæ rationes nuncupauerit Eliphazus: ut hac oratione utatur. Vtrum diuinæ prouidẽtię ſemitas ac rationes notare potes; quibus rationibus illud fit, ut iuſti ſæpenumero rebus aduerſis diuexentur, extremumq. uitę diem immatura morte conficiant? Ad hæc probabili coniectura uſus addit, hæc illos perpeti, propterea quòd bona Deo accepta minime referunt.

Conſilium autem impiorum longe ab eo.

Quæ conſilia ineunt impij, longe abſunt a Deo, nec enim quidquam ſani deliberando uident: ſed omnia, quæ ſunt honeſto utroque contraria.

C *Videntes autem iuſti riſerunt: irreprehenſibilis autem ſubſannabit eos. Si non deleta eſt ſubſtantia eorum: & reliquias eorum deuorabit ignis.*

Poſtquam homines pietate præſtantes impiorum ſceleſtum eſſe conſilium animaduerterint, prorſus illos irrident. Illi quidem fixas res ſibi permanere exiſtimarunt: ſed nimirum contra quam illi opinabantur, cecidit. Nam & illorum bona deleta funditus, atque ipſi illi perierunt omnino. Quod ſi quiſpiam ſuperſtes fuerit, hunc quoque eſt ignis conſumpturus. Sed quemnam ignem ſuſpicari debemus? confectricem uim illam puto, quæ in caſibus aduerſis hæret infixa.

Sis autem durus, ſi ſuſtinueris: deinde fructus tuus erit in bonis.

Cum uniuerſe de impijs pronunciaſſet; quod improba, dum

ij

ij meditantur, conſilia extinguuntur; ad Iobum nunc conuerſa oratione dicit. Si cor tuum obduruerit; ſi aduerſaria Deo conſilia meditatus fueris; tamen experientia diſces eſſe diuinum ſupplicium intollerabile; neque fructus tuus erit in bonis, id eſt, filij, qui fortaſſe ſuperant, & reliquiæ. Si igitur illi, id eſt, impij, qui Deo aduerſantur, ſuſtinuerunt, nec illi, nec illorum reliquiæ, illorum inquam filij perierunt; tibi quoque conandum eſt, & obdurandum, & animus obfirmandus. Si igitur ſuſtinueris.

* ἐξηγορίαν.

*Accipe ex ore eius * confeſsionem, & aſſume verba eius in corde tuo.*

Origen. Aut hoc dicit, Mores muta, diuinasq́ leges complectere; aut peccata tua confitere; dehinc Dei ſermones cuſtodi. Huius mihi duplicis interpretationis, hæc eſt oblata occaſio; mecum enim ipſe quærebam, quid ἐξηγορί ualeret. Cum apud Symmachum pro, ἐξηγορίαν, ἐξωμολόγησιν, id eſt, Confeſsionem; apud Aquilam, νόμον, Id eſt, Legem reperio; Vnius interpretatio huc pertinet, De tuis peccatis confitere: confeſsionis autem rationem a Deo docere. Alterius uero expoſitio hanc adfert ſententiam, Accipe a Deo legem; eiusq́. ſermones in corde defige.

D

1 Ambr. a tabernaculo tuo.

Si autem conuerſus fueris, & humiliaueris te ipſum coram Domino, procul feciſti a [1] conuerſatione tua iniuſtitiam.

Quandoquidem durus eſſe uis, merito, quę debentur impijs, pateris: quod ſi mentem mutaueris, ac te ipſum humiliaueris ſub potenti manu Dei, nihil tibi abſurdi eueniet.

Pones ſuper aggerem in petra, & ſicut petra torrentis Sophir.

Non dubito hãc omnem expoſitionẽ eſſe Olympiodori.

Pro quo Symmachus, & in rupe, duroq́. ſaxo, ſicut primi auri fiſtulas, dixit. Nempe hanc is ſententiam indicat. Si te pęnituerit, atque a tuo conuictu, & diſciplina iniuſtitiam omnem ſemoueris, ſupra terram in petra collocaberis, hoc eſt, haud a felicitate dimouebere: ſed tuto atque conſtanter in terra commorabere, atq; ex Sophir, ubi aurum gignitur pręſtantiſsimum, ac lapides pretioſi: aurum cum amne fluens ad te permanabit. Affirmant nonnulli interpretes, *Sophir*, Africam eſſe. Porrò huius regionis nomen Scriptura uſurpat, cum ſermonem de diuitijs habet.

Erit

Erit igitur tibi omnipotens auxiliator ab inimicis; mundum autem te reſtituet ſicut argentum ignitũ. Deinde fiducialiter ages coram Domino, reſpiciens in cælum hilariter. Te autem orantem ad ipſum, exaudiet: dabit tibi reddere vota, reſtituet autem tibi diſciplinam Iuſtitiæ: ſuper vias tuas erit ſplendor.

ORIGEN. Sanum hoc loco ab Eliphazo dogma enunciatur: putat enim Iobum ob peccata uexari; pęnas autem ſuſtinentem ipſa malorum perpeſsione purgari: dum uero purgatur, non aliter atque aurum, quod in fornace probatur, perſpici: quidquid alienũ eſt, omni abiecto, atque animo ab omni uitioſitate integro adepto. Dicit igitur, Si, quæ tibi acciderunt, moderate tuleris, Deus tibi puritatem, quæ argenti igne perpurgati nitorem imitatur, reddet: quam ipſam cum fueris conſecutus, fiduciam accipies, qui iam peccata depuleris; hilariq. uultu in cęlum ſuſpicies; atq; conſcientia omnis condemnationis experte préces adhibebis. Quòd ſi Deo ullius te uoti, promiſsive religione obſtrinxeris, ille ipſe hoc tibi præſtabit, ut, quæ illius cauſſa ſuſcepiſti, poſſis perſoluere. OLYMPIOD. ille enim eſt, *Qui operatur in nobis velle, & perficere pro bona voluntate*. Theodotio pro illo, *Dabit tibi reddere vota*, dixit, Definies uerba, & ſtatuentur; ideſt, quicquid habebis cum animo tuo conſtitutum, atque informatum, tibi minime excidet: ſed firmum, ratumq. erit. Ad ſummam: uitæ genus frugi homine dignum tibi largietur: ac cunctæ uiæ tuæ directæ erunt, diuino lumine duce colluſtratæ: quinetiam illuſtria, & glorioſa tua erunt facinora. Quid ita?

Phil. c. 2.

Quia humiliauit ſemetipſum, & dicet, ſuperbiuit.

OLYMP. Cum de Iobo ſit ſermo, de alio quopiam uidetur tamẽ loqui. Propter hanc, inquit, cauſſam homini, ad meliorem ſententiam deducto, hæc euenient, quia humiliauit, inquit, ſeipſum, ac dixit, ea, quæ pertulit, iure ſe eſſe perpeſſum; propterea quod arroganter animum extulit.

Et demiſſum oculis ſaluabit.

Id eſt, eum, qui de ſe modeſte demiſſeq. ſentit, humiq. figit obtutum, * conſciẽtiæ dicendiq. timore debilitatus, cuiuſmodi eſt in Euangelijs iuſtificatus ille Publicanus.

* διὰ τὸ δυσωπεῖσθαι, καὶ ἀπαρρησίαστον.

Libera-

Liberabit innocentem.

Tentationibus atque ærumnis, uidelicet.

Et ſaluus eſto in mundis manibus tuis.

Pro quo Symmachus, Effugiet munditia manuum unuſquiſque. Quæ cum ita ſint; cum unuſquiſque e ſuis actionibus puris iuſtus efficiatur, quid cunctaris? in eoq. perſeueras, ut improbe agas? Cur, puris a peccatorum labe manibus conſeruatis, ex ijs, quæ tete urgent, malis non te ipſe eripis? Et quidem Eliphazus hactenus. Ipſa uero cohortatio in Virum Iuſtum, qui unum ſemper Deum intuebatur, accommodata eſſe non poteſt: ſin nobis admoneatur, recte nimirum fuerit admota; quos & uitæ noſtræ pęnitere oportet, &, ut pio ſummiſſoq. animo Deo pareamus, admonemur.

ADDITIONES IN CAP. XXII.

EX CATENA PINELLI.

A

Et dixiſti, quid cognouit fortis?

ORIGENIS.

VERISIMILE eſt te cum animo tuo ad hunc modum eſſe locutū, quid nouit fortis? an omnia cognoſcere poteſt Deus?

B

Qui comprehenſi ſunt immaturi.

OLYMPIODORI. Sæpe iuſtis immatura mors accidit. *Perfectus enim in pauco iuſtus impleuit tempora longa, placita enim Domino anima eius.* Sap. c. 4.

Fluuius affluens fundamenta eorum.

EIVSDEM. Iuſtorum fundamenta ſemper promouentur: ſemper bonis augentur.

Dicentes Dominus quid faciet nobis? aut quid inducet nobis omnipotens, qui impleuit domos eorum bonis?

EIVSDEM. Bonis iuſtorum domos compleuit. Ego uero haud hoc loco domos haſce agnoſco. Verum eorū domos, hoc eſt principem animi partem impleuit bonis, quibus nam bonis? Temperantia, Iuſtitia, Fortitudine, Prudentia.

Conſilium autem impiorum longe ab eo.

OLYMP. longe ab eo, hoc eſt a Deo. ORIGEN. Deliberandi rationes, quas agitant impij, ſunt a Deo auerſę.

Viden-

C *Videntes autem iuſti riſerunt.*

Olymp. Quodcumque tamdem impiorum cōſilium uiderint iuſti, irrident: funditus enim intereunt, ijs reddito ſupplicio. Origen. Quædam enim docent ueritati contraria: cum ſint ipſi dogmatum peruerſitate corrupti.

Irreprehenſibilis autem ſubſanauit eos.

Origen. Ea cum uidet uir probus, contemnit.

D *Si autem conuerſus fuerit, &c.*

Origen. ad reſipiſcendum eum adhortatur: quia peccatorum illum pœnas luere arbitratur.

E *In vijs tuis erit lumen.*

Origen. Si meis, inquit, monitis parueris: & conuerſus fueris, atque confeſſus, lux erit in tuis uijs. Hęc Iobo, qui culpæ affinis nō erat, dicebantur ab Eliphazo: quæ nobis iure quidem dicerentur.

PROTHEORIA CAPITIS DECIMISEPTIMI.

SANE Eliphazus intemperantiſſimas in iuſtum Iobum contumelias intorſit, cum ei impiorum hominum abſurda facinora affinxit. Ac Iuſtus, ſcio, inquit, non e ſermonibus veſtris, ſed ex actionibus meis de meis factis factum iri iudicium. Quamuis enim Deus ſit vltor, ac vindex, mea tamen iura vniuerſa, ac de rebus meis iudicium libenter illi vni condonabo; cum illius veritas in dubium mihi venire non poſſit. Poſtquam autem incomprehenſam, minimeq́; adſpectabilem Dei naturam in ſermonem iniecit, rurſus æſtuantem orationem in amicos deflectit. Quoniam me impietatis, inquit, condemnatis; atque e meis ærumnis ſcelerum ſumitis argumentum; ſciſcitanti mihi reſpondete ipſi. Cur, tam multa intoleranter agentibus impiis hominibus, ita perpetitur Deus, vt nec ea contueri ferme videatur? Verum, vbi eſt hoc genus hominum deteſtatus, ipſos quoque pœnas daturos eſſe confirmat, etiamſi diuturna patientia Dei abutantur. Suorum autem ipſe verborum veritate fretus, inquit: Niſi hæc vera ſunt, integrum cuique eſto, illa ipſa reprehendere. Atque hæc verbis Iobi eſt ſubiecta ſententia. Deinceps ſingula videamus.

Suſcipiens

CAPVT XXIII.

Suſcipiens autem Iob ait: Et iam ſcio, quoniam de manu mea redargutio mea eſt, & manus eius grauis facta eſt ſuper gemitum meum:

CHRYSOST.

NOVI, inquit, ex ijs, quæ in manibus ſunt, ex plaga, inquam, ipſa, non ex ijs rebus, quas geſsi, me refellia uobis: ſiquidem acriter eſt me Deus inſecutus, ut prorſus ſit mihi ingemiſcendum. OLYMP. Alij uero horum uerſuum huiuſmodi interpretationem fecerunt. Plane nullam inquit, ueſtrarum accuſationum, & criminationum rationem duco: neque enim ex ijs, quæ falſo eſtis ipſi criminati, uerum ex ijs, quæ egi ipſe, de me iudicabitur. Et uero in me Deus grauiter animaduertit.

Quis igitur nouerit, quòd inueniam eum? & ueniam ad terminum?

Symmachus autem; Vſque ad ſolium eius.

Dicam autem meum iudicium?

Pro quo Symmachus rurſus: proponam coram eo iudicium.

Os autem meum implebo redargutionibus: cognoſcam autem ſanationes, quas dicet mihi?

Symmachus autem, Verba.

Sentiam autem, quæ mihi annunciabit? & in multa fortitudine ingruet mihi?

Symmachus, Altercatur mecum.

Si me terrebit.

Solum ipſe non inſequatur me.

Veritas enim & redargutio ab eo: educat autem ad finem iudicium meum.

CHRYSOST. Huius omnis orationis ſumma eſt huiuſmodi. Quis id mihi largiatur, ut me Deus audiat? mihiq́. reſpondeat? me enim iuſtum pronunciaret. Sed, quæ dicit, ſingula ſunt huiuſmodi. Vtinam mihi licitum eſſet Deum inuenire; utinam liceret ad illius ſolium adſpirare, illicq́. ſiſti, & cum illo ipſo congredi, ac diſceptare:

ptare: illincq. ſententiam exſpectare: utinam liceret mihi, ad tribunal illud perducto ęrumnas acerbitatesq. meas deplorare, utique de uitæ meæ rationibus dicerem, ut, ijs, quę geſsi, ac pertuli, uno tempore expoſitis, quemadmodum de me pronunciaturus eſſet, experientia diſcerem; & quam mihi laboranti curationem adhibiturus eſſet, intelligerem; ad hæc, uelitne me pœnis grauioribus perſequi, an minas remittere. Quamuis enim poteſtate, ac minis in me uti poſsit ſuis; hoc eſt mihi tamen exploratum, ueritatem penes illum reſidere; omniq. perſonarum genere, ac diſcrimine repudiato, redargutiones, hoc eſt, iudicia dare. Illud item mihi perſuaſum eſt; ſi ad eum mihi fuerit aditus, me contra uos uictorię ſuffragium laturum. Illud enim, *in finem*, pro perſectum, dixit. Quamquam apud Hebręos uictoria & finis uno uerbo declaratur. Ita, cum quorumdam Pſalmorum hęc deberet eſſe inſcriptio, In finem, nihilominus, Victori inſcribuntur. Illud igitur, inquit, diſcere uelim, quid mihi tandem dicturus ſit Deus, & utrum ſimiliter ſit, ut ego, ſupplicia irrogaturus. Quę cum dicit, non eo dicit, quo Dei iuſtitiam condemnet: uerum ut amicos reprehendat; qui de Deo haud recte exiſtimarent. Ac uide, quemadmodum, quod Iobus optauit, ſit conſecutus: in extremo enim hoc libro eſt, quemadmodum, & cum Deo Iobus congreſſus fuerit, atque ab ipſo illo reſponſum abſtulerit.

Ad prima enim proficiſcar, & non amplius ſum: quæ autem in extremis, quid noui? ſiniſtra eius, qui fecit, non [1] tenui: circundabit dextra, & non uidebo. 1 Ambr. non reſtiti.

DIONYS. & ALEXAND. Deus quidem ſemper eſt, omnisq. ęternitas pręſens ei eſt; atque adeſt uſquequaque. Nobis autem id, quod dicitur, Nunc, & pręſens, neque intelligentia poteſt eſſe perceptũ, neque conſiſtit omnino. Etenim, cum dicitur, fortaſſe etiam priuſquam ſit animo comprehenſum, auolauit: nec eſt uſpiam, nec quiſpiam ipſum, Nunc, animo cohibere poſsit; fugiens enim, ac ſe ſubducens abit. Id autem, quod uſque fugax eſt, obſcurum atque inane, quis aliquando pręſens eſſe dixerit? Quinetiam id, quod futurum eſt, cum perpuſillo tempore ſeſe oſtenſurum ſit, ſtatimq. debeat euaneſcere, nondum quidem eſt ipſum; feſtinat autem ideo, ut amplius ne ſit. Ita, cum temporis mobilitatem atque inconſtantiam Iobus ſignificaret, his uerbis eſt de ſe ipſe locutus. *Ad prima proficiſcar, & non ſum amplius: quę autem ſiunt in extremis, quid noui?* In quo planè oſtendit, nos homines id tantum

uiuere

uiuere temporis, quod inſtat: quandoquidem id, quod præterijt, amiſimus; quod autem futurum eſt, nondum tenemus. OLYMP. Superiorum uerborum magis enucleatam Symmachus attulit interpretationem: ſic enim ille. Ecce, ſi antegrediar ipſum, apparere non poteſt; ſi ſequar, non ſentiam. Quæ quidem interpretatio hanc habet ſententiam. Sane libenter rerum mearum iudicium diuinis oculis permitto. Verum quid mihi demum accidit? nempe is Deus natura eſt, ut cerni non poſsit. Quid igitur agam? utrum in ijs locis, quæ ante ſunt poſita, eum quæram? atqui is noſtrum fugit obtutum: me enim ille antegreditur, ut animaduertere nulla ratione queã. Quòd ſi ſe ad ſiniſtrã cõuerterit, illius cõprehendendi omnis mihi eſt erepta facultas; ſi dextrã tenuerit, prorſus illum ipſum nequeo intueri. Hæc uero dixit, non ideo quòd Deus aut corpore, aut greſſu aliquo loca peragret; ſed ut eum doceat cunctis locis adeſſe, nos autem ad eum, nec mente poſſe accedere. Illud autem, *Et amplius non ſum*, aut ex priore interpretatione debemus intelligere; Vt, ſi ad prima cogitatione ipſa progreſſus fuero, præteritiq. temporis rationem euoluero, prorſus me non eſſe; & id, quod erat ac fuit, ſiquidem fluxit, me amiſiſſe cognoſcam. Aut uero ad illa ipſa uerba hanc ſententiam accommodabis. Quamuis quærendo longius digreſſus fuero, quamuis curioſe animum intẽdero, ut Dei primordia, principiumq. reperiam; tamen extra me poſitus ero, & in ratiocinationum tenebris uerſabor, dũ ad ea comprehendenda, quæ comprehendi nequeunt, nitar.

Nouit enim iam viam meam: perſpexit autem me, ſicut aurum: egrediar autem in mandatis eius. Vias autem eius cuſtodiui; & non declinem a mandatis eius, & non tranſgrediar.

Idcirco, inquit, diuini iudicij fiducia nitor; quia, antequam ipſe fundam orationem, quæ geſsi, nouit; necnon, quia eius leges, ac iuſſa ſeruaui. Præcepta autem hic dicit, non quæ libi aut auditione accepta, aut ſcriptis conſignata fuerant; (hic enim Sanctus Legem præcucurrit) uerum eas leges, præcepta nominauit, quæ ſine ſcripto in noſtris animis inſitæ ſunt, ac diuinæ mentis uocibus enunciatæ. Porro illud, *Non declinem*, uim habet mirificam. Si ſexcenta, inquit, in me mala incurſarint, a recta tamen uia iter non deflectam, nec diuina decreta perfringam. Huic illud alterum ſimile eſt. *Quis nos ſeparabit a caritate* CHRISTI? *Rom. c. 8.*

In

In ſinu autem meo abſcondi verba eius.

In ea parte animi, quæ intelligentia prædita eſt, in mentis receſſibus, cum eius leges incluſas haberem, cuſtodiui, atque in ſinũ abdidi; &, quaſi cum ijs ſatus, factus ac conglutinatus eſſem, ſic ipſas illas incredibili animi uoluptate ſeruaui, diuinæq. uoluntati mente ſedata, certo propoſito atque conſilio, nulla neceſsitate coactus,
Pſal. ſum obſecutus. Eiuſdemmodi id eſt, quod in Pſalmis legitur. *In*
118. *corde meo abſcondi eloquia tua.* Ac rurſus. *Et legem tuam in medio*
Pſ.39 *ventris mei.* Ad hęc, tanquam a quopiam ſibi obijceretur: Quamobrem igitur talibus malis urgeris? ſtatim occurrit.

Si autem & ipſe iudicauerit me, quis eſt, qui contradicat ei? ipſe enim voluit, & fecit.

CHRYSOST. Nouit, inquit, uiam meam; necnõ illud tenet, illud me diligenter laboraſſe, ut ſibi morem gererem. Verum, ſi iudicium de aliquo inſtituerit, quis ei aduerſetur? Nempe mea, quibus ſum ipſe conſcius, ſunt huiuſmodi; ſed tamen illius uincat decretum; nec quiſquam illius iudicijs obſiſtat. Nam, ſi me uel iuſte agẽtem condemnauit atque ſupplicijs talibus addicẽdum cenſuit, quis ei contradicat? certe nullus: ſiquidem illius uoluntas poteſtatem comitem habet; nec aliud, atque uiſum fuerit illi, fit. Diuinę prouidentię rationes ne quære. Sane illud unum eſt mihi intellectum, nullius me rei conſcientia opprimi; tametſi huiuſmodi exercear malis; nihilominus rationem, quemadmodum adminiſtret humana, non perquiro. Verumenim, cum ea res me fugiat, hoc tantum affirmo; ea demum, quę uoluit ipſe, feciſſe; uultuq. demiſſo eum adoro, nec curioſius quidquam perueſtigo.

Idcirco ſuper eum ſategi: commonefactus autem de eo ſolicitus fui.

OLYMP. Mea, inquit, recognoſcens, *ſategi*, ideſt, perterrefactus ſum, ac perturbatus; quandoquidem me plagę cauſſa latet; nec, cur me Deus percuſſerit, aſſequor, ut intelligam. Quamquam hac ipſa calamitate admonitus, & caſtigatus, nihil egi intoleranter: ſed gratias egi, atque habui; illudq. mihi curę fuit in primis, ut ne cogitatione, uel uoce Dei exiſtimationi, famæq. obeſſem.

Super hoc a facie eius feſtinabo: conſiderabo & terrebor ab eo.

Iterum eamdem ſententiam, ac uerbum uſurpat, ac dicit. Cum

harum rerum mihi ſim ipſe conſcius, nec plagam tamen uitare potuerim, æſtuo, animoq. ſum perturbato, quòd huius uexationis & afflictationis cauſſam nullam reperio. Verumtamē nihil uolo ſcrutari diligentius: nempe me Deus ſuo uultu, ſuo inquam ſolo terret adſpectu. Cum autem ipſum tantūmodo cogitaro, metu concutior; nec cauſſam, cur me ceciderit, exquirere audeo. CHRYS. Nō peccaui, inquit. Sed quid ea res ad rē hanc pertinet? quādo nō ob peccata tantū; ſed, omni etiā culpa remota, licet Deo ſupplicio coërcere?

Dominus autem molliuit cor meum: Omnipotens autem me fecit ſolicitum.

Illud, *Molliuit*, pro eo eſt, Animi neruos ac uires eliſit. Illud uero, *Solicitum fecit*, huic par eſt, Perterrefecit.

Non enim ſciebam, quòd venirent ſuper me tenebræ, ante faciem autem me operuit caligo.

Non ſciebam, dixit, pro, Non exſpectabam. Tenebras & caliginē ante faciem, obſcuras & inexplicabiles calamitatum rationes nuncupauit: tamquam enim ad cernendum oculo illatum ſit impedimentum, ſic ipſe nequeo ærumnarum cauſſas aſſequi, quæ me ſolicitudine conficiūt incredibili; &, quoniam me nec opinantem oppreſſerunt, robur animi planè concidit. CHRYSOST. Hoc enim minime exſpectatum malum haud humanitus accidit: coniectura mihi ſane adſertur: Dei manu plagam eſſe inflictam. Recte autem dixit, *Ante faciem:* nec enim communes ſunt tenebræ, ſed meæ ſunt ęgritudinis, ac męſtitiæ propriæ.

CAPVT XXIIII.

Cur Dominum [1] latuerunt tempora? impij autem: terminum tranſgreſſi ſunt? grege cum paſtore rapto? ſubiugale autem pupillorum abduxerunt, & bouem uidua pro pignore tulerunt? declinauerunt autem impotentes de uia iuſta?

1 Ambr. non latuerunt, & codd. Gręci impreſſi, & vulgata editio Latina, & Hebræa.

POSTQVAM Iobus ſuperiora dixit, credibile eſt ad hunc modum amicos illi reſtitiſſe. Profecto iſthęc non, quia animum ſeruaueris integrum, ut ipſe loqueris, pateris; uerūm peccatorum tuorum pęnas ſoluis. Hanc Iobus criminationem acriter diluens ait. Quonam pacto impij res alienas rapiunt? res finitimas populantur, atque diuexant? pactosq. terminos

præter

prætergrediuntur? uel, ut Aquilæ eſt interpretatio, occupantes, immaniter greges cum paſtoribus diripiunt? Viduæ, & pupilli bouem, & aſinum, certa uitæ inſtrumenta, auertunt? imbecillos condemnant? omneq. ius ſuffragij peruertunt, cum de tenuibus hominibus ſententiam ferunt? Viam, inquit Symmachus, pauperum peruerterunt, ideſt, eos, qui infirmitate iudicij atque intelligentiæ laborant: eaq. re offenduntur, quòd commodiorem, beatioremq. uiam eſſe uitij animaduertunt: ab honeſtis inſtitutis, rectaq. uitæ diſciplina abducunt; atque ab optima, ac laudabili uiuendi ratione, ad improbiſsimam, deterrimamq. traducunt. Deus autem, quaſi temporum immemor, ſupplicia addit. Etenim, ſi peccatis comitarentur ſupplicia, ſi ad errata pœnę protinus adderentur, utiq; opportunæ illæ ipſæ futuræ erant. Nunc autem nonnulli fraudes inexpiabiles concipiunt: Deus autem, tāquam temporum oblitus, remunerationem ſuſtinet. Illud autem, *Cur*, non exquirendæ rationis, ſed problematis amicis ponendi cauſſa dictum eſt.

Simul abſconditi ſunt manſueti terræ.

Seu, quòd ſugiunt iniquos, ferarumq. conuictum magis deligunt; ſeu, quod uerius eſt, quia extruduntur, necanturq. ab impijs. Huc Symmachi pertinet interpretatio, Simul, inquit, inuiſibiles fecerunt manſuetos terræ, tum eos, qui in rebus gerendis, tum qui in perferendis exercebantur. Id ipſum apud Salomonem

Prou. c.1. conſceleratum illud concilium loquitur, *Abſcondamus enim, inquit, in terra hominem iuſtum iniuſte.*

70. *Exierunt enim ſicut aſini in agro.*

CHRYSOST. Impudenter ceteros homines proculcantes, cunctos deſpicientes, cunctos irridentes, licenter prædantes omnia, atque uaſtantes. Deus autem non dum in hos inquiſiuit.

Pro me autem egreſsi opus ſuum.

OLYMP. Aquila autem ἐξέρχονται ἐν κατέργῳ αὐτῶν egrediuntur in opere ſuo diluculo ſurgentes ad prædam. Sententia autem eſt huiuſmodi. Hi, inquit, quod in huiuſmodi generis hominum eſt conſuetudine, in me effecerunt. Pro me enim exierunt, ideſt, ut mea auferrent, ſuaq. facerent: id enim facere ipſi conſuere.

Dulcis factus eſt panis eorum in iuniores.

Symmachus; Dulcis unicuique eorum panis in adoleſcentes. OLYMP. Iucundum eſt, inquit, impiis quoſdam alere iuuenes, ut

ad inferendas ceteris contumelias ijs adminiſtris abutantur, eosq́; qui uiribus ſunt infirmioribus, adoriantur.

Agrum, qui non eſt ipſorum, ante tempus meſſuerunt.

Duo peccata uno tempore peccarunt, tum quia tempore importuno demeſſuerunt fructus; tum quia alienos. Soliti ſunt id facere latrones. Quia enim frugum demetendarum tempore cuſtodes adhibentur, uel etiam, quia agrorum domini opportune eas metũt, latrones ipſi præuertunt; ac meſſem immaturam aggrediuntur: ne forte, fructuum maturitate exſpectata, a terræ dominis perceptos illos offendant.

Impotentes autem uineas impiorum ſine mercede, & ſine cibo operati ſunt.

Et hæc iniquitas maxima, ut pauperes diuitibus, nulla mercede accepta, operam nauent; nec modo mercede nulla accepta, ſed etiam nullo ſuppeditato cibo. Hanc igitur duplicem iniuſtitiam palam facit, immaturæ frugis agri alieni demeſſæ, ac mercedis egẽtibus operis non perſolutæ; quæ cum dominationi concedant, ſine alimentis impiorum uineas coluerunt. Atqui dignus eſt operarius cibo ſuo.

Nudos autem multos dormire fecerunt ſine ueſtimentis; amictum autem animæ ipſorum abſtulerunt.

OLYMP. Meo quidem animo, nudos quoſdam dormire coëgerunt, extremumq́; ueſtitum, quo corporis turpitudinem contegebant ademerunt. Id quoque probabilitate non caret, Multos, quos nudauerunt, ἐκοίμισαν, ideſt, tacere coëgerunt: nudati enim præ timore uerbis minime reſtiterunt.

A guttis montium madeſiunt; eo quod ipſi non habent operimentum: petram amplexi ſunt.

OLYMP. Mihi uidetur ab ijs, qui in opere faciundo occupati ſunt, ad eos, qui in rebus perpetiendis uerſantur, deduxiſſe orationem. Hoc autem dicit, nudatos, atque ex ſuis domicilijs exturbatos, miſere degentes ſub dio, e cęlo cadentes, ſtillanteſq́; guttas corpore excipere; & quoniam tegumento carent, ac tecto, ipſis petrarum integumentis, ac ſpeluncis pro domibus uti. OLYMP. Quidam de uiolentis hominibus hæc dici exiſtimauerunt: nã aiũt hoc genus hominum ſeſe in ſolitudines abdere, ac latronum uitã

fere

fere ſub dio agere. Quòd ſi contingat aliquando ijs opus eſſe tecto quopiam loco, illis pro tecto eſſe antra, ſaxa, anguſtasq́. ualles.

Rapuerunt pupillum ab ubere.

Pupillum matris ubera ſugentem a matris complexu, atque uberibus, miſerabiliter, immaniterq́. abſtraxerunt; ut hunc alienis traderent alendum: hoc autem maximæ eſt crudelitatis, neque pueris infantibus, qui matrum ſunt affixi uberibus, parcere.

Eum autem, qui cecidit, humiliauerunt.

Eum, qui a diuitiis ad inopiam defluxit, illi etiam vehementius depreſſerunt, copiolis, quæ illis calamitoſis tenuiculæ ſuperarunt, direptis; & hoc crudelitatis eſt, egentes inuadere; & ex eorũ bonis lucrũ facere. Etenim eum, qui cecidit, pauperẽ intelligit, ſic enim eſt Symmachi interpretatio, Et a paupere pignus eripuerunt.

Nudos autem ſopiuerunt iniuſte.

a Si expoſitionis conſecutio tuenda ſit, ſic nunc uidetur dicendum. In nudo pauimento nudos iacere coëgerunt; quibus nihil erat pro ſtrato. Vel certe, ut alijs quibuſdam uiſum eſt, cum nihil deberent, per iniuriam nudarunt, & ἐκοίμισαν, ideſt, ſilere coëgerunt; cum nec hiſcere quidem auderent, aut de iniuria utcumque expoſtulare.

a *Omnia hæc tribuenda Olympiodoro.*

Eſurientium autem fruſtum panis abſtulerunt.

Ad ſummam penuriam cibi, atque egeſtatem illos redegerũt; id quod & inhumanitatis habet additamentum; ſummęq́. crudelitatis, atque incredibilis iniuſtitiæ eſt argumentum.

In anguſtis iniuſte inſidiati ſunt.

In locis, qui periculoſi, & utrinque præcipites ſunt, inſidias inſtruunt; ut ijs, quibus tenduntur inſidiæ, euadendi omnis præcidatur facultas; quas quidem inſidias facile illi ipſi, quibus parantur, uitarent, ſi in apertis, latisq́. locis collocarentur.

Viam iuſtorum non cognouerunt.

Hoc eſt, Non adamarunt. Illud enim, *Non cognouerunt*, nullum ijs inſcitiæ dat teſtimonium; uerum illorum in iuſtorum hominum uitam odium plane confirmat.

Qui e ciuitatibus, & domibus proprijs eijciebantur.

Ruſus ab actuoſis hominibus iuſtis, ad uexatos oratione digreſſus eſt. Hi enim a perflagitioſis hominibus domibus ſuis, ac ciuitatibus exturbantur.

Anima paruulorum ingemuit ualde.

Eorum, in quos impiorum furor incitatur, infantes pueri ex intimis præcordijs flebiles eliciunt uoces; propterea quòd parentum ſolitudinem intuentur: aut adeo ob id ipſum, quòd parentibus careant, a quibus ſibi alimenta ſubminiſtrantur.

Quare autem ipſe horum conſiderationem non fecit? cum illi eſſent ſuper terram, & non agnouerunt?

Cum amicis quaſi hæſitans hæc interrogando communicat. Si ob peccata tantummodo homines diuexantur, cur de hoc hominũ genere, qui res gerunt huiuſmodi, Deus in terris cognoſcere noluit? Ita factum eſt, ut, cum non ſint ab eo coërciti, ſua, quæ auſi ſunt, facinora clam Deo eſſe exiſtimarint.

Viam iuſtitiæ non cognouerunt; nec ſemitas eius ambulauerunt.

Quid iuſtitia eſſet, uſu minime didicerunt, ideo quòd huius uirtutis numquam ſunt iter ingreſsi; neque uitam aliquando ad illam ipſam inſtituerunt; ſiquidem eius uiæ ſumus ignari, in qua numquam fuit nobis aliqua commoratio.

Cognoſcens autem opera ipſorum, tradidit eos in tenebras.

Futurum iudicium promit, ac dicit. Poſtquam res impiorum geſtas, perſpexerit, expenderitq́. Deus, tunc demum illos in tenebras traditurum. Habet hoc enim diuina ſcriptura, ut, quæ nondum geſta ſunt, & geri tamen eadem ipſa oportet, tamquam ſi præſentia adeſſent, ſic exponat. Qua ratione hoc item loco, *Tradidit*, pro, Tradet, dixit. Sed nec fortaſſe, illic quod futurum eſt ſupplicium declarauit, cum illos in tenebras coniectum iri confirmauit: ſed potius mentis, quam hic patiuntur, cæcitatem oſtendit; dixit autem * *Tradidit*, non ideo quòd ullam ad eam rem Deus adferat neceſsitatem, abſit; a ſed ideo, quòd liberã iis Deus arbitrii poteſtatem dedit, utrius maluerint uiç ingrediendæ. Simile huius eſt illud. *Tradidit eos Deus in reprobum ſenſum: & illud. Excæcauit oculos eorum, & cogitationes eorum*; non quia id ipſe effecerit, ſed quia permiſerit.

Ro. 1. Ioan. c. 12. & Iſ. c. 6.

* παρέδωκε δὲ εἶπεν οὐχ ὡς τοῦ θεοῦ ἀναγκαστικῶς τοῦτο ποιοῦντος: μὴ γένοιτο: ἀλλὰ συγχωροῦντος αὐτοὺς διὰ τὸ αὐτεξούσιον ὡς βούλονται, πορεύεσθαι.

a Locus apertiſsimus de libero arbitrio.

Et nocte erit fur & oculus adulteri cuſtodiuit tenebras, dicens; Non conſiderabit me oculus; & uelamen faciei poſuit; ſuffodit in tenebris domos.

Ad improbos item reuertitur, dicitq. omnem; qui male agit, odiſſe lucem, ac noctem ſuarum libidinum & cupiditatum adminiſtram habere; quandoquidem ea, quæ tenebris digna ſint, agit, & latere conatur. Ergo fur, & adulter, tenebris quaſi uelo quodam obductus, & ore, quo prodi poterat, obuoluto, ille quidem muros, hic autem alienos toros perfodit, idq., integumento, ut Symmachus interpretatur, ori impoſito, ideſt, tenebris obſeruatis; ut iis obtectus eſſe ac latere poſsit. Quamquam tu, qui furaris, licet hominibus clam eſſe queas, Deo tamen, nec ſi ratiocinatus fueris, & id cogitaris, eſſe poſsis.

Die obſignauerunt ſeipſos: non cognouerunt lucem; quia ſimul mane ipſis umbra mortis: quia cognoſcet conturbationes umbra mortis.

Planius hęc Symmachus interpretando extulit, Quaſi in ſigillo abſcondent ſeipſos; ſi fuerit ipſis diluculum umbra mortis; deprehenſus autem non erit ſubſiſtens, coopertus umbra mortis: hoc uidelicet uidetur ſignificare, furem, & adulterum noctu audere turpia, die autem deliteſcere, ac lucem fugere; quòd ſi deprehendantur, ſtatim perire ſupplicio: is autem, qui deprehenſus fuerit, huiuſmodi terrores agnoſcet, ac ſuſtinebit; ſic perturbabitur; ut ante mortem pęne prę timore uita excedat; nam umbra mortis in ſacris litteris ſępenumero pericula morti propinqua nominantur. Ergo, qui improbo, ac perdito ſunt ingenio, ne capti morte obruātur, ſeſe die includunt, uerenturq. prodire in lucem.

Leuis eſt ſuper faciem aquæ.

Symmachus, Innatans aquę. Quemadmodum inquit, ea, quę leuia ſunt, cum aquę inſederint extimę, facile aquarum impetu hac illac iactantur; ſic quiuis improbus tentationibus rapitur; nulloq. negotio deletur. Neque enim improba calliditas atque inuſtitia, eum, qui illius eſt cupidus, ſeruabit. Sed neque Iobus Deo amicus, propter Dei patientiam patitur ullo modo nequitiam eſſe uirtute ſuperiorem: immo uero impiorum ſortem diris execrationibus peruellit; iiſq. male precans, ſigillatim, quæ illis euenient, exponit.

Maledicta ſit pars eorum ſuper terram; appareant autem plantæ eorum aridæ ſuper terram.

Id, quod ait, eſt eiuſmodi. Quandoquidem alienos agros demeſſuerunt; atque illorum uineas alij, nulla accepta mercede, excoluerunt; ne ſuis ipſi illi potiantur bonis, uerum illorum ſegetes, ac plantæ priuatę fructu penitus exareſcant; &, quę Cainum inuaſit, eadem iſtos complectatur execratio. Huiuſmodi enim illa. *Maledicta terra in operibus tuis*, quę agriculturę ſudores, atque labores frugum copia nequaquam remunerabitur. Gen. c 3.

1 Ambro. ulnam pupillorum.

1 *Faſciculum pupillorum rapuerunt.*

Meſſores ſæpenumero comitantur pupilli, ac decidentes ſpicas colligunt, & in faſciculos illigant. Hoc igitur dicit, eo quorundam progreſſam eſſe immanitatem, ut etiam exiguam pupillorum partem, egeſtatis cauſſa collectam, ab ijs eripiant.

Deinde ad memoriam redijt peccatum eius: ſicut autem nebula roris non apparens factus eſt; reddantur autem ei, quæ fecit.

Ideſt, impiorum flagitia ſcriptis ad memoriam conſignata ſunt. Quocirca ſupplicium in eos decretum eſt, quod uitari non poterit: etiamſi interim Deus, quæ eius eſt clementia, animaduerſionem, pœnamq. retardet. Vt enim caligo e rore nata, Solis radijs erumpẽtibus, atque aëra calfacientibus, euaneſcit, calore humorem exhauriente, uaporemq. abſumente; ſic, diuina ultione pœnaq. adoriente, conſumitur impius ac profligatur, amaris improborum facinorum prẽmijs acceptis. Tale quidpiam de impio Dauid canit. *Quæretur*, inquit, *peccatum eius, & non inuenietur:* quia uidelicet exterminabitur. Pſ. 9.

Contritus eſt omnis iniuſtus, quaſi lignum inſanabile.

Inſanabile lignum dicit, quod, ubi conciſum fuerit, nullam curationem admittit, ut ſanari poſsit; ſed inutile eſt in poſterum. Hac ergo ratione is, qui perſiſtit in ſcelere, comminuetur, atque cõfringetur. Verumenim quando dicit, Reddatur ei, & conteratur, Non execrationi Iuſtus addicit; ſed id, quod euenit, enũciat. Vnuſquiſque enim recipiet, prout geſsit.

Sterili non benefecit, & mulierculæ non eſt miſertus; furore autem ſubuertit impotentes.

Sterilis

Sterilis,ac mulierculę mentionem fecit, ut,quibus tribuenda ſit miſericordia,declararet. Sterilis quidem,quia, cum non ſuſceperit liberos,omni eſt nudata auxilio; mulierculę autem, quia ob naturæ imbecillitatem indiget opis: nam fęminæ infirma eſt,ac deſpecta condicio. Eodem addidit maius malum, infirmorum, inquam, a furore animi profectam perniciem: neque enim propter probabilem quampiam cauſſam,ſed ferino impetu bacchantis animi imbecilles impius euertit, eoſq. in ſummas difficultates, ſummamq. egeſtatem conijcit.

Proinde conſurgens non credat contra vitam ſuam.

Conſcientię æſtum,quo flagitioſus abſorbetur, narrat aperte. Illum,inquit,ſic ſua damnat conſcientia, tamquam ſingulis diebus moriturum: quotidie enim,cum ſurgit,de uita ſua actum putat,ac metu uſque perturbatur,qui eum reſpirare non ſinit; nihil eſt enim aliud metus,quàm auxiliorum,quę a ratione petuntur, proditio.

Infirmatus autem non ſperet ſanari; ſed cadet morbo; multos enim afflixit exaltatio ipſius.

Tametſi, facinoroſus,inquit, e morbo recreatur; ea tamen res illi incredibilis,ac mirabilis accidit,ſic prorſus; ut morti ob ſua facinora præſtoletur. Sin in morbum inciderit, deſperatione frangitur; nec quidquam boni exſpectat; uerum ſua conſcientia excruciatus,moriendum ſibi credit omnino. Cur autem animo ſic affectus ſit,& ſic opinetur,illud facit; quòd is, dum ampla dignitate fuit; dum gloria, dominationeq. viguit,ad aliorum uexationem, & malum poteſtatem conuertit.

Emarcuit ſicut malua in æſtu, aut ſicut ſpica, quæ de culmo ſua ſponte cecidit.

Emarcuit,pro Marceſcet,dictum eſt. In alijs codicibus pro,*Malua*, eſt,*Sicut herba*, vt illi reſpondeat. *Sicut olera herbarum cito de-*
Pſ.36 *cident*. Contabeſcit autem ſpica, ubi a ferente & ſuſtinente illam culmo fuerit excuſſa; nec ex ea humorem amplius, adipemq., quibus nutriebatur,haurire potuerit. Interit etiam impius,cum ab ea,qua is irrigabatur, uirebatq. felicitate; deciderit: Rectiſsimeq. dictum eſt,*Sua ſponte cecidit*: vnuſquiſque enim ſuum,ac proprium peccatum habet ultorem.

Sin non, quis eſt, qui loquitur me falſa dicere? & ponet in nihilum verba mea?

Hæc

Hæc inquit, mihi eſt de impijs atque de iniuſtis hominibus ſententia, ſic de iuſta Dei remuneratione ſentio. Quòd ſi hæc a me falſo dicta ſunt, ſi a vero aberro; prodeat, qui uoluerit, meamq. orationem coarguat, & irritam faciat. Et uero ex ijs, quæ adhuc diſputata ſunt, colligit, inſolenter feciſſe amicos, qui illũ ex ſuis ærumnis condemnarint, nec reliqua eius facta perpenderint.

PROTHEORIA CAP. DECIMIOCTAVI.

QVEMADMODVM Eliphazus in ijs, quæ ab Iobo in vtramque partem diſſerentium more diſputata fuerant, haſitans haud recti certaminis lege conflixit, verum ad Iuſti calumnias, criminationesq́. orationem deflexit; ita nunc Baldadus, cum, quemadmodum Iobum refellat, rationem nullã reperiat, defenſionem alio deriuat. Nam Iobum tamquam nefarium hominem, & aduerſum Deum inſolenter ſeſe efferentẽ, ac de ſua pietate magnopere gloriantem, calumniis inſectatur. Ac mirifice de Deo interim philoſophatur, humana natura contempta, atque deſpecta; nihilq́. docet eſſe earum rerum, quarum puritas eſt maxima, quod cum Dei puritate ſi contendatur, puritatem illud ipſum tueatur.

CAPVT XXV. *Suſcipiens autem Baldad Sauchites ait. Quid enim exordium quàm timor ab eo?*

CHRYSOST.

HINC, inquit, orationis ducam exordium, atque procemium. Terroris, ac tremoris plena ſunt omnia; nemoq. eſt, qui e manu illa poſsit elabi. Ad illud enim quod dixerat Iobus; Quis nouerit, quòd proficiſcar ad eum? Baldadus reſpondet, uel Dei mentionem tacere eſſe cum primis formidoloſum. OLYMP. Ac fortaſſe tale aliquid innuit. Quandoquidem, inquit, tuam erga Deum religionem arroganter iactas, diſce, uniuerſæ uirtutis initiũ diuinum eſſe timorem. Tu vero nil trepidans diſſeris. Qua igitur ratione e reliquis partibus pietatis is ſibi gloriam adſciſcit, qui pietatis

tatis is ſibi gloriam adſciſcit, qui pietatis initium, minime eſt aſſecutus? a Iam uero & illud attende, non hoc dixiſſe. Timor eius, ſed, *Timor ab eo.* Namque timor eius opus eſt noſtrum, a noſtro libero profectus arbitrio; timor autem, qui eſt ab eo, gratia & donum eius eſt; quibus id, quod nobis deeſt, ſuppletur.

a Iam uero & illud attende &c. e Methodij expoſitione in ſuam tranſtulit Olympiod. patet ex Cat. Pinelli.

Qui facit uniuerſam in altiſsimo.

Olymp. Hoc eſt, arcano, cum nemine ratione conſilij communicata. Putatq. ſe Iobo terrorẽ inferre, cum Dei, uim, poteſtatemq. narrat. Dicit igitur Deum cunctis rebus præſidentem, altiſsima tenentem, omnia fabricatum eſſe: aut, *In altiſsimo*, ideſt, in Filio, per quem facta ſunt omnia.

Neque enim quis exiſtimet, quòd dilatio ſit piratis.

Olymp. Piratæ proprie ſunt, qui mare idcirco nauigant, ut iniuria, ac præda obſint ceteris. Ergo id uniuerſe dicit. Nemini hoc in mentem ueniat; Deum aut ad extremum, aut adeo ad multum ſpatium ſupplicia iniquorum hominum prorogaturum: immo uero inſidiantium more illos adorietur; diuinæq. animaduerſionis uitandæ omnis eſt impijs erepta poteſtas. Quocirca addit.

In quos non uenient inſidiæ ab eo?

Symmachus, pro illo, *Non eſt dilatio piratis*, dixit, Non eſt numerus exercituum eius; & pro illo, *Inſidiatio ab eo*, b Iuſſa interpretatus eſt. Id quod ad uim diuinæ poteſtatis, atque imperij declarandam ualet. Ac ſi diceret, Innumerabiles habet exercitus, qui ſibi operam nauant; qui mandata ab illo accipiunt; atque ad impios vlciſcendos mittuntur.

b ἐπιτάγματα, quæ vox & iuſſum & cohortem ſignificat: ſed dubitandum non eſt, alterã tantum notionem in hunc locum conuenire.

A *Quomodo enim iuſtus erit mortalis coram Domino? aut quis mundabit ſeipſum, natus de muliere?*

Olymp. Symmachus. Quo pacto ſine ſorde erit procreatus de muliere? ſi hominum, inquit, iudicio multi habentur iuſti; tamen Dei oculo cuncta contuenti nemo eſt iuſtus; nemo dicere queat, Purus ſum: nec enim fieri poteſt, ut omnem prolapſionem uitemus; ſiquidem cogitationum, uerborum, & factorũ rationes a nobis Deus repoſcet; quem omnia cernentem latere non poſſumus. Chrysost. Quoniam dixerat Iobus, Vellem in iudicium uenire; necnon illud dixerat. Etiamſi non peccauerim, nihilominus puniar, ideo ad hoc Baldadus reſpondet: prorſus ex hominibus nullum eſſe purum; ut iam fruſtra iudicium, & tuarum rerum diſquiſitionem poſtules.

B *Si lunæ præcipit, & non lucet; aſtra autem non ſunt*
C *munda coram eo; deſine tandem, homo putredo, & filius hominis vermis.*

a Hæc ait etc. ſumpſit ab Iuliano, declarat Cat. Pinelli.

a Hæc ait, non quo naturam noſtram floccifaciat: ſed ut Deum efferat, illiusq. poteſtatem oſtendat. Si enim, inquit, lunam iubet non ſplendeſcere: & aſtra, ſi cum Dei puritate comparentur, pura minime ſunt, quamuis lucis claritate ſint prædita, neque hoc ijs accidit ob uitæ rationem, ſed ob effectoris dignitatem: ſi nihil, quod a Deo effectum ſit, puritatem ſuam glorioſe poteſt oſtentare; quanto minus poterit homo, qui a putredine, ac vermibus nihil differt omnino? Si enim lumen aſtrorum, quod quidem hoc noſtrate, & quod carbonibus alitur, purius eſt; ad Dei puritatem purum tamen non eſt, plane de Deo cogitare ſuperuacaneum eſt. Homo enim putredo eſt, ac vermis in putredine uolutatus: *Incumbit enim cogitatio hominis ab adoleſcentia diligenter ad mala.* Hæc uero Baldadus ideo attulit; ut uberiorem orationi ſuæ probationem adhiberet, Iobumq. percelleret, in ſua puritate gloriantem. *Geneſ. ca. 6. apud* 70.

ADDITIONES IN CAP. XXV.

A *Quomodo enim erit iuſtus homo coram Domino?*

METHODII. Dei cauſſam tuetur: rationemq. reddit, cur eius permiſſu prædones nobis immineant: quia inquit homo iuſtus eſſe nequit, niſi propoſitus ſit ei aduerſarius.

B *Si lunæ præcipit, & non lucet. Aſtra autem non ſunt munda coram eo: deſine tandem homo putredo, & filius hominis vermis.*

IVLIANI. Hæc loquitur, non quo noſtram naturam deſpiciat: verum, ut Deum efferat: quia ſi cum eo ipſi conferamur, putredo, & uermis ſumus unius diei, ac perexigui temporis.

C *Filius hominis vermis.*

METHODIVS Sida. ad CHRISTVM id refertur, cum is dicat. *Ego ſum vermis, & non homo.* Vermis non propter uitium ullum, ſed humilitatem. Vel etiam quia uermis non ex coitu, ſed ex ea materia, quæ ſit longe alia ratione parata, naſcitur. *Pſ. 21.*

PRO-

PROTHEORIA CAP. DECIMINONI.

POSTQVAM Baldadus Dei ipſius quaſi quidam patronus, de ſapientia, ac poteſtate Dei diſputationem pertexuit; Beatus nunc Iobus ſermoni occurrit, ac dicit. Quid, vt Dei patrocinium tueare, ipſe laboras? perinde quaſi ad ſuæ ſapientiæ, poteſtatisq́; ſignificationem vlla opus ſit ei confirmatione verborum. Atque vt doceat ſe magnificentius, ac rectius, quàm illos ſentire de Deo, vberiorem de Dei ſapientia orationem exponit; illiusq́; vim incomprehenſam honorifice prædicat. Necnon de Vnigenito vaticinium fundit; ac diaboli internecionem prædicit. Hoc vſus proœmio, negat fieri poſſe, vt, dum ei vita ſuperarit, impia loquatur de Deo: atque id ipſum, quod promittit, iureiurando confirmat. Adhæc, incorruptæ conſcientiæ fiducia recreatus, negat vllius ſe turpis facinoris conſcientia ſtimulari, impios autem diuina animaduerſione fore comprimendos. Ac rurſus de diuina ſapientia, quæ tum in eius operibus elucet, tum in naturis intelligentia præditis ſparſa eſt, inſtituit orationem, nec quidquam adeo honore dignum eſſe confirmat, vt ſapere. Vbi vero de ſapientia conceſſa diuinitus multis diſſeruit; nec quidquam cum illa conferri poſſe docuit, illud quoque ait, ad ſapientiæ ſplendorem, & gloriam pertinere, quòd diſpertita ſit omnibus, quamuis illius rationes, ac viæ reperiri non poſſint. Itemq́; præclariſsimam tradit diſciplinam: illud eſſe homini ad ſapientiam adipiſcendam ſatis, ſi non ea, quæ inueſtigari nequeunt, diſquirat; ſed, ſi pietatis, religionisq́; muneribus defungatur; atque ab omni improbitatis genere declinet. Atque hanc ipſam veram ſapientiæ & ſcientiæ perceptionem eſſe confirmat. Quæ quidem Iobus ob eam rem eſt perſecutus, tum vt rectam ſuam de Deo opinionem teſtaretur; tum vt amicis fidem faceret, non ob peccata ſe plane multari, ſed omnis eius rei rationem eſſe Dei abditis, & quæ indagari non poſſunt, iudicijs permittendam.

Suſcipiens

CAPVT XXVI.

Suſcipiens autem Iob ait, 1 *Cui ades? vel quem adiuturus es? an non cui multum eſt robur? & cui brachium robuſtum eſt? cui dediſti conſilium? an non cui omnis eſt ſapientia? aut quem ſequeris? an non cui maxima eſt poteſtas? cui nunciaſti verba? Spiritus autem egrediens de te, cuius eſt?* A

1 Amb. cui appoſitus es? Ita & Auguſt. græce eſt, τίνι προσκεῖσαι.

OLYMPIODORI.

CVINAM, inquit, poteſtatem tuam defers? & quē tibi apud eum locum uendicas? aut cui opitulari ſtudes, quaſi tuæ opis indigenti? Apage o homo. Scimus uidelicet omnes Deum & nulla re egere, & poteſtate ſumma pollere, necnon ſapientiā omnem comprehenſam habere. Quid igitur, attinebat te, quaſi Deo conſilia dantem, uerba pro illo facere? Cui dediſti conſilium? Vtrum illum ipſum docere potes inſcientem, quem ſequi conaris, tamquam opem ei quampiam laturus? an non eum, qui uim omnem, ac robur complexus eſt? In quonam ſapientiam tuam oſtentaſti, ac tam multa uerba effudiſti? Itane uero ignoratum tibi eſt, ipſum loqui ac ſpirare a Deo tibi tribui? Etenim aër, & ſpiritus eſt reſpirationis, ac uocis cauſſa: & a quidem, cum loqui uolumus, aër ipſe percuſſus uox efficitur. Ergo docta conſecutione uſus eſt Iobus, dū ad Baldadum dicit. Ei, qui ſpiritum tibi, atque animam impertitus eſt, mutuam orationem tribuiſti: quando ad eū patrocinij & auxilij cauſſa acceſsiſti. CHRYS. Neque uero hoc ego tibi crimini do, quòd Dei tibi ſint partes ſuſceptæ; ſic enim fieri prorſus oportebat: ſed tamen cur me condemnares, nihil erat. Nam eodem tēpore fieri poteſt, ut & pro Deo quis dicat, & nihilominus non ſit alter culpæ obnoxius. Quæ poſtquam dixit, in hominem uidelicet, qui nouum ſe Dei patronum uideri uoluit, illius inquam patronum, de quo hæc eſt omnium exiſtimatio, eū poteſtate ac ſapientia præditum eſſe. Ad Dei poteſtatem dehinc orationem conuertit, docetq. præſtantius ſe, quàm illos, ſentire de Deo, dicitq.

a *Vide Ariſt. in 2. de anima text. 89. ubi uocem definit.*

Numquid gigantes 2 *obſtetricabuntur ſub aquis, & vicinis eius?*

2 Ambr. nutrientur ſub aqua.

OLYMP. Symmachus autem, * Dei hoſtes, & ijs propinqui. Eius

* θεόμαχοι.

Eius uero,quæ dicitur rei, hæc eſt ſententia. Olim Deus, cum eluuie corruptam iam terram deleret, homines illos,qui dicti ſunt gigantes,cum ipſo eodem Deo pugnantes demerſit, atque depreſsit: Dicit igitur,haud fore aliquãdo ut gigantes illi,illorumue propinqui,ideſt, quorum ſimilis eſt improbitas,quandoquidẽ deleti ſunt, nutricis, obſtetricíſue opera curari iterum poſsint, ac ſua ui rurſus exiſtere. Num eos quid robur adiuuit, quando cum Dei poteſtate,atque conſilio,quod expugnari nulla ratione poteſt,confligebãt? Et uero illi nec ſeipſos,nec quemuis alium demortuũ poſſunt educere, & ad uitam reuocare. Id unius eſt Dei,imperio mortuos iterum ad uitam uocare,& excitare.

Nudus Infernus coram eo, & non eſt amicus Perditioni.

Olymp. Iubet tantummodo Deus, & continuo mortuos Infernus eructat; nec quidquam eorum,quæ pereunt,illi tectum poteſt eſſe, illius inuicta potentia cuncta in medium proferente. Hęc Iobus de Vnigeniti incarnatione uaticinatus eſt; ſiquidem coram eo tenebricoſus,& ſplendore carens Infernus nudus eſt; & quæ illi propinqua eſt Perditio,hoc eſt,Mors,abdita in occulto; latere nõ poteſt. Ille ſcilicet factus homo,& Infernum prędatus eſt;&,qui illic incluſi erant,uirtute ſua eduxit;cum iis,qui erant in uinclis, di-
Iſaiæ. ceret. *Egredimini; & iis,qui erant in tenebris, Retegimini*; nec uelũ
c.49. ullum diuino imperio officere potuit; uerum,nulla interiecta mo-
Prou. ra,retecti ſunt. Dictum item eſt in Prouerbijs. *Infernus & Perditio*
c.15. *manifeſta apud Dominum:* nec enim locus,in quo uerſabantur ani-
apud mæ,quæ illius aduentui anteceſſerunt,conditus illi ipſi eſſe potuit,
70. neque eius obtutum effugere illi, qui corruptione, ac morte interiſſe funditus uidebantur. Quin in regionem illam infernam deſcendit, &,quæ a temporis principatu illic perpetuis uinclis tenebantur conſtrictæ,animas expediuit.

Extendens Boream ſuper nihilum.

Aquila autem. [1] In inani. Mihi uidetur Boream hoc loco ipſum aëreum ſpiritum, hoc eſt aërem, nihilum autem ipſum inane nuncupaſſe. Effudit igitur, inquit,aëra ſupra nihilum, hoc eſt, ſupra inane. [a] Aër enim uacui repletio: Vacuum autem eſt interuallũ a cœlo ad terram pertinens aëre completum. Boream autem dumtaxat meminit,ut reliquos uentos ab hoc uno ſignificaret;ſicut alibi,cum Heſperum & Arcturũ appellauit, cetera aſtra indicauit; atque alibi pulli coruorum pro uolucri natura ponuntur.

[1] ἐπὶ κενώματι.

[a] *Quæ de Vacuo hic ab Olympiodoro dicuntur, quãuis philoſophos nonnullos veteres habeãt fautores,ſunt tamen ab Ariſtotelis ſententia quam remotiſsima:qui in 4. Phyſico ſubtilibus ratiocinationibus hæc ipſa confutat.*

Suſpen-

Suſpendens terram ſuper nihilum.

Gregor. Theolog. Quid de uentis, inquit, attinet dicere? quandoquidem terram uniuerſam ea, quæ cerni non poteſt, vi cótinet, nullo firmamento ſubnixam. Qua tandem ratione ſtabilis, ac firma perſeuerat? quid illud eſt, quod eam ſuſtinet? & quid illud item ſuſtentet, ac firmet? ſane nihil ratio reperit, ubi inſiſtat, niſi Dei uoluntatem, quæ illam ſuſpendit atque firmauit: nec quidquam eſt aliud, quo terra teneatur, ac fulciatur.

Ligans aquam in nubibus ſuis, & non eſt rupta nubes ab eo.

Olympiod. Quæ conſuetudinis vitio ipſi nec ſcrutati aliquádo, nec admirati ſumus, hæc in magnam traducunt Iobum admirationem. Vt quænam uentorum ſit ſedes, ubinam terra conſidat, quoue nitatur; qua ratione nubibus aqua contineatur, quibus niſi mandet Deus, in terras imbrem haudquaquam demittunt; quando vero demittunt; ex præſcripta lege, menſuræq. ratione demittunt. Illud uero admirabilitatem haud mediocrem facit, quòd, cum aëris maxima ſit raritas, atque a flatibus diſcindatur, aquarum fert tamen pondus; impulſuq. ventorum imbrem non effundit: quòd ſi effundit, id nec conferte, nec uno impetu, ſed æquabiliter facit: nec enim rupta eſt nubes ab eo, quod eſt ſub ea; nimirum ab aqua. Néphæc Sanctus ſuſpicit, ob has res de effectore glorioſe prædicat: quòd is cœlum circumduxit, quòd aërem explicauit; quòd terram ſuppoſuit; quòd humidam naturam fudit atque collegit; quòd ventos dimiſit, & non immiſit: quòd in nubibus aquam illigauit, & non cohibuit: ſed ordine, & quadam æquabilitatis ratione ſpargit in terras. Ergo, cum dixit, *Extendens Boream ſupra nihilum*, aërem quaſi nutu notauit, id omne ſpatium, quod inter terram, cœlumq. interiectum eſt, complectentem. Item cum dixit, *Suſpendens terram ſuper nihilum*, admirabile Dei opificium declarauit; cum nec intelligentia, nec verbis aſſequi poſſit, quænam ſit ea baſis, qua ingens hoc elementum nitatur. Poſteaquam autem animum in rebus hiſce peruoluit, rurſus a terra ad aërem aſſilit; addubitatq. quo pacto in nubibus aqua conſtricta obductaq. teneatur; cuius quidé pars (ô rem admiratione perquám dignam;) ſubſiſtit in nubibus, & a verbo fluxa natura coërcetur: pars vero in terram effunditur uniuerſam, atque in ea opportune, & æquabiliter diſſeminatur.

Qui

Qui tenet faciem throni: qui expandit ſuper illum nubem ſuam.

OLYMPIOD. Thronum Dei multifariam diuina ſcriptura cęlum nominat: cœli vero facies,ac vultus eſt aër. Dicit igitur,Cum aërem contineat,& nubibus illum obducat,pluuiam defluere non ſinit,niſi ea ratione,quam is conducere cumprimis intellexerit.Ad terram deinde delabitur,& ait;

Præceptum circumdedit ſuper faciem aquæ.

GREGOR.THEOLOGI. Symmachus autem, Terminum circũſcripſit. Maris tum magnitudinem, tum tranquillitatem, tũ utriuſque rei uim admiratur: quanam ratione ſolutum finibus ſuis nũquam excedat; quid illud contineat; quidnam deuinctum teneat; quemadmodum turgeſcat,atque reſideat,perinde quaſi finitimam terram vereatur; quemadmodum cunctos excipiat fluuios, & uis nihilominus aquæ ſit eadem. Equidem quemadmodum terminus ſit arena huic tanto elemento,aut ipſe ignoro omnino; (quamuis phyſici, & ſapientes inania quædam dicere habeant,qui, cum hæc ipſa credũt ſe habere cogitatione percepta, reuera mare ipſum cyatho metiuntur) aut, ſi mihi paucis ſit e ſacris ſcriptis philoſophandum, & id, quod longis diſputationibus probabilius,ac verius eſt explicandum,naturæ humidæ hoc vnum vinculũ eſſe affirmarim;

Terminum circundedit ſuper faciem aquæ.

OLYMP. Vetus illud præceptum, quod undique complexum eſt aquas,atque eas quaſi fręno coercet,facit,vt eæ regiones ſuas trãſilire, & obruere terras ne poſsint: placetq. diuinæ prouidentiæ, quamdiu hæc rerum ſtabit uniuerſitas, illud ipſum ſtare præceptum. Quocirca addit.

Vſque ad conſummationem lucis cum tenebris.

Hoc iuſſum uigebit diuinum, dum dies, & nox curſum uiciſſitudinemq. conficient.

Columnæ cœli expanſæ ſunt.

Aquila, Motæ ſunt.

Et [1] *obſtupuerunt ab increpatione eius.*

Symmachus autem, Pauent. Ipſa, inquit, cœli firmamenta, ac prope baſes & fundamenta horrent, & contremiſcunt, cum is imperarit, qui cęlum ſtrauit & expandit, extendens ſicut pellẽ. Tremor autem hic, & commotio, quo tempore futura eſt conſummatio,

[1] Ambr. diſsiluerunt.

ſummatio, accidet. *Sicut enim amictum*, inquit, *conuolues eos*, *Pſal.*
& mutabuntur. 101.

Fortitudine ſedauit mare: ſcientia autem ſtrauit cetum.

OLYMP. Symmachus autē dixit, Arrogantiā comprimit. Quādo in ſermonem de mari incidit,, diuinæ poteſtatis luculentiſsimum, certiſsimumq. adfert argumentum; quòd humidam naturam prope furentem, & ad montium uerticem tollentem fluctus, ac ſeſe cum montibus æquantem, comprimit, ac ſedat. In eademq. ponit admiratione, cetos maximos ſtrauiſſe, ſuoq. imperio ſubegiſſe. Hoc ipſum Dauid fecit, cum dixit, *Hoc mare magnum & ſpatioſum*. *Pſal.*
Ceti quoque meminit, cum attexuit, *Draco iſte, quem formaſti, ad* 103.
illudendum ei. Verumenimuero illud ad ſublimiorem ſententiam pertinet, quòd ſalſum infidelitatis & peccati mare unigenitus ui ſua placauit; & cetum, hoceſt, Diabolum fidelium pedibus obterendum conſtrauit.

Clauſtra autem cœli metuunt eum.

Obſcuriore metaphora ac tropo uſus, aëra nominauit. Hunc enim adducit, ac rurſus diducit, atque ſuo arbitratu claudit, & aperit Deus. Illud autem ſublimius. Portis cęleſtibus præpoſitæ poteſtates, quibus dictum eſt. *Attollite portas*, cum Deum carne *Pſ. 23*
indutum redeuntem cernerent, cohorruerunt.

Imperio autem interficit draconem apoſtatam.

Symmachus autem, Serpentem concludentem. Et Antichri- *Theſ.*
ſtum quidem interficit uerbo oris ſui, ut eſt apud Apoſtolum. Ipſā *2. c. 2.*
quoque antiquam, & flagitioſam, & cum Deo bellum gerentem *Apoc.*
belluam, quæ & ipſa a Deo defecit, & eos, qui ſibi obtemperant, *c. 19.*
concludit interitu, parato igne cremandos.

Ecce hæ partes uiæ eius, & ſuper ſtillam ſermonis audiemus in eo: robur autem tonitrus eius, quis nouit, quando faciet?

Pro quibus Symmachus, Quid autem murmur ſermonum eius audiemus, quando tonitrum dominationis eius nullus cogitabit? Hæc autem eſt ſententia. Videlicet ob ea, quæ diximus, ſumus admiratione obſtupefacti; qua, inquam, ratione per inane uēti ferantur; quemadmodum nihilo terra firmata nitatur; quemadmodum aqua teneatur in nubibus; quemadmodum expanſæ ſint

in

in aëre nubes; quemadmodum, cum furit mare, litoris arenam non tranſgreditur; qua demum ratione conſtent alia, quæ diximus. Atqui iſthæc omnia pars eſt eorum, quę Deus efficit, perexigua. Harumq. rerum diſputationis tenuiculam quamdam guttam percepimus, & partem perpuſillam ſapientiæ, poteſtatisq. Dei, qua is uniuerſum luſtrans & permeans moderatur, ſumus executi. Et nimirum ea, quę numerando percenſuimus, perparuæ ſtillę inſtar obtinent. Quandoquidem fieri non poteſt, ut ſapientię eius flumen omne ¹ creata natura excipiat. Nam, ut cetera taceam, quis eum, qui per aëra, & nubes fertur, tonitrus ſonitũ, aut interpretando, aut, quemadmodum oriatur, explicandis rationibus, aſſequi poſsit? Nimirum tu, qui tonas in terris, & qui ſcintillis ueritatis luces exiguis, qui tandem de fulguribus ac tonitruis mihi philoſophabere? In uapores quoſdam ſublatos a terra, e quibus gignitur nubes, aut in aëris compreſsionem quamdam, cum id, quod nubis maxime rarum eſt, alliditur, atque perfringitur, cauſſam conferes; ut iam tibi ipſa colliſio & attritio fulgur; fractio autem, atque diſciſsio tonitrum edat. Sed cuiuſmodi eſt tandem ille ſpiritus, qui coanguſtatus, nec exitum reperiens, cum illiditur, fulgur; cum perrumpitur, tonitrum creat? Ego quidem ex Symmachi interpretatione commentando, hoc conſequor. Si tonitrui ſonitum, qui improuiſo auribus incidit, ferre non poſſumus, ſed a nobis ipſi diſcedimus; quonam pacto loquentem Deum feramus; quamuis ipſe, non elata & magnifica oratione, ſed murmure uocis dumtaxat utatur? Vel ſic. Si rationem, quemadmodũ tonitruum exiſtat, cogitare non poſſumus, quid de uijs eius, & Prouidentiæ conſilijs dicendum erit? ſiquidem ea, quæ modo diximus, perexigua quædam ſtilla, & gutta ſunt, quam ipſi ab illo ubere, qui numquam exhauriri poteſt, fonte hauſimus.

¹ In exemplari habetur γεννήτην παραδέξασθαι ἀμήχανον. excogitandum, num legendum γενέτην.

ADDITIO IN CAP. XXVI.

A *Cui ades? aut cui es opitulaturus.*

IVLIANI.

HINC perſpici poteſt, non ad id, quod cauſſæ ęquitas poſcebat, ſed ad Dei tantum poteſtatem, Baldadum ſtudium ſuum animumq. conuertiſſe.

CAPVT XXVII.

Adhuc autem adijciens Iob dixit proœmio.

ORIGENIS.

DIABOLVS, poteſtate accepta, dies, ac noctes Iobum excruciauit, primum ijs, quæ erant extra, adhibitis inſtrumentis; deinde corpore ſauciato, tum amicis inſtructis. Nam, poſtquam illum uxore pertentauit, necea re ſuperatum Iobum eſſe animaduertit; tres amicos, non tres inimicos adduxit; non ad inſidioſa dogmata inſtitutos, ſed ueros ſermones, quamquam nec recte, nec opportune illos uſurpantes. Idq. per eos moliebatur, ut aliquid Iuſtus aduerſum Prouidentiam loqueretur, dolorumq. uictus magnitudine, animum impietate imbueret; illumq. cruciamentis laceſſeret. Verum ſolidus hic, ac firmus adamas poſt trium amicorum ſermones, uide quid dicat; poſteaquã, inquam, iam ternas Eliphazus, ternas item Baldadus, binas autem Sopharus diſputationes pertexuerat. OLYMP. Hiſce ad exitum adductis, cum is pauca reſpondiſſet: propterea quod paucis etiam Baldadus diſſeruerat; cum ex amicis nullus eius obſiſteret orationi; ad ſuperiorem orationem noua quædam & ea, quæ conſequuntur, attexit. Quæ vero dicta ſunt adhuc, ſunt quoddam uelut proœmium conſequentis orationis. Verum Aquila ſic interpretatus eſt. Et adiecit Iob ſumere parabolam ſuam. Parabolam autem Scriptura dixit, • non id ſolum, quod a familiaris ſermonis ſimilitudine remotum eſt, ſed quemuis etiam ſapientem ſermonem: hanc notionem ſecuta, de Baldado dixit. Aſſumens autem parabolam dixit: & Dauid. *Aperiam in parabolis os meum*: quos conſtat non ſermonis ſimilitudines, & collationes, ſed ſapientes fuiſſe ſententias perſecutos. Verumenim, quid Iobus reſpondeat, poſt dictum ab ipſo proœmium, attendamus; & ad verba animum intendamus. Pſ. 77

• Exemplar habet, ἢ κατ᾽ ὁμιλίαν λόγος. ueram lectionem hanc eſſe iudico, παραβολὴ δὲ εἴρηται παρὰ τῇ γραφῇ οὐ μόνον ἡ καθ᾽ ὁμοίωσιν λόγος.

Viuit Dominus, qui me ſic iudicauit.

Symmachus, Qui neglexit iudicium meum.

Et Omnipotens, qui amaram fecit animam meam; ſi, adhuc ſpiratione mea exiſtente, & ſpiritu eius diuino nares meas circumeunte, loquentur labia mea impia, aut anima mea meditabitur iniuſta.

Haud ſum, inquit, eius ignarus rei, quæ uos ad me prouocandũ adduxit.

adduxit. Per Deum uiuentem, qui de me iudicium iudicauit, iuro hæc me ob eas cauſſas tantum, quæ mihi prorſus ignotæ, illi vni cognitæ ſunt, perpeti. Illum, inquam, qui me his ærumnis obiecit, illum, qui me huiuſmodi cruciamentis afficiendum decreuit, iuro, dum me ſpiritus minime deieret, quoad anima exuperabo mea; dum ſpirabo; quamdiu Dei munere ſpiritum hauriam; quamuis cruciatus, ac pœnæ producantur; quamuis acerbiora ſint mihi perferenda, nihil tamen abſurdi, nihil dignitate Dei alienum me aduerſus ipſum Deum aut locuturum, aut animo cogitaturum; uerũ uſque ad extremum ſpiritum peccato repugnaturum. CHRYSOST. Illud enim; *Non meditabitur anima mea iniuſta*, hoc ualet. In eadem ſententia permanebo: nemo peruertere me unquam poterit, nemo dimouere, nemo a propoſito, ſuſceptoq. conſilio abducere. OLYMP. Nonnulli dixerunt Trinitatis hoc loco Iobum meminiſſe. Viuit, inquit, Dominus, & Omnipotens, & Spiritus diuinus. Nam quod alibi Septuaginta ad diuinum ſpiritum retulerunt, cum interpretati ſunt. *Inſuflauit Deus in faciem hominis inſpirationem vitæ*: reliqui interpretes ſic prorſus extulerunt, Inſufflauit in nares eius ſpirationem uitæ. Ergo hoc item loco, illud, quoad ſpiratio erit, ſeu flatus in naribus meis, pro reſpiratione ſumendum eſt. Illud autem; *Spiritu diuino circumeunte nares meas*, Spiritui-Sancto tribuendum eſt. Tametſi Methodius ſpiritum diuinum, qui a Deo eſt cunctis conceſſus hominibus, de quo Salomon, *Incorruptus tuus ſpiritus eſt in omnibus*; conſcientiam eſſe confirmat, quæ quidem ipſa peccantem animum condemnat.

Gen.c. 2.

Sap.c. 12.

Ne ſit mihi iuſtos vos pronunciare, quoad viuam.

CHRYSOST. Haud meipſum accuſabo, minime de ſententia decedam; ſi ſexcenta adferatis, in eodem decreto tamen perſiſtam. OLYMP. Abſit, vt mea ſolius cauſſa turpiter metuentis, & verecundantis, verum ipſi adulteretis, meque iure a uobis condemnari dicatis. Etenim, ſi ueſtro ſermoni aſſenſus fuero, cum ob ſcelera hæc me ſuſtinere cogitetis, nimirum iuſtos uos eſſe pronunciarem.

Non enim deſeram innocentiam meam.

Symmachus autem: Non diſcedam de ſimplicitate mea. Porro autem deſererem, atque proderem, ſi alia loquerer, atque ſentiré.

Iuſtitiam autem attendens, non prodam.

Id, quod ait, tale quidpiam eſt. Qui in alios iacit, immutitq. iniurias, ea, qua utor ipſe in dicendo, caret loquendi libertate; habet

is linguam adſtrictam : id quod mihi minime accidit, qui peræq. dicam, ac contradicam.

A *Non enim conſcius ſum mihi ipſi abſurda feciſſe.*

ORIGENIS. Hoc ipſum deinde Paulus etiam in ſermone uſurpauit, eodemq. addidit. *Sed non in hoc iuſtificatus ſum.* Mirifica Iuſti fiducia, qua non modo eius uita ſuperior, ſed ærumnoſi etiam temporis condicio nitebatur: ut dicere non dubitauerit. *Nihil mihi conſcius ſum.* 1. Cor. c. 4.

Verumtamen ſint inimici mei, ſicut ſubuerſio impiorum; & inſurgentes in me, ſicut perditio iniquorum.

CHRYS. Pereant, inquit, inimici mei: quandoquidem me calumniantur. OLYMP. Vel etiam ſic. Prorſus nullius rei præter decorum geſtæ mihi ſum ipſe conſcius. Quæ autem uos in me per impietatem condemnatis, in meorum inimicorum capita retorqueantur. Etenim, qui talem uirum criminantur, petulanterq. laceſſunt, plane ſint impij; atque illa ipſa, qua genus omne impiorum hominum, damnatione obligentur.

Etenim, quæ ſpes eſt impio, quia ſuſtinet?

Ceteri uero, Quia auare rapit.

Confidens in Domino, nunquid ſaluabitur? aut irruente in eum neceſſitate, num habet fiduciam coram eo? aut, cum inuocauerit ipſum, exaudiet eum?

Quamnam, inquit, ſpem impius habet, etiamſi interim ſuſtineat? qua fiducia mentis a Deo ſalutem exſpectet? cui ipſe ſpe, & animo incubo? Qua ratione, cum in neceſſaria, ac dubia is tempora inciderit, fidēter Deum implorarit, perinde quaſi illi ſit in precibus aſfuturus? Hæc, inquit, melius mihi ſunt, quàm uobis ipſis nota.

Iam uero annunciabo uobis, quid eſt in manu Domini: quæ ſunt apud Omnipotentem, non mentiar.

OLYMP. Ego, inquit, quid de Deo exiſtimem, apud uos dicam; & quæ Dei manus impijs infert, vere uobis aperiam.

Et quid diſpoſitio, aut quid opus illi. Ecce omnes ſcitis, quia uana uanis adijcitis. Hæc pars hominis
B *impij a Domino: Poſſeſsio autem potentum ueniet ab Omnipotente in eos.*

OLYM-

Olympiod. Theodotio autem & Symmachus. Et hereditas, quam inflexibiles a Sufficiente ſuſcipient. Vos, inquit, illud non ignoratis, ſtultus ſtultos ſermones a uobis cumulari, dum me impietatis accuſatis. Ego uiciſsim, quænam impij pars ſit, & quænam eorum, qui improbitate ualent, poſſeſsio, atque hereditas, & quid illis ipſis a Deo, in cuius poteſtate, ac nutu cuncta uertuntur, caſurum ſit, explico. Deinde impiorum manupretia narrat.

Si multi fuerint filij eius, in occiſione erunt: ſi facti fuerint viri, mendicabunt; reſidui autem eius morte morientur: viduas eorum nemo miſerabitur.

Quæ uериſimile eſt impijs euentura eſſe, ea numerat: & quidem nonnumquam accidit; vt eos uſque ad extremum uitæ diem comitetur felicitas, quemadmodum ante cum amicis addubitans docuit. Nunc uero necem eam dicit, quæ adfertur ab hoſtibus: mortem uero ſubitum, atque immaturum interitum: vt ſi diceret: Impiorum liberos haud honeſte diem ſuum obituros. Verum, prætérquã quòd ſtipem cogent, uiolentam, atque immaturam mortem occũbent; neque, idquod miſerabile eſt, peculium uiduitas miſericordiam ullam conſequẽtur.

Si congregauerit ſicut terram, argentum, & quaſi lutum præparauerit aurum, hæc omnia iuſti acquirent; pecunias autem eius veraces habebunt.

Olymp. Hoc item in Prouerbijs dictum eſt; impios iuſtis the-
Prou. zaurizare diuitias. Ita Hebræi Palæſtinæ prouinciæ opes, quas gen-
c. 13. tes fundauerant, & conſtituerant, propter earum ſcelera abſtule-
ex edi. runt. Quare hoc item loco Iobus confirmat, ſi inſtar terræ, ac lu-
70. ti diuitias impius cumularit, eſſe tamẽ ad innocentes, & frugi, atque ad eos, qui recte atque utiliter illis uſuri ſunt, transferendas. Fortaſſe enim illud, περιποιήσονται non tam ualet acquirent, & poſsidebunt, quàm ea, quæ decet, ratione, illis utentur.

Euaſit autem domus eius ſicut tineæ; & ſicut araneæ tela, quæ conſeruauit.

Olymp. Ideſt, ſeipſi conficiunt. Nam impietas, inſtar ueneni depaſcit impios, non ſecus quam tineæ lanas. Et quemadmodum arancarum telæ, nullo maiore negocio exterminantur, ac pereunt; ſic ea, quæ ab impio aſſectuantur, putridam, & diſſolubilem araneaꝛrum telam, quaſi ueneno, tineaque conſumpta imitantur.

Diues dormiet, & non adijciet.

Diues, inquit, qui uitam agit impiam, cum ſomnum ceperit, ſurget pauper, hoc ſcilicet ſignificat, eum, qui improbis artibus locupletatur, breui tempore bonis adeptis fruiturum. Cuius condicio haud eſt eius diſsimilis, qui ſecundum quietem refertus diuitijs, ſtatim atque diluxit, nihil habet in manibus.

Oculos ſuos aperuit, & non eſt.

Somnium, inquit, ſunt impiorum diuitiæ: ſicut enim pauperes nonnulli in ſomnis uiſi ſunt ſibi interdum menſa potiri inſtructa regifice; uerum ſomnus, ac fallax ſomnium uiſa illa excutere; experrecti enim, ſimul ut oculos aperuerunt, nil inuenere: ſic impij plane eſt condicio. Vt enim, qui ſecundum quietem beatus eſt, miſer tamen eſt; quandoquidem, ut oculos patefecit, eius ſummæ, quam coegerat, nihil cernit omnino; ſiquidem illa omnia dilapſa ſunt, & occiderunt: ſic perquam leues, atque fugaces ſunt diuitiarum illecebræ.

Obuiauerunt ei dolores, ſicut aqua.

Quæ illum undique complectuntur, & ſtrangulant, atque adeo ad præcordia dimanant. Symmachus autem pro, Doloribus, ἀνυπαρξία dixit. Hoc enim nomine τῶν ὑπαρχόντων, ideſt, fortunarum interitum, unde dolor exiſtit, declarauit.

Nocte autem ſuſtulit eum obſcuritas.

Quemadmodum noctis, inquit, tenebræ faciunt, nihil ut poſsit apparere, ſic impius ærumna, quaſi cæca nocte obrutus, nec cernitur, nec uſpiam uidetur exiſtere.

[1] Ambroſ. uentus urens.

Abſumet eum [1] æſtus, & abibit, & ventilabit eum de loco ſuo.

Varijs imaginibus, ac collationibus impij exitum, internecionemq. deſcribit. Ille, inquit, ſimiliter, ut a tinea lana, perditur; ut araneolæ contextum rete, diſsipatur; ut ea, quæ in quiete, per uiſa cernũtur, nuſquam cohæret, putat ſe uerſari in tenebris; uenti æſtu accenſus amandatur; quaſi puluis a procella, ac turbine iactatur: tamquam lenibus flantis uenti auris paleæ, ſic ille, vltrice ui quapiã raptante, ac, ſeſe ſubducente, abripitur, atque e ſuo loco transfertur: ut uerum ſit illud, *Quæres locum eius, & non inueniatur.* Pſ. 36

Proij-

Proijciet ſuper eum, & non parcet.

Vltor, inquit, ac vindex quaſi fur improuiſo incidet impio, nec illi ignoſcet iratus.

De manu eius fuga fugiet: plaudet autem manibus ſuis ſuper eum, & ſibilabit eum de loco ſuo.

Conſueuit Scriptura ueluti hoſtis atque aduerſarij ſpeciem Deo affingere; dum diuinum in impios impetum, ſuppliciumq. ſtudet exprimere. Quocirca Dauid, ubi Deum armis inſtruit, eique tradit iaculum, ſic canit. *Apprehende arma, & ſcutum:* ac rurſum,
Pſ.34 *Effunde gladium, & conclude:* & alibi: *Arcum ſuum tetendit, & pa-*
Ibid. *rauit ſagittas.* Idipſum hic facit: nam Deum quaſi hoſtem, qui aduerſarios perſequatur, inducit; impium autem quaſi fuga ſibi cōſulentem, & illum quidem quaſi uictorem, & ob uictoriam geſtiētem, ac manibus plaudentem, atque a ſuo loco, id eſt, a priſtina felicitate, conſuetudine, ac ſede ipſum abſtrahentem. Contra, quemadmodum, & qua par eſt, ſanctimonia iuſtus uocem contendat apud
Pſal. Deum, attende, *Quo ibo a ſpiritu tuo, & a facie tua quo fugiam?*
134. Impius autē fugit, quaſi Deum uitare, atque ex illius manu ad omnia pertinente poſsit euadere. Nihilominus igitur capitur, & ſeſe in laqueos induit, & ſuperatur; atque ei, quæ vociferantes in prælijs ſolent, in illo fiunt: manuūm, inquam, complauſus & ſibilus, ac veteris domicilij commutatio, atque migratio.

ADDITIONES IN CAP. XXVII.

A *Non mutabo ſimplicitatem meam.*

ORIGENIS.

IVSTITIAE ſtudium, illiusq. perpetuam memoriam minime deſeram.

B *Poſſeſsio dynaſtarum veniet ab omnipotente in eos.*

CHRYSOSTOMI. Impij in potentiorum poſſeſsionem rediguntur.

CAPVT XXVIII. *Eſt enim argento locus, vnde fit: locus autem auro, vnde percolatur.*

CETERI autem, Vnde confletur.

Ferrum autem de terra fit; æs autem ſicut lapis excinditur.

Hebræus autem: Lapidibus conflatur, dixit.

Ordinem poſuit in tenebris.

Pro quo Aquila, Finem; Theodotio, Terminum, Symmachus, Legem, interpretatus eſt, & omnem terminum ipſe ſcrutatur. CHRYSOST. Sententiam exponit huiuſmodi. Si cuncta Deus ratione diſpoſuit, quanto magis humana certo conſilio, atque ordine adminiſtrat? Prouidet enim is rebus; nec quidquam temere, ac fortuito euenit. OLYMP. Aut uero illud potius eius conficit oratio. Cetera quidem nō uſq; eo eſſe a noſtra cogitatione ſecluſa; Dei autem prouidentiam eſſe quauis coniectura, atque notitia ſuperiorem; ſimul & uerbi opificis ſapientiam, & quã eximia, ſapientiq. ratione res cunctas effecerit; & quo ordine, ac momento diſpenſarit atque digeſſerit; & quo nexu, atque harmonia deuinxerit, docet: quo item pacto nos animi intelligentia & ratione ornarit; nec quidquam ſine certo iudicio ab eo perfectum ſit: ſed ſingulis locum ſuum, ordinemq. attribuerit. Neque enim aurea terra fundit argentum; neque argentea aurum progignit: & ex alia quidē ferri metallum effoditur, ex alia vero lapicidina æs eruitur. Id autem dixit, non quòd montes ſint ęrei, ſed ideo quòd, cum fodiendi metalli ratio, quę hominibus tributa eſt, acceſſerit, æs & ferrum proferunt; ubi eius generis in terra fuerit reperta maieries. Et noctis quidem tenebræ appropinquanti luci cedunt, ac dies nocti ex Dei decreto viciſsim decedit; fitq. horum quædam accretio, ac diminutio; &, ut aliquid a communi opinione ſeiunctum dicam, quędam efficitur ex inæqualitate æqualitas, CHRYSOST. Præclare dixit, *Ordinem poſuit tenebris*; vt oſtenderet eas cedere, ac decedere conſueſſe. Quis earum caliginem, obſcuritatemq. diſpellit? unde in re tanta ordo tantus? Adhæc uim, ſapientiamq. Dei narrat; ut doceat illum nolle pœnas ab eo expetere. Rerum enim omnium exitus, & euenta ſcrutatur, illa ſua incomprehenſa prouidentia cūcta complexus. Ergo neque impiorum ſupplicia temere trahit, ac

differt,

differt, nec fruſtra irrogat: qui menſura, ordine, atque concentu uniuerſa deſcripſerit, ac deſignarit.

Lapis tenebræ, & umbra mortis, abſciſſio autem torrentis ab arena.

Olymp. Lapides, inquit, qui in fodiendo quæruntur, ſunt in profundo abſtruſi? in ipſaq. mortis umbra delitescũt, ideſt, in partibus terræ imis, atq; in alta obſcuritate: illa uero terra, ex qua, cum perpurgata fuerit, ferrum, aliaue metalli materies exiſtit, ſub torrẽte, arenaq. latet. Vel, ut planius dicam, terra, quæ ad gignendum ferrum utilis ſæpenumero in aquis reperitur; quæ a torrente diſciſſa ferrum protulit. Fortaſſe etiam hæc ipſa uerba aliam ſententiam patiunt. Quod lapides, qui in profundo ſunt conditi, ac propemodum radicibus nixi, torrentis impetus in apertum protulit, ubi ſubiectam materiam diuellit, & nullo firmamento fultam terram abripuit.

Qui autem obliuiſcuntur viæ iuſtæ, infirmati ſunt: de mortalibus moti ſunt.

Id, quod fieri in fluuiorum alueis ſolet, ad imaginem, atque ſimilitudinem exitij impiorum tranſtulit. Vt enim torrentis impetu interciſæ, atque auulſæ arenæ trahuntur, ſic, qui non firmiter honeſti rationibus nituntur, nec uiæ, qua ad uirtutem eſt iter, meminerunt, ſane debilitantur; atque ex ea, in qua conſiſtebant, felicitate decidunt; atque e mortalium complexu abſtrahuntur.

A *Terra, ex ipſa egredietur panis: ſubtus autem eam verſa eſt ſicut ignis.*

Poſtquam dixit terram, aliam quidem auri, aliam uero argenti, aliam æris, aliam ferri procreatricem eſſe, eôdem nunc addit genus quoddam aliud terræ reperiri, quod ſuo uterò ſemina comprehendit, quę quidem ſemina poſtquam ſuo calore, quaſi igne quodam diſſoluit, & ui ſeminis multiplicem ex illis fetũ extulit, tunc ad conficiendum panem ſpicam progignit. Necnon eumdem uerſum ſic interpretari licet, ut eius ſit bipartita ſententia ad hũc modum, Terrarum genera duo ſunt, unum concipiendis, cõprehendendisq. ſeminibus idoneum, alterum ſulphureum. Nam illud *verſa eſt ſub ea ſicut ignis*, pro eo eſt, Sic ſulphur alit terra ipſa, ut ei ignis pęne ſubiectus eſſe videatur.

Locus

B *Locus ſapphiri lapides eius, & agger aurum eius.*

Terrarum, inquit, aliæ lapides pretioſos gignunt, partim ſunt aceruī aggeres, e quibus concoctis aurum procreatur.

C *Semita, non cognouit eam auis, & non vidit eam oculus vulturis: non calcauerunt eam filij ſuperborum: non tranſiuit in ea leo.*

Viam hanc, inquit, ac metallicæ artis rationem neque uulturibus, quarũ eſt acies acutiſsima; ut etiam e ſublimi regionē illa cernant, quæ iacent in profundo, nec ceteris item uolucribus exploratam Deus eſſe uoluerit; neque leones, cęteræve immanes, ac vaſtæ belluæ, quas ſuperborum filios nominat; hanc a Deo ſapientiam expreſſerunt, illam homo tantummodo hauſit.

D *In lapide duriſsimo extendit manum ſuam: ſubuertit e radicibus montes: ripas autem fluuiorum dirupit.*

OLYMP. Pro, *Ripas*, Theodotio, Munitiones; Symmachus, Fluctā, interpretatus eſt. Hæc nonnulli ſic intelligunt, Condocefactus a Deo homo, nec montium quidem uertices intactos reliquit: ſed præruptas rupes, ac ſaxa duriſsima aperiens, atque perrumpens, ex eorum radicibus aquarum fontes euoçauit, montes item quoſdam editos complanauit. Verum, quantum ipſe opinione conſequi poſſum, non fontēs quærens aquarum homo ſilicibus ferum admouet, monteſq. euertit, ac ripas fluuiorum perfringit; ſed, cùm aut uenas aureas quaſdam, aut uero argenteas, aut etiam quampiam aliā metalli materiam perquirit, aut gemmas curioſius peruestigat, tūc & perfodit montes, & ima flumina perſcrutatur.

E *Omne autem pretioſum vidit oculus meus.*

Dixit, rerum huiuſmodi ſcientiam eſſe uni homini comprehenſam. Quoniam igitur is, qui hæc diſputat, homo eſt, id, quod eſt omnium hominum commune, ſibi tamquam proprium adſciſcit, ac dicit. Eorum, quæ apud homines præclara, pretioſaq. habentur, plane nihil eſt, quod me fugiat. Verum omnia perſpexi, atque percepi, quæcumque perquiſiui.

Profunda fluuiorum reuelauit.

Theodotio autem, Scrutatus eſt, ut ſi diceret. Nil intentatum reliquit; ſed, quæcumque in aquis oblitescunt, ſiue ob acre conquirendi ſtudium, ſiue ob diuinitus conceſſam ſapientiam, in eius notitiam incurrerunt.

Oſtendit

Oſtendit virtutem ſuam in lumine.

Hoc eſt, in apertum protulit, gratiamq. & uim ſibi datam diuinitus, fecit inſignem.

Sapientia autem eius unde eſt inuenta?

1 Reliqui autem, Vbi inuenietur.

1 Reliqui idest Aquila, & Theodotio.

Qualis autem eſt locus ſcientiæ, non vidit mortalis viam eius.

Aquila, Ordinem; Theodotio, Senſum; Symmachus, Pretium interpretatus eſt. Sapientiam hoc loco interpretantur nonnulli rationes opifices, quibus mundum condidit, ac moderatur. Hanc, inquit, ſapientiam haud comprehenſibilem ijs, quorum eſt ortus e terra, in nullo terræ loco, quemadmodum ſuperiora licet inuenire; ſed præcipue Deo indigemus magiſtro, ut illius partem aliquam ſine errore aſſequamur. Non enim eſt quidquam in uita hac abſoluti, *ſed videmus in ænigmate*. Quare homo, inquit, mortalis eo, quo opus eſſet, modo huius ſapientiæ uiam nequit agnoſcere.

1 Cor. c. 13.

METHOD. Fortaſſe, quòd Iobi amici cauſſam ſe tenere, cur illa is pateretur, arbitrabantur, ideo in eos inuehens Iuſtus, diuinorum iudiciorum ſapientiam tum ſibi, tum cuilibet homini incomprehenſam eſſe confirmat; negat locum exiſtere in terris, qui diuini conſilij ſcientiam complecti queat. Verum hic quiſpiam dixerit, eam, quæ partibus omnibus expleta eſt, pietatem atque religionem uocatam eſſe ſapientiam, rem planè diuinam, atque ab uno Deo precario conceſſam hominibus. Verborum autem ipſorum huiuſmodi eſt ſententia, Mirifica, inquit, eſt Deus quædam elargitus hominibus, cum ijs uim inquirendi, & ſapientiam, artificiumq. inſeuit; quod mortales complexi, terram ad inuenienda metalla effodiunt, eamdem colunt. Verum eam, quæ in religione ſita eſt, ſapientiam haud ullo in loco licet reperire; non illam a ſeipſo homo intrinſecus petere, non ceteris tradere poteſt. Itaque, qui ex Græcis habiti ſunt ſapientes, cum ſuis uiribus ad illam niterentur, prorſus aberrarunt a ſcopo. Res enim, ut iam dixi, eſt huiuſmodi, ut ſuo marte parare illam homo non poſsit: per gratiam enim & beneficium Deus concedit, ut eam homines aſſequantur. Quocirca principio idem Deus partim uiſis, partim angelorum conſuetudine, atque congreſſu, partim diuinorum uatum opera ad pietatem homines erudiuit. Quin illa ipſa ſapientia, quæ in contemplatione uerſatur, qua ipſa ad artes, ac diſciplinas incitamur, & cuius pé-

ræque

ræque omnes tam iuſti quàm iniuſti participes ſumus , (hactenus enim illam accepimus, ut animalia ſumus ratione utentia) illa, inquam , ſapientia Dei quoque munus eſt, de qua dictum eſt ante, *Numquid non Dominus eſt, qui docet ſapientiam & ſcientiam?* DION. & ALEX. Solus Deus fons eſt ſapientiæ, quam Iobus etiam cupit inuenire, dum identidem inculcat, *Sapientia vnde inuenta eſt? qualis autem eſt locus ſcientiæ?* & quando naturam illius noſtris uiribus, & cogitationibus ſuperiorem deſcribit, ait, omnem latet hominem , quia ſolis ſanctis eſt notus ſapiens. Atque hoc vtitur epilogo. Deus eſt qui conſtituit uiam eius , & quæ ſequuntur : & alibi, Vbi & unde eſt ipſa? Apud eum ſapientia & potentia, ipſi conſilium; & prudentia. Vnus eſt igitur ſapientiæ parens, architectus, & largitor Deus. Quòd ſi quiſpiam eius partem accepit, ab illo uidelicet accepit : Dominus enim dat ſapientiam, atque a facie ipſius cognitio & ſenſus , quemadmodum liber ſapiens * indicauit, & quemadmodum ſimilis ſcriptura docuit, cum dixit , *Ipſe & ſapientiæ dux eſt , & ſapientum emendator. In manu* Prou. ca. 2. *enim ipſius & nos, & ſermones noſtri, omnis item prudentia, & omnium operationum noſtrarum ſcientia.* Nec enim quidquam aliunde Sap. c. 7. uel boni uel admirabilis ad nos uenit; uerum , ſi quidquam boni eſt, illius eſt; &, ſi quidquam præclari, ab illo. Zacharias ait, cetum omnem , uirtutumq. omnem abſolutionem ab eo exiſtere , ac dimanare. Ita, cum cunctas uirtutes complectuntur, atque definiunt, illi aſsignant. Et primum quidem omnium ſapientiam, quæ, quòd antiquiſsima eſt, ac ceterarum princeps, in nobis ineſt, quaſi reliqui ædificij fundamentum . Vt enim ſolus eſt Deus bonus, ita Eccle. c. 1. ſolus ſapiens; *ſolus*, inquit, *eſt potens ſapiens valde, ſedens ſuper thronum ſuum.* Cauſſamq. exponens , cur illi ſoli nomen hoc præcipuum & peculiare attribuerit, inquit, *Dominus ipſe creauit eam , & dinumerauit eam, & effudit eam ſuper omnia opera ſua.* Ad huius ſapientiæ beatam notitiam Baruch his nos uerbis adhortatur. *Diſce, vbi ſit prudentia, vbi ſit fortitudo, vbi longa ætas, vbi vita, vbi ſit* Baruc. c. 3. *lumen oculorum & pax: quis inuenit locum eius? & theſaurus vnde prodit? & quis accipientibus metitur?* Deus eſt. Itaque, poſtquam accuſauit eos, qui partem ab illo ſumere nolunt, loquitur his uerbis. *Dereliquiſti fontem ſapientiæ; viam Dei ſi ambulaſſes, habitaſſes in pace in æternum.* Hæc alij pluribus ſunt perſecuti, qui ſapientiam , aut rerum , quæ ſunt, cognitionem , aut ipſam erga Deum pietatem interpretantur. Ego uero meum de ea, de qua eſt hic ſermo, ſapientia, ſenſum breuiter indicabo. Ego igitur ſic exiſtimo,

* Sapiẽtem librũ dicit, non ſapientiæ librum, verũ qui a ſapiente Salomone editus eſt.

ſapien-

ſapientem, ſanctumq. Iobum tale aliquid dicere, cetera quidem homini ſapientiæ præſidijs eſſe inuenta, ut metallorum materiem, ut artificia, ut ſcientias, omnia denique illa, quæcumque is cum admiratione quadam percenſuit numerando; ipſam uero ſapientiam, qua demum ratione inuenit? numquid ad eius rei inuentionem, terram effodit? nunquid maris receſſus penetrauit? Apage. Res eſt enim Dei munere conceſſa.

Abyſſus dixit, Non eſt in me: & mare dixit, Non eſt mecum.

GREGOR. TEOLOG. Sæpenumero rebus inanimatis loquentium
Pſal. 18. perſonarum ſermonem Scriptura affingit; ut quando ait. *Cæli enarrant gloriam Dei*; & gladio aliquid præcipit; & montes ac colles ſermonem rogantur exultationis. Tale quidpiam eſt illud, *Abyſſus dixit, Non eſt in me* ſapientia; ita, ut quis ſeſe in meos inſinuans receſſus, illam offendat: *& mare dixit, Non eſt mecum*, perinde fortaſſe, ut margaritas, ſic illam ipſam quis poſsit apud me reperire. Tanquam ſi diceret, Siue in abyſſo, ſiue in mari, ſiue in alio quouis loco, non attinet quærere ſapientiam: illius enim promuſcondus & largitor eſt Deus.

F *Non dabit [1] incluſum pro ea, & non appendetur argentum commutatio eius, & non comportabitur cum auro Sophir.* [1] Ita & Aug. græcè, συγκεκλεισμένον.

OLYMP. Aquila autem & Symmachus, ἀντὶ τοῦ οὐ συμβασταχθήσεται οὐχὶ ἀναβληθήσεται, dixerunt, & Aquila quidem pro, *Sophir*, Primum, interpretatus eſt. Nam Sophir, ut ſupra dictum eſt, regio eſt apud Indos, in qua tum pretioſi lapides, tum præſtantiſsimum aurum procreatur. Vniuerſa ergo, quæ humana ratione inuenta ſunt, ſapientiamque contendit, atque hanc docet eſſe * multis partibus ſuperiorem. Sicut autem res ceteras emi nequaquam poſſe; nec pretioſiſsimarum rerum materiam cum illa poſſe conferri. Nec enim, quamuis cunctos aliquis tradat theſauros, emere illam ipſam poſsit. *Incluſum* autem, pecuniam ipſam dicit, propterea quod tuto illam claudimus. Nec quidpiam cum ea ponderabitur: id enim ualet, συμβασταχθήσεται, quaſi in lancem impoſita; nec uero primum aurum cum ea exæquabitur, non uis argenti contrapendetur. Nego enim eſſe quidquam in hoc peculij genere, aut par, aut æque ut ſapientiam, dignum.

* κατὰ πολλὴν περιουσίαν ὑπερφέρουσαν.

In

In onyche pretioſo, & ſapphiro, non æquabitur ei aurum & vitrum.

Neque cum eo lapide, qui onyx dicitur, ſeu cum ſardonyche, ſiue cum ſapphiro, ſiue cum auro, ſiue cum pellucida cryſtallo, quam uitri nomine ſignificauit, ſapientia comparabitur. Quòd enim rara eſt ſapientiæ poſſeſsio, ac data diuinitus, ideo pretioſam quamlibet materiem uincit.

Et commutatio eius vaſa aurea.

Pro quo Symmachus, Neque commutabitur uaſis aureis. Nec enim res poſſunt huiuſmodi ipſa commutatione ſapientiã æquare.

G *Neque excelſa, neque eminentia rememorabuntur.*

Illud γαβὶς eminens, elata uidetur ſignificare: ſic namque eminens medimni labrum appellatur: Symmachus autem ſic interpretatus eſt, Excelſa & * ſublata non commemorabuntur, perinde ut ſi diceret; Quæcunque apud homines ſunt, quæcunque in honore, & pretio apud eos habentur, ſi cum ſapientia comparatione iungantur, nec digna quidem ſunt, quorum fiat mentio.

* ἐπηρμένα.

H *Et trahe ſapientiam ſuper intima.*

Intima ea dixit, quæ in cellis condita ſunt, & aſſeruãtur. Quare ſic eſt Aquila interpretatus: Dulcis eſt ſapientia * præ ijs rebus, quæ conſpicuæ ſunt. In quo oſtendit opes pretioſiores, ut ea, quæ ſunt intima, cogitaſſe. Etenim quæ præcipuum pretium habent, non locis, quæ pateant, ſed interioribus atque abditis collocamus. Ergo ſupra, inquit, hæc omnia atque ſupra horum poſſeſsionem colloca ſapientiam.

* παρὰ τὰ περίβλεπτα.

Non æquabitur ei topazium Aethiopiæ, cum auro mundo non [a] *ſimul librabitur.*

Olympiodori. [b] Topazium lapis eſt ſplendiſsimus. Illud uero, *Non ſimul librabitur*, pro eo eſt, Non una ponderabitur. Nam quæ ſimul ponderantur, in utramque lancem impoſita, examinantur. Vel quia, qui hanc eſt adeptus ſapientiam, nolet eam cum auro, ſed ſolam portare.

a συμβασταχθήσεται. Multiplex eſt huius verbi notio: nam valet, ſimul librabitur, expendetur, geſtabitur.

b De Thopazio Plinius lib. 37 c. 8.

I

L *Sapientia autem unde inuenta eſt? qualis eſt locus intelligentiæ? omnem latet hominem, & a volucribus cæli eſt abſcondita. Perditio, & Mors dixit, Audiamus illius gloriam.*

Metal-

Metallorum, inquit, materies quibuſdam in locis reperitur: at ſapientiæ gloria uſque ad eos, qui terram oppoſitam noſtræ incolunt, peruenit. Ipſa uero ſapientia res quædam diuina eſt, nec in coſpectum cadens, Deiq. tantum munere conceſſa mortalibus: quā ipſam certo in loco capere, & aucupari non licet hominibus, nedum naturæ ulli rationis experti; quod naturæ genus ex auibus ſignificauit. Nihilo ſecius negant nonnulli a Iobo de ſapientia diſſeri. Nam aiunt ſuperiorem orationē ad cognitionem rerum, quæ ſunt, pertinere; hanc uero ad Dei adminiſtrationem, quam intelligentiā merito dicit, ut quæ in eximijs rebus uerſetur, nec ipſa mutetur. Huius homines, inquit, & qui ceciderunt, obliti ſunt Angeli; ut merito & illi, & hi perditioni, atque interitui ſeruiant.

Dominus bene conſtituit viam eius.

Symmachus autem, Intellexit, eſt interpretatus.

M *Ipſe autem nouit locum eius.*

Ideſt, radicem eius, & quomodo, & unde fluat, ac manet.

Cognoſcens quæ in terra ſunt, & omnia quæ fecit.

Qui cuncta, inquit, cognoſcit, & qui eſt rerum omnium effector, is uiam ſapientiæ nouit.

Ventorum [1] *pondus, & aquæ menſuras quando fecit.* [1] Libram Ambr.

Pro quo Symmachus: Aquam autem exæquauit menſura; Aquila autem, Aquam librauit in menſuratione.

Hic uidens numerauit, & viam in excuſsione uocis.

Symmachus, In fragorem uocum. Id, quod dicit, eſt huiuſmodi. Hic tonitrua diſpoſuit, quæ agitatus aër edit. Hæc enim uoces appellat in excuſsione. Verborum autem compoſitio eſt huiuſmodi. Hic uidens uoces, quæ ſunt in agitatione, & concuſsione, numerauit & uiam earum, hoc eſt, aëris ſonitus, ac tonitrus rationes, cauſſas uias & motiones cognitas habet.

Tunc vidit eam, expoſuit eam, a ſe præparatam inueſtigauit.

OLYMP. Pro quo Theodotio, Conſtituit eam, & ſcrutatus eſt eam. Is, inquit, opera ſua uniuerſa concinna quadam ratione, ac proportione effecit; qui nec uentos ſinit in eos, qui morantur in terris, pernicioſe bacchari; neque nimia aquarum incurſione terram obrui atque diſsipari: qui tonitrua utiliter comparauit; qui denique ſapienter cuncta parauit; qui cum ſedulo cun-

cta peruestigaſſet, ideſt, perſpexiſſet, tum deinde in apertum protulit. Qui, poſtquam uidit illa eſſe ualde bona, tunc nobis ſapientiam explicauit; ſuorum effectorum tabella quaſi quadam nobis propoſita, in qua illius ſapientiam cerneremus, *atque a creaturarum pulchritudine, & magnitudine, ſapientiæ ipſius inuiſibilia comprehenderemus*. Illud autem, *Cum præparaſſet inueſtigauit*, non eo dictum eſt, quo de rebus effectis antea deliberarit; nec enim conſultationis Deus indiget ad efficiendum. Nam ſimulac uoluit, in lucem euocat, nempe quæ facturus erat, intelligebat. Iam uero cuncta diſpoſita, certiſq. ſedibus deſignata, & perfecta quadam ratione atque proportione inueſtigata, cum non eſſent, produxit. Verum, qui nomine ſapientiæ pietatem aduerſus Deum intelligunt, aiunt a Deo depromptam nobis, traditamq. eſſe rationem, quemadmodum ſentire de illo ipſo debeamus; necnon quemadmodum ad ea, quæ eumdem parentem habent, nobis ſit accedendum. *Sap. c. 13.*

a Ambr. timere Deum ſapiētia eſt: abſtinere a malo diſciplina eſt. Noſtri libri lectionem confirmant impreſſi libri, & Vatic. Biblia.

Dixit autem homini, [a] Ecce pietas erga Deum, eſt ſapientia; & abſtinere a malis, eſt ſcientia.

Isidor. Hæc mihi clarus Iobus dixiſſe uidetur, cum ſapientiæ, ſcientiæq. definitionem adferret. Nam reapſe ſumma ſapientia eſt uera de Deo opinio, ſcientia uero ſumme diuina, actio optima: illa de Deo ueram ſententiam aſſequitur, hæc a malis abſtinet: illa uerbis de Deo diuiniſq. rebus diſputat, hæc agendi laude commendatur. Si ergo is, qui Deo carus & amicus eſt, ſcit ac ſapit, utramque eſt amplexus uirtutem, tum eam, quæ in contemplando, tum illam, quæ in agendo uerſatur; & illam quidem tamquam animam, hanc uero ueluti corpus. Sane ſuperuacanea eſt eorum hominum philoſophandi ratio, qui optimæ diſciplinæ, ac uitæ deſpicientes, in procudenda tantum lingua, atque in orationis concinnitate ſtudium ponunt. Gregor. Theolog. Prima enim ſapientia uita laudabilis, & quæ Deo perpurgata eſt, uel quæ ipſa perpurgatur. Chrys. Ea demum maxima eſt ſapientia, Deum pie ac religioſe colere, non curioſe diſquirere, ac poſcere eorum, quæ fiunt, rationes: nihil huic arti par: nihil quod cum hac ſapientia equari uiribus poſſit: nihil pietate aduerſus Deum præſtabilius.

ADDI-

ADDITIONES IN CAP. XXVIII.

A *Terra, ex ea egredietur panis: ſubtus eam verſa eſt, ſicut ignis.*

IN Catena Pinelli, præter eam, quæ eſt in noſtra, quamdam aliam inueni interpretationem Olympiodori ad Theoreticum ſenſũ hæc uerba transferẽtis. OLYMP. Terra Eccleſia eſt, dignis quidem panem, qui uitæ effector eſt, præbens. Indignis uero, id quod ſubtus, ideſt, qui in inferno æternus eſt, parans ignem.

B *Locus ſapphiri lapides eius.*

Hæc, quæ ſubiecta eſt ſenſibus, Terra, pretioſos lapides profert: quæ uero intelligentia cernitur, ſanctos: de quibus ſcriptũ eſt.
Zach. c. 9. *Lapides Sancti deuoluuntur in Terra ſapphiri.* Qui lapides colore ipſo cœleſtem uiuendi rationem indicant.

C *Et tumulus terræ aurum eius.*

EIVSDEM. Quę in eccleſia ſicut terra aggeſta uidentur abiectiora, honorem aſſequuntur.

Semita, non nouit eam auis.

Sanctæ eccleſiæ ſemitam non nouit dæmon, auis ideo dictus, quòd aëris eſt incola.

Non vidit eum oculus vulturis.

Hoc eſt, qui corporis uoluptatibus indulget.

D *In rupe extendit manum ſuam; ſubuertit a radicibus montes: ripas autem fluuiorum perfregit.*

OLYMPIODORI. Ex eadem Catena expoſitio Dianoëtica. Deus conuertit rupẽ in fontes aquarũ: hoc eſt antiquum, & ſterilem gentium populum in eccleſiam uertit, e qua tamquam ex flumine Spiritus chariſmata fluunt.

E radicibus montes ſubuertit.

Aduerſarias inquam poteſtates e fundamentis conuellit. Fluuiorũ autẽ ripas a Deo perruptas tentationũ impetus licet intelligere.

E *Omne pretioſum vidit oculus meus: profunda autem fluuiorum reuelauit.*

Quod commune eſt omnium hominum in ſuam perſonã transfert.

ſert. Quidquid, inquit, precioſum eſt, a Deo doctus eſt homo: qui terram ſcindit; atque ex ea aquas educit. Illud autem ad intelligentiam. Verbum humana carne ſuſcepta ſpiritualium donorum multitudinem retexit: ſuamq. uim in lucem euocauit. Quod Propheta pronunciarat: *Deus manifeſte veniet, & nos e tenebris in lucem educet.* Pſ. 49

F *Non ſtatuetur argentum commutatio eius.*

ORIGENIS. Nihil eſt, quod exæquare dignitate queat ſapientiam. Si argentum, aurumve per ſe ipſa ſpectaueris, ſtatim dicturus, eſt lobus, nihil dignum eſſe ſapientia.

G *Sublimia & gauis non commemorabuntur.*

ORIGENIS. Neque ſublimia digna ſunt ſapientia: neque gauis, quod uerbum gigãteam potentiã uidetur ſignificare. OLYMP. Aiunt nonnulli gauis dici medimni eminens labrum, quod uocatur Combulaton.

H *Trahe ſapientiam ſuper intimam.*

OLYMP. Intima uocat, quæ in cęlis ſunt recondita: aut etiã pretioſos lapides, qui ex interioribus Indijs adferuntur. Cuilibet igitur pretioſo inſtrumento, ac ſupellectili ſapientiam, inquit, anteferto. Recte autem dixit *trahe*, per pietatem ex uera ſapientia trahẽ ſicut eſt in pſalmis. *Os meum aperui & attraxi ſpiritum, quia mandata tua deſiderabam.* ORIGENIS. Intima dicit, uel quæ in India, uel quæ in remotiore regione naſcuntur, lapides precioſos. Hæc enim fert Regio illa hominibus; quæ quidem magno a diuitibus æſtimantur. Super igitur illa intima ad te pertrahe ſapientiam. Vel ſuper intima, hoc eſt abdita myſteria, quæ interiora ſunt, & ſancta Dei. Pſal. 118.

I *Omnem latent hominem.*

ORIGENIS. Siue propheta is ſit, ſiue Apoſtolus.

L *Perditio, & mors dixerunt, audiuimus eius gloriam.*

OLYMP. Tamdem ruinæ, inquit, ſubtracti umus. Namque huius ipſius ſapientię gloriam audiuimus. Hæc autem prophetice dicit. Verbum enim, quæ eſt ſapientia Patris in carnem humanam indutum, quemadmodum uita nobis inſtituenda ſit, per euangelicam traditionem docuit; ipſe enim uia eſt, qua itur ad

Patrem:

Patrem ; qui etiam uidet omnia, & nouit omnia, tamquam omnium opifex.

M *Ipſe nouit locum eius.*

Id eſt, qui radicem eius, quomodo & unde quoue ex fonte emanet.

PROTHEORIA CAP. VIGESIMI.

CVM de poteſtate, ac ſapientia Dei Iobus admirabiliter diſſeruiſſet; docuiſſetq́; nihil æque pretioſum eſſe, ac ſapientiam; illumq́; ſapientem eſſe, qui religione, atque innocentia ſit præditus; rurſus ſiluerunt amici, quibus nulla ſuppeditaret ratio refellendi. Itaq; Iobus, ab alio quodam capite arceſſit orationem, ab ea, inquam, in qua antea vixerat, felicitate, atque ab eo ſtudio, quo eum Deus fuerat felicitatis tempore proſecutus. Sed quoniam amici multiplex impietatis, atque iniuſtitiæ crimen ei obiecerunt, idcirco earum rerum, quæ ab ipſo egregie geſtæ ſunt, narrationem pertexit:
2.Cor. *ac pæne illud, quod poſt vſurpauit Apoſtolus, dicit,* Factus
c. 12. ſum inſipiens; vos me coëgiſtis. *Tametſi enim ſcriptum ſit,*
Prou. Laudet te proximus, & non tua labia; *nihilo ſecius homines*
c.27. *virtute perfectos, neceſſitas ad hoc genus ſermonis ſæpe deducit; qui tamen ipſa ſua interim abſque vlla perturbatione animi, vel faſtu commemorant. Id vero Deus ad vitæ noſtræ conformandas rationes, quæ eius eſt prouidentia, molitur. Quo ſanctorum hominum vitas, quaſi expreſſas quaſdam atque expolitas virtutis imagines haberemus; in quas intuentes, ad eas ipſi, tamquam ad normam, noſtram viuendi rationem dirigeremus. Deinde ſuas deplorat ærumnas: ut ipſi malis vexati, cum in illius acerbitates oculos coniecerimus, releuemur. Dogma autem tradit præſtantiſſimum: nemini eſſe licitum, hæc ſoluere ergaſtula corporis, quibus illud Deus adſtrinxit; idq́; eius, qui vinxit, cauſſa. Rurſus ait, ſi illa mala ipſe meruit, tamquam improbus, pars impiorum quominus ſua ſit, haudquaquam ſe recuſare: quos quidem certe, & miſeros*

putat,& ſua recta virtutum officia perſequitur: quo ea narratio nobis tum doctrina,tum vtilitate frugifera ſit. Hæc cum Iobus dixit,perorat. Amici autem, cum nihil ad illius infirmandam orationem haberent, tacuerunt. Nec enim Iobi præclara virtutum officia ignorabant; ſiquidem coram illis etiam iuſtitia Iobi enitebat.

CAPVT XXIX.

Adhuc autem adijciens Iob dixit procœmio: Quis me poſuerit in menſe priorum dierum, quibus Deus me cuſtodiebat?

IVLIANI.

SYMMACHVS autem & Aquila: Quis, det me ſecundum menſes primos, ſecundum dies, quibus me Deus cuſtodiebat? Quis, inquit, mihi menſtruã reſtituat felicitatem, in qua antea uigebam? quo ijs,qui in me iudicium dederunt,queam perſuadere, ex ijs, quibus ipſe percuſſus ſum malis, improbum ab ipſis de rebus meis factum eſſe iudicium? cum una mecum de totius perpeſsionis cauſſa, illos ipſes dubitare potius decuiſſet? Nam, ſi ob ea, quæ patior, iniquus ab ijs iudicatus ſum? ergo ex ijs rebus, quibus futurus eram felix, prorſus iuſtus comprobarer. CHRYS. Idcirco priorem ab eo felicitatẽ optari, ut Dei fieret prouidentia illuſtrior, illa uerba declarant, *Quibus me Deus cuſtodiebat*. OLYMP. Diuinam cuſtodiam atque opem, non ſpecioſam tantummodo ſobolem, & magnas, ac locupletes copias dixit; ſed multo magis, quia in tanto ſplendore, diuino ſeptus præſidio, ius ſummopere tuebatur. Idcirco igitur in illum priſtinum ſtatum ſe reſtitui cupit, quia tamquã Dei amãs, in eius fide, ac tutela optat eſſe.

A *Sicut quando lucebat lucerna eius ſuper caput meum;*
B *quando lumine eius ambulabam in tenebris.*

OLYMP. Diuina lex, & ratio, quæ in Iobi mente loquebatur, efficiebat, ut is in tenebris perinde, ut in lumine ambularet, uirtutiſque officijs fungeretur; atque illa ipſa diuina lex quaſi lampas quædam imminens capiti, e ſuperna mihi, inquit, regione illucebat. Id ergo dicit, Cunctis humanis bonis abundabam, diuinaq;

luce

luce colluſtratus, ſine metu aliquo pietatis ſemitas ambulabam. Reuera enim ſemitas lucis ambulant ij, qui cæcis uitę huius fluctibus iactati, ad diuina iuſſa, quaſi ad ſidera ſeſe uſque oſtendentia retorquent oculos: diuinarumq. legum ſplendore, ac ductu iter conficiunt ſuum.

Quando onuſtus eram vijs.

Symmachus autem, Sicut eram in diebus iuuentutis meæ: hoc eſt, quando uelut frugiferæ arbores bonis eram uſque quaque onuſtus: quando in omni uia, in amplis fortunis, in muneribus religionis, ac pietatis exequendis, nec leuis quidem erã, nec inſtar Euripi agitabar: uerum morum conſtantiam, ac ſoliditatem retinebã; atque ea, quæ ad honeſtũ pertinent, immota mente adminiſtrabã.

Quando Dominus viſitabat domum meam.

Symmachus: Quando circumſepiebat Deus tabernaculum meum. Vides hoc illi eſſe in uotis; vt uiſitatio, & prouidentia Dei fiat inſignis.

Quando eram copioſus valde; circum autem me erant filij.

Ideſt, quando res meas Deus uiſitatione ſua dignabatur, multa mihi materies diuitiarum ſuppetebat: ipſius uero diuitias, ac nobilem ſobolem virtutis materiem, mihi egomet ſtatuebam: cum & diuitias in egentes conferrem; & liberos Dei arbitrio, ac voluntate educarem; atque ij in me tãquam in centrum, oculorum animiq. aciem intentam haberent.

Quando fluebant viæ meæ butyro: montes autem mei fluebant lacte.

Ex his uim pecoris, quod ubique tũ in montibus, tum in campis paſcebatur, docet. Namque a butyro, & lacte, armentorum, & pecorum numerum, & greges ſignificauit. Ad intelligentiam vero. Viæ Iobi, quas is ambulabat, virtutes erant, ad quas infantes inſtituebat; montes uero altæ cogitationes.

Quando exibam matutinus in ciuitate: in plateis autem ponebatur mea ſella.

Chryſoſt. Priorem illam ſuam in dicendo libertatem, & dignitatem, deinde gloriam narrat. Origen. Item ſe aliorum eruditioni, atque utilitati operam nauaſſe, qui non ſui amans, ſed ſtudio caritatis incenſus, communis commodi cupidus eſſet. Olym-

PIOD. Tamquam princeps quidam, ac magiſter ceteris ad virtutem, ſic nec ſomno, nec ebrietatibus indulgebat: ſed caritate cõmotus, de mane in plateis reſidebat, tamquam lex, atque effigies ciuitati propoſitus.

Videntes me iuuenes, abſconditi ſunt: ſenes autem omnes ſteterunt.

OLYMP. Qui ætate, moribuſue iuuenes erant, cum Iuſti virtutem vererentur, ſe ipſi ſubducebant; atque occulebant; qui autem, vel ætate, uel ſenili prudentia ſenes erant, ſtabant atque aſſiſtebant, Iuſtoq. honorem tum deferebant, tum eius ſermones ſtudioſe audiebant. Ita omnibus, qui ad intelligendum eſſent idonei, verendus erat, adoleſcentibus inquam, & ſenibus. In quo mihi ſane amicos ſuos verberare uidetur, qui in eum inſultabant; maxime, quòd aperte docet, antea ipſis etiam formidoloſum, & glorioſum extitiſſe.

Optimates autem ceſſauerunt loqui, digitum imponentes ori.

*In 4.Reg. c.10. ſunt optimates: ſunt item adulti, & robuſti.

*Ἁδροὶ aut ſunt diuites, aut, ex ceterorum interpretatione, principes. Ergo, cum hi ſermonem Iuſto concederent, coram eo illi ipſi ſilentio utebantur. ORIGEN. Digitus ergo ori iniectus, ſilentij index uideri poſsit. Fieri etiam poteſt, vt, quandoquidem manus pro factis vſurpatur, illud ſignificetur, illorum facta eorumdẽ labra concluſiſſe, & ori uincla propemodum inieciſſe. Neque enim eius rei erant ignari, haud ſe dignos eſſe, qui, Iobo pręſente, loquerentur, qui in maioribus atque illuſtrioribus facinoribus uerſatus eſſet, ipſi uero leuiſsima feciſſent. Digitus enim ipſe minimam actionem, functionemq. declarat.

Qui autem audierunt me, beatificauerunt me: & lingua eorum adhæſit faucibus.

Ex his ſilentium, timorem, ac ſtuporem docet. Et auditores quidem ob gratioſos ſermones beatum illum pędicabant: qui uero aures habebant ad animi intelligentiam perforatas, de re nulla ei contraria oratione diſſentiebãt; ſic enim erant admiratione perculſi; ut ijs quaſi lingua adhæreſceret; atque ad verba formanda, ac curanda illam uoluere, atque agitare non poſſent. Talia propemodum intelligit, percipit & loquitur; quæ & a communi hominum opinione abhorrent, & quæ magno poſſunt eſſe audientibus emolumento.

Quia

Quia auris audiuit, & beatificauit me: oculus autem videns me declinauit.

Origen. Nimirum, cum me aduerſo obtutu intueri non poſſet. Aquila autem & Symmachus, De me teſtatus eſt, expoſuerunt. Quid porro teſtatus eſt? nempe Iobum tam excellenti, eximiaq. eſſe ſapientia; ut notionum animi, quas is euoluebat, ſplendorem nimium auditorum acies ferre non poſſet. Idcirco oculos abducebant, quia ad excelſas, altasq. illius notitias nullo pacto niti ſe poſſe intelligebant. Ad hæc cauſſam, cur Beatum ipſum prędicarent, exponens, adiungit.

Saluaui pauperem de manu potentis: & pupillum, cui non erat adiutor, adiuui.

Chrysost. Poſtquam ſui cuſtodiam, ac præfecturam Deo tribuit, tunc ipſe in Domino gloriatur. Ac uide eum haud in eo magnopere gloriari, quòd uel malis abſtineret, uel ſacrificijs operam daret; Iudæorum enim hæc erat gloriatio: uerum hoc ſibi Iobus ducit glorioſum, quòd Deus cumprimis requirit, *Iudicate*, inquit,
Iſ.c.1 *Pupillo, & iuſtificate viduam*; necnon in rectè factis laudem ponit ſuam, *Saluaui*, inquit, *pauperem, & pupillum adiuui*. Isidor. Ne mirere, ſi Phariſæus, proptereaquod magnifice de ſe loquitur, apud Deum offendit: Iobus autem, quamuis plura, & maiora prædicarit, tamen laudem tulerit: ille enim, nemine incitante, uel impellente, in glorioſam illam ingreſſus eſt orationem: cumque nihil in orbe terrarum ęque, ut ſe dignum exiſtimaret, meritò eſt lapſus; ſuperbiæ enim morbo laborabat: qui uero ad cauſſæ ſuæ probationem errata tegit ſua; &, dũ petitur conuicijs, & dicit, quæ ad obiecta crimina refutanda pertinet; id, quod præclariſsimus atque famą quauis ſuperior fecit Iobus; nempe is ab omni culpa, & reprehenſione uacuus & nudus eſt, interim culpa in improbi, iniuſtiq. conuicij auctore reſidente. Friget enim ea laus, quam ſibi quiſq;, nulla neceſsitate coactus adſciſcit: uerum, ſi quiſpiam, cum ea, quæ minime oportebat, audierit, inuitus ad huiuſmodi ſermones delabatur, nempe ad illos ipſos, qui uſurpandi ſermonis neceſſariã cauſſam attulerunt, crimen recurrit. Ita diuinum ſuffragium illum quidem Phariſæum, qui nullius impulſu iuſtitiam ſuam uenditauit, ac reliquos omnes condemnauit, exploſit omnino: hunc uero huc neceſsitate adductum (quid enim amici, quod ad prouocandum ualeret,

leret, in præteritis reliquerunt ?) ſummæ laudationis laurea [illegible]-que corona donauit.

Benedictio pereuntis ſuper me veniat.

Symmachus autem, Obuiabat.

Os autem viduæ me benedixit.

Pro quo Theodotio. Et cor uiduæ lætificaui. Horum autem uerſuum hæc eſt ſententia, Cui interitus, inquit, creabatur periculū, qui tamen mea ope eſt ereptus interitu; ac uidua; tutore carens, ubi me tutorem inuenit, fauſtis precationibus, ac laudibus proſequebatur. Neque uero earum rerum ſpe commotus illa faciebam; ſed ideo, quòd ob conſcientiam recti, ac ſpes meliores, ex ijs, quas illi hominum generi ſuppetias ferebam, munus amplius exſpectabam. CHRYSOST. Illud autem attende, quamuis uiduarum genus ſit quodammodo ingratū, non naturæ uoluntatiſve uitio, ſed egeſtatis neceſsitate, quamuis ægre eum laudent, a quo ſunt beneficio affectæ: a nam furnus eſt paupertatis uiduitas; eas nihilominus Iobi nomen cum laude uſurpaſſe. Huius autem uiri præclara facinora idcirco perſcripta ſunt, ut ea ipſi imitemur.

a Furnus paupertatis viduitas.

Iuſtitiam autem indui: veſtitus autem ſum iudicio ſicut diploide.

ORIGEN. Videlicet præclaram ſibi ueſtem Iobus contexuit: illi enim pro amictu iuſtitia fuit. Vide ueſtimenti genus: nam ueſtis iuſtitia, iudicium diplois erat. OLYMP. Pro quouis pretioſo cultu, iuſtitia, iudicijq. æquitate Iobus utebatur. Et hæc quidem mirifica Iobi indumenta: contra uero impij *induuntur maledictione, ſicut* Pſal.
veſtimento; & operiuntur ſicut diploide confuſione ſua. CHRYSOST. 108.
Poſtquam dixit, *Saluaui pauperem de manu potentis*, recte ſubiecit, *Indui iuſtitiam.* Nam ſunt ex hominum genere, qui cæteris præſint, verum ipſorum uita turpis eſt, & ingloria; non ita hic noſter. Sed quid ille? *Veſtitus ſum*, inquit, *iudicio*, hoc ego ueſtitus genere exornabar. Id autem, quod alijs moleſtum eſt, & quod ſtomachum mouet, & quod acerbum, & graue videtur, contra mihi ac illis iudicabatur. Vt enim quis ad corporis ornatum diploidem adhibet, ſic ipſe ad meum cultum iudicij æquitatem; neque id dumtaxat hodie, cras autem non item; verum, ſicut neceſsitas cogit veſtibus ſemper vti, ſic nunquam ipſe calamitoſorum iudicium deſerui. Sed nimirum quis eum iudicem conſtituit? * A ſeipſo, hoc eſt, ab ipſa virtute creatus eſt iudex, quemadmodum Moyſes; tales uide-

** αὐτοχειροτόνητος κριτὴς παρὰ τῆς ἀρετῆς γέγονεν αὐτῆς.*

uidelicet decebat eſſe principes. a Hunc in tentationibus ſpectaſti, quantum ſpectare licuit: neque enim ad id genus demonſtrandum idonea oratio potuit reperiri. Dolorem enim, & cruciamenta, & ægritudinis tyrannidem, atque ex ijs niuium imbribus exortam perturbationem, nulla orationis facultas auditoribus ita queat exponere, vt rerum ipſarum experientia poſtularet. Age uero rurſus hunc ego tibi uirum oſtendam, quamquam haud paruum id eſt opus; ſed, id quod animum requirit, ſumma philoſophia præcultum, & qui in diuitijs atque felicitate egregiam philoſophiā oſtentarit. Cuiuſmodi igitur hic fuit, cum locuples eſſet? Communis omnium portus, communis omnium pater, communis omnium medicus, immo uero quam medicus potior; ipſum enim dicentem attende.

a Quod ſi vt eidem Chryſoſtomo, præcipuisq; huius cōmentarij Patribus videtur, regiam Iobus poteſtatē obtinebat, nimirum cum eadē poteſtate ius conſtituendarum controuerſiarum coniunctum eſſe intelligimus.

Oculus eram cæcorum, pes autem claudorum.

Chrysost. Vides, quemadmodum is pro natura melior quidam quàm quiuis medicus eorum hominum curator fuerit, qui manci, membris capti, ac debiles erant? Et quemadmodum, quæ arte corrigi nequibant, ſolatio ipſe, ac mira erga eos prouidentia vſus recrearit? ijs enim pro membris fuit. Perinde namque, ut eſſent integris pedibus atque oculis, ſic ij affecti erant, quos membrorum calamitas opprimebat. Siquidem nec claudicationem, nec cæcitatem illi ipſi ſentiebant; tanta in eos huius cura, & ſtudium exiſtebat. Nec uero dicit, claudos, & cæcos ipſe ſolabar; nec dicit, Calamitatem leuaui; cæcitatiſue ſenſum ademi; uerum, Illorum eram oculus; per me uidebant; per me calamitatem ipſam minime ſunt experti; eos, a quibus manu ducerentur, minime requirebant; tenebræ utiquouis loco ijs lux eſſent, conficiebam. Vide abeſſe ſigna. *Oculus eram cæcorum*, non redditis oculis; neque enim dum erat ea gratia conceſſa hominibus; neque illud in mea poteſtate erat, ut ærumnæ ſenſum ne haurirent. Noſtræ autem ætatis homines, uidentes etiam cæcos faciunt. Nec dixit, Per ſeruos faciebam; uerum, Egomet naturæ peccata emendabam, nec hominum ſolum, uerum etiam ipſius naturæ uitia corrigebam; mutilisq. corporis artubus, rebus neceſſarijs præbendis, eximiaq. prouidentia conſulebam. Origen. Verum ad intelligentiam: Cæcas mentes illuſtrabat; & ijs qui capti erant animo, opitulabatur; eratq. illorum oculus; pedes uero ijs largiebatur, quorum erant animi baſes labefactatæ; ijs, inquam, ſermone pes erat, & manu utroſque ducebat. b Vſurpatus eſt autem oculus, tamquam dux uiæ ad intelligendum, pes autem quaſi dux uiæ morum.

b Vſurpatus eſt autem oculus &c. ſententia hæc eſt item Euagrij in Cat. Pinelli.

C *Ego autem eram pater impotentum.*

Chryſoſt. Et ne hic quidem dicit. Conſolabar pupillos; uerum, ſuæ cōdicionis ijs ſenſum eripiebam; efficiebamq. ut ne acerbum ſuum illis ipſis malum uideretur; quemadmodum ab illis etiam calamitatis ſenſum tollebam, qui mutilati erant: quos ego ipſos acri ſtudio, & cura tuebar. In his demum eius, qui infirmis atque imbecillis præſto fuit, uoces perſpicuæ fiunt; & nimirum quanto poſt interuallo hæc loquatur, attende. Basil. *Tempus tacendi, & tempus loquendi*; eſt in oratione Eccleſiaſtæ. Poſtquam igitur magnus Iobus calamitates ſilentio perdiu tulit; atque in eo ipſo robur animi prætetulit, quòd res ad tolerandum difficillimas conſtanter pertulit; poſtquam tempus ſilentio ſatisfecit; ac diu dolorem cordis latebris occultauit; tunc demum hæc, reſerato ore, loquitur. Chryſoſt. Nequaquā ſeſe gloria, prædicationeq. efferendi cauſſa, uerum neceſſario adductus ſtudio, de diuina prouidentia prædicandi, necnon ſe ut ob quas res Deus abiecerit, & in quibus nunc ipſe uerſetur; oſtendat. Neque uero corporibus tantummodo 1 mutilatis curationem adferebat; nec miſeriam tantum pupillorum reficiebat; quando illis pro membris, his uero pro parentibus erat; uerum etiam iudex uoluntarius, ac per ſe ipſe creatus, & plus etiam quàm iudex erat. *Eccle. c. 3.*

1 Eſt in exemplari, κεκολακευομένα puto debere legi, κεκολοβωμένα.

D *Cauſſam, quam ignorabam, inueſtigaui.*

Chryſoſt. Hoc quidem certe maius eſt quàm eſſe iudicem. Qui exercent iudicia ſedentes illi quidem eos exſpectant, qui acceperunt iniuriam; atque, cum illi adierunt, tunc præſto ſunt. Et uero hi maxime probabiles habentur iudices: cum plerique ne id quidem faciant. At hic noſter, uel præſtantiſsimos iudices ſuperauit, ac multis partibus antecelluit. Neque enim exſpectabat, dum ad eum ij, quibus facta erat iniuria, accederent; neque poſt eorum aduentum, atque congreſſum ſuppetias ferebat; uerum ipſe præuertens luſtrabat omnia, eos quærens, qui læſi eſſent iniuria: nec quoquomodo quærebat, ſed multa adhibita uigilantia, magna cura. Quod ipſum ex ipſis uerbis plane potes intelligere; nec enim hoc dixit, Quæſiui; uerum, *Cauſſam, quam ignorabam, inueſtigaui.* ſcrutatatus ſum, ſtudioſius diſquiſiui, curioſe ſemper perſpexi; omnia moui, ut calamitoſos reperirem; neue quiſpiam uiolatus iniuria uſpiā lateret. Genus præfecturæ uides, quæ non in ſolis ſpectatur uerbis, non in cibis tantum, non ſolum in ipſis indumentis; ſed etiam in periculis, quæ alienis etiam iudicijs præſtat, ac præeſt. Origen. Hinc

Hinc docet, quemadmodum nos iudicare conueniat, cum a fratribus ad ipſorum controuerſias noſtro arbitrio dirimendas uocamur. OLYMP. Ad iudicandum, inquit, nihil ex cuiuſquam querimonia prçiudicati; nihil corruptæ auris attuli: uerum, poſtquam ſedulum ad inquirendum, & perſcrutandum ſtudium contuli, id, quod iuſtum erat, perſpexi. Nempe hęc ad eos dici oportet, qui temere iudicant, atque condemnant. Iobus enim inquit, *Cauſſam, quam non noueram, inueſtigaui.* Vidiſtine uigilantem animum? uirtutem nunc, atque ſtudium intuere.

Contriui molas iniuſtorum.

CHRYSOST. Idquod ſuapte natura mordere ſolet, potentiam eneruaui; ita, ut potentes ipſi a noua inferenda iniuria arcerentur omnino. Quare utriſque bono erat: cũ & lęſos iniuria ab accipiendo, & iniuriam inferentes a faciendo auocaret, atque ad meliorem mentem conuerteret. In quo illi Apoſtolico monito ſatisfaciebat,
Rom. 12. *Qui præeſt, in ſolicitudine.* Iam uero animi contentionem, ac fortitudinem cerne.

De medijs dentibus eorum rapinam eripui.

CHRYSOST. Rei difficultatem animaduerte. Rem inquit, iam plane obrutam, iudicioq. prçreptam, in integrum reſtitui: nec deſperabam, animoue frangebar; quamuis res eſſet præiudicata; uerum; & deuoratum negotium more optimi, uigilantiſq. paſtoris eruebam, erga meos conſeruos prouidentia uſus, quaſi ab ore leonis ouis cruribus abſtractis, ſummiſq. auribus auulſis.

Dixi autem, Aetas mea ſeneſcet, ſicut truncus palmæ: multum tempus uiuam.

OLYMP. Pro quibus Symmachus. Dixi autem, Cum meo nido ſeneſcam; gloria autem mea renouabitur prçſens mihi. Hęc, inquit, mecum ipſe ratiocinando pertractabam, atque in eam ſpem ingrediebar, fore, ut, qui iuſte uiuerem, florerem, atque ad multum tempus uitam producerem. Huiuſmodi eſt enim palma; ut ſi diceret. Cum huiuſmodi mea eſſent facinora, prorſus ſperaui uſque ad extremum ſpiritum me futurum eſſe in bonis, ac diuina ope perpetuo fruiturum.

Radix autem aperta eſt in aquis: & ros morabitur in meſſe mea.

Tranſlato uſus eſt ſermone, & quidem ſumpto a plantis, quæ radicibus humorem, atque alimentum hauriunt; irrigationecq. ube-

rem

rem fructum ferunt, illumq. meſsis tempore maturum reddunt. Quemadmodum enim, inquit, arbores, quæ radices habent in aquis, ac propter decurſus earum ſatę ſunt, ſic ipſe me florentem, & fructu uberem eſſe ſperabam; &, quemadmodum fructus rore, atque imbribus lętificati, atque completi ſuo tempore demetuntur; ſic ego, in bonorum copia ętate exacta, putabam ex hac me uita migraturum.

1 δόξα κενὴ ſic in noſtro codice, cui fauent vaticana Biblia & impreſſi libri: vocem hanc interpretatur Chryſoſt. verum vulgata editio latina habet noua καινή. quã lectionem ſequitur Ambr. Augu. Cat. Pinelli, in qua eſt hoc etiam ſcholium. ἀεί με ἀνακαινίζει ἡ δόξα. hanc poſteriorẽ ſecutus eſt item Sym. qui dixit ἡ δόξα μου ἀνανεώσει παροῦσα μοι. id eſt gloria mea innouabit præſens mihi.

1 *Opinio mea inanis mecum.*

Verum, ſpes, inanis mihi extitiſti; quandoquidem res mihi ipſę contra ceciderunt.

Et arcus meus in manu eius ibit.

Dupliciter id poteſt intelligi; uel, quia in me intentus arcus Dei quaſi manu tenetur, atque ab eo tentationum ſagittę, ac tela in me contorquentur; uel, quia rationes meas a diuina manu ſic dirigi, & ad meam uoluntatem, atque ex animi ſententia ſic mihi omnia proceſſura exiſtimabam, ut ab ingenioſo ſagittario ad ſcopum fertur ſagitta. Verum me ſpes feſellit. Poſtquam autem hæc interpoſuit, ad ſuperiorem ſe rurſus refert orationem; atque cunctis, cum ſermonem haberet, uerendum ſe, iucundumq. fuiſſe docet his uerbis.

Qui me audierunt, attenti fuerunt: tacuerunt autem in meo conſilio: ſuper meum uerbum non adiecerunt.

Ad ea, quę dicebam, attendebant; in quo libenti ſe animo audire teſtabantur: tacebant autem ideo; quòd quid opponerent, contraue dicerent, non habebant. Ideo autem nil addiderunt, quia uerba mea legem, canonem ac pondus eſſe arbitrabantur: ut nihil aut detrahere, aut uero addere iam illi ipſi poſſent: uſque eo ſententię meę cuncti concedebant. Quaſi enim arcus, ſic cor meum manu tenebatur diuina, eaq. re a recto ſcopo mente nequaquam aberrabam.

Valde læti fiebant, quando ijs loquebar: ſicut terra ſitiens, quæ exſpectat pluuiam, ſic hi meam locutionem.

Chrys. Attende quid hic dicat. Nõ propter diuitias is inuidioſus erat; non ideo, quod ijs, qui affecti erant iniuria, pręerat; nihil denique ex eodem genere. Verum libenter illum omnes audiebant. Olymp. Frugiferi illius erant ſermones, atque in audientium animis uim ſtrenuam, ac robur habebant: nam primum faciebat; deinde

inde docebat. * Diceŋtis autem in eo ſita laus eſt; cum efficaces adfert ſermones; audientis autem in eo ipſo, quòd cum ſiti, atque cum auiditate audit.

* Ἔπαινος δὲ τοῦ λέγοντος, ὅταν ἐμπράκτους ἔχῃ τοὺς λόγους: καὶ τοῦ ἀκούοντος, ὅταν μετὰ δίψης ἀκούῃ, καὶ πόθου.

Si riſero ad eos, non crediderint.

Symmachus autem, Arridebam ijs; ipſi vero non credebant. Cur autem non credebant? idcirco, quia de morum grauitate, & conſtantia Iobi minime dubitarent; quod per riſum ab eo fiebat, periclitandi alterius cauſſa fieri arbitrabantur. Quo quidem loco, qui mos ſit ad docendum idoneus, indicauit. * Adeo enim grauem, atque conſtantem magiſtrum decet eſſe diuinum, vt ei aut arridenti, aut ſalibus vtenti fides non habeatur.

* οὕτω γὰρ ἐμβριθῆ προσήκει τὸν θεῖον εἶναι διδάσκαλον: ὡς καὶ προσγελῶντα, καὶ χαριεντιζόμενον μὴ πιστεύεσθαι.

Lux vultus mei non cadebat.

Quinetiam diuina, inquit, gratia e mea facie elucebat; nam illa ipſa gratia pacem animi oſtendebat e genis. Aut hoc etiam dicit, Nihil obſcuri, tenebricoſiue in meis ſermonibus inerat; immo uero cuncti uberem lucem, perſpicuitatemq. tuebantur. * Vultus autem doctorum eorum ipſorum eſt doctrina: animorum enim ſimulachra ſermones ſunt, atque ex charactere ſermonis parentem agnoſcimus non minus, quàm e filiorum forma, eos, a quibus ſunt procreati. Fortaſſe etiam, quia ſuam grauitatem, & in facinoroſis obiurgandis acrimoniam demonſtrauit: qui autem ex hoc genere ſunt, triſtes, atque a riſu abhorrentes eſſe ſolent; idcirco addidit, Adſpectus mei hilaritas non concidebat; ſed grauitati ſplendor iungebatur.

* πρόσωπον γὰρ τῶν διδασκάλων ἡ αὐτῶν διδαχή: εἰκόνες γὰρ τῶν ψυχῶν οἱ λόγοι, καὶ διὰ τοῦ χαρακτῆρος τὸν πατέρα τοῦ λόγου γνωρίζομεν: οὐχ ἧττον ἢ ἀπὸ τῆς μορφῆς τῶν παίδων τοὺς τεκόντας.

Elegi viam eorum: & ſedi princeps: & habitabam ſicut rex inter monozonos.

OLYMP. Symmachus, autē, pro, *Elegi uiā eorū*, Si volui progredi ad eos, eſt interpretatus; & pro, *Inter monozonos*, In exercitu, dixit. Sententia uero eſt huiuſmodi, Ego, inquit, Vnus ex ijs videri uolebam, nec ſecus, quàm unus e multis ad eos adibam: at illi principem me deligebant. Nec enim aut per imperium, aut adeo per tyrannidem principatum occupabam; ſed, quia, rerum vtilium adhibito delectu, cum ijs colloquebar, uirtutiſq. uiam monſtrabam; idcirco me principem renunciabant; nec aliter illi ipſi mihi, atque milites Imperatori parebant. Tamquam ſi diceret. Vel ab hoſpitibus, & peregrinis regiam dignitatem accepi. Sunt autem monozoni, qui in militibus honore excellunt; qui non idem, quod omnes ceteri, cingulum geſtant; uel, qui in nullum ordinem redacti, latronum

num more uitam traducunt. Is i d. Quoniam monozoni militaria agmina ſignificant, aut cuneos barbarorum, aut latronum conuentus; tale quidpiam Iobum dixiſſe opinor: Vel quòd militibus legitime præeram, & imperabam; vel quòd barbaros ſtrenue ſuperabam; uel quòd terrorem latronibus inferebam; eoſdemq. à ſuis moribus prohibebam. Quòd ni paruiſſent, ipſos legum retibus induebam.

1 Auguſt. Triſtes, græce, παθεινούς.

Quemadmodum [1] paſſionibus affectos conſolabar.

Olymp. Verum eos, qui animi, inquit, miſerijs, externiſue premebantur ærumnis, re, atque oratione conſolabar, atque erigebam. At Symmachus, Quemadmodum deducit eos dux uiæ, interpretatus eſt, aliam fortaſſe ſententiam indicans. Conſolabar, inquit, eos; & ad ea, quæ erant agenda, impellebam; miti, ac facili adhibita cohortatione; atque humeris eos propemodum geſtabam, eorumdemq. imbecillitates ferebam, perinde, ut qui calamitoſis, ægrotantibusq. hominibus dux eſt itineris. *Vt enim, qui corpore ægrotāt, cura quadam, & commoda egent opera; ſic & qui animo haud recte ſunt affecti, ſed corrupti, atque odioſo uitioſitatis morbo impediti.

* δέονται γὰρ ὥσπερ οἱ νοσοῦντες κατὰ σῶμα οἰκονομίας τινός, καὶ δεξιᾶς μεταχειρήσεως· οὕτω καὶ οἱ κατὰ ψυχὴν οὐ καλῶς διακείμενοι, ἀλλὰ διεφθαρμένοι, καὶ τὴν μισητὴν νόσον κακίαν ἔχοντες.

ADDITIONES IN CAP. XXIX.

Quando fulgebat lucerna eius ſuper caput meum.

A Methodii, id eſt ſuper ſalutem capitis mei, quæ mens eſt: nam ſicut partium corporis princeps eſt caput, ita partium animæ mens.

B *Quando luce eius ambulabam in tenebris.*

Severi Antiochēſis. Ij lucis uias ambulant in cæcis huius uitæ fluctibus, qui mundanam conſuetudinem ſolitaria uita commutauerunt.

C *Ego eram pater impotentum.*

Evagrii. In his uerbis voces ſignificatæ ſunt hominis infirmis, atque impotentibus opitulantis.

D *Cauſſam, quam ignoraui, inueſtigabam.*

Evagrii. Ad eos hæc dicenda ſunt, qui non perſpecta cauſſa ſententiam ferunt, atque condemnant.

Nunc

Nunc autem d riſerunt me in finem.

CAPVT XXX.

THEODOTIO autem & Aquila ſic: ille quidem, Iuniores diebus; hic autem, Breues præ me diebus. Sane graue eſt, ſenem, qui multos antea commonefecit, a iunioribus admoneri.

Nunc autem monent me in parte, quorum contemnebam patres ipſorum; quos non putabam dignos canibus gregum meorum.

OLYMP. Ceteri autem: Cum canibus pecorum meorum. Illud autem his verbis ſignificatur. Antea quidem præclare res meæ ſeſe habebant, ac mihi uerba facienti cuncti concedebant; & quaſi regi morem gerebant; nunc autem tanta rerum mearum facta eſt mutatio, ut infimi, & propter ignobilitatem, egeſtatem, adoleſcentiamq. contempti, & qui nullius frugis, nulliusq. propter improbitatem pretij ſunt, in parte me moneant: neque enim rectum uidebatur, ut eum nonnulli ſemper cohortarentur; ſed ut a quibuſdam moneretur ex parte: quo illi eius cohortationis, qua fuerat apud alios uſus, eſſet merces perſoluta. Iam uero quòd illos ne in canum quidem numerum aggregarit, ad nullum inſolentiæ uerbum pertinet; ſed illud tantum clarum eſt, illos nullo numero, pretioue homines extitiſſe; ac ſi diceret. Si mei mihi honoris, ac dignitatis ratio habita eſſet, prorſus indignum putaſſem, eorum, qui me nunc irrident, patres intueri; quibus non perinde ut canibus meis, rerum copia ſuppeditabat. CHRYS. *Contemnebam*, dixit, quo is uerbo haud per contemptum eſt uſus; ſed ea re tantum, quòd illorum ei aperta, & manifeſta erat iniquitas: nimirum recte ad il-
Pſal. lud, *Contemptus eſt in conſpectu eius, qui malignatur:* hoc enim homi-
14. num genus pro nihilo ipſe putabat. Illud autem, *Monent me in parte*; ut mea quidem fert ſententia, non eo ſpectat, quaſi ei illi pro beneficio accepto monendo reponerent; ſed ideo, quòd is, qui alios monuerat, ab his hoc tempore monetur. Itaque illud etiam, quod addidit, eos minime canibus ſuis dignos eſſe, non eo retulit, quòd latrante hac animante deteriores illos ipſos duceret; ſed ob eam rem dixit, quòd haud dignos eos exiſtimabat, qui canes ipſius curarent. Indignos, inquit, putabam, qui gregis mei canes agerent. Horum igitur is monita repudiabat, ut quorum nec eſſet ætas uerenda, nec ipſi uirtute uerendi. Admonebant, inquit, Quinam? &

quem? Iuniores ſuperiorem; flagitioſi eum, qui non erat eiuſmodi; contempti, & inglorij eum, qui clarus quondam, & inſignis extitit. Breuiter deinceps eorumdem innuit imbecillitatem, dum ait,

Et robur manuum eorum vt quid mihi?

Olymp. Hoceſt, nunquam eorum opera egui. Quid ergo attinebat eiuſmodi apud me verborum genere vti?

Super eos perditio, [1] *vtilitas.*

[1] συντέλεια. vis græcæ uocis eſt multiplex. Chryſoſt. pro utilitate ſumpſit.

Aut hoc dicit, ij, qui pœnas quondam ſuæ improbitatis debebãt, repente ſunt erepti ſupplicio; aut, quia ob ſummam inopiam expetebant interitum, nec eius rei compotes erant; aut, quia nihil unquam ij boni geſſerunt. Ego vero, cum Symmachi interpretationem attenderem, quæ ipſa eſt huiuſmodi. Perijt ijs omne, quod eſt ad vitam, Synteliam dici puto, quęcumque uitæ præbent utilitatem; quorum penuria Iobi premebantur aduerſarij: ſuper ipſos enim perijt Syntelia; ideſt, rerum ad uitam utilium abundantia. Id ea, quæ ſequuntur, confirmant; nam addit.

In egeſtate, & fame ſterilis.

Olymp. Quod dicit eſt huiuſmodi. Quiſque eorum ſterilis erat, ideſt, inops, nihilq. frugis, fructuumue habens: & nimirum egeſtate, ac fame magnopere conflictabantur. Vel illud, *Sterilis,* pro hoc altero eſt: Nec reperire, nec parere rationem quampiam uitæ ſuſtinendæ poterat.

Qui heri fugiebant maquoſam, anguſtiam, & ærumnam.

Qui heſterno, inquit die, ac nuper anguſtijs & miſerijs premebantur: ſuamq. regionem ut incultum agrum, ac ſterilem, ut ſolum derelictum, ac deſertum reliquerant. Eos, ut minime ingenuos accuſare uidetur, qui ex obſcuris locis, ac parentibus eſſent. Hęc autem eo Beatus perſequitur, quo ipſi a ſordibus, cõtemptisq. hominibus iniuria affecti, ne quaſi ſoli ipſi hæc patiamur, animo feramus iniquo: quando is, cuius uirtutis tanta erat auctoritas; qui copijs & honoribus affluentibus erat; eadem, quæ ipſi, atque adeo, quàm nos, grauiora dicitur eſſe perpeſſus.

Qui circumdabant alima in ſonante.

Symmachus autem, Vellicantes cortices plantarum. Alima herba eſt quædam, ut aiunt, quæ celeriter explet comedẽtem, gignitq. ſatietatem. *In ſonante* autem, ideſt, in uallibus, locisq. ſaxoſis. Eiuſmodi

modi enim loca apte perſonant, loquentibusq. reſpondent. Aut adeo nemoribus conſitum locum, qui uentis perflatur, ſonantem dicit. Olymp. Dicit igitur, ſyluas atque conualles huiuſmodi homines obire, atque ea luſtrare loca, propter quæ labentes aquæ ſonitum, ac murmur edunt; ut, graui inopia coacti, inuentis herbis, atque ex arboribus detractis, raſisq. corticibus, uitam ſuſtineant.

Quorum alimenta erant alima. Inhonorati autem, & contempti, egentes omni bono, qui & radices arborum manducabant præ magna fame.

Symmachus autem: Et radix lignorum agreſtium comeſtio eorum. Duarum rerum illis dat teſtimonium, tum ſummæ egeſtatis, tum nequitiæ ſingularis. Illam ſignificauit, cum dixit: Cortices, & radices arborum mandebant. Hanc uero oſtendit, cum eos a quouis bono inopes appellauit. Niſi ſiquis hoc item loco boni nomen ad ea, quæ ad uictum referuntur, uelit pertinere. Chrysost. Eſt illa altera etiam improbitas, in egeſtate hoſce homines uerſari.

Inſurrexerunt in me fures, quorum domus ipſorũ erant foramina petrarum: in medio bene ſonãtium clamabunt.

Symmachus autem, Inter plantas agreſtes, ſonantes famelici.

[1] *Qui ſub ſiccis virgultis commorabantur. Inſipientium filij, & inhonoratorum nomen & gloria extincta a terra.*

[1] Sub ſarmentis agreſtibus Amb.

Olymp. Hi, inquit, ad latrocinia conuolabant, quibus in petris domicilia erant; qui cauernas, & ſolitudines colebant; aridisq. ad latendum atq; ad fallendos eos, qui præteribant, uirgultis tegebantur; ex inſipientibus inſipientes; ex turpibus, atque deſpectis, turpes, atque deſpecti; ex inglorijs, atque obſcuris, inglorij atque obſcuri.

Nunc autem cithara ego ſum ipſorum, & me prouerbium habent.

Symmachus melodia. Cantio, inquit, & carmen effectus ſum eorum; measq. calamitates pro quouis alio ſermone habent in ore. Chrys. Viden, quænam præcipuam ei moleſtiam adferant? nempe ab illis, maledictis, quibus ijdem lædebantur, uerberari.

Abominati autem ſunt me, recedentes longe: a facie autem mea non pepercerunt [1] *ſputo.*

1 Spuentes Symmachus.

OLYMP. Vbi, inquit, ad me propius acceſſerint, ſputisq. fœdauerint, longe recedunt: propterea quòd rem me plane deteſtabilem, atque odioſam ducunt.

Aperiens enim pharetram ſuam, afflixit me, & frenum faciei meæ emiſit.

OLYMP. Hoc item loco a Iuſto Diabolus uulneratur; cum illum negat quidquã aduerſus ſe poſſe: aitq. a Deo ſibi uno plagas eſſe inflictas. Dicit autem, Frenum, quo mea propemodũ facies vinciretur, mihi iniecit; ut illud ſignificet. Silentij uinclis os meum adſtrinxit, cum mihi libertatem orationis ademit. Interea cunctis meas ærumnas ad impietatis exemplũ uſurpãtibus, mihiq. obijcientibus.

A dextris germinis inſurrexerunt.

OLYMP. Aut hoc dixit, Quando rerum copia, & ubertate ego florebam, in me illi inuadebant. Aut hoc ſignificat, laudabiles meas actiones, ac iuſta facinora inſectantur, cum me incorrupta mente pietati operam nauaſſe inficiantur.

Pedes ſuos extendit: & vias fecit ſuper me, ſemitas perditionis eorum.

OLYMP. Poſtquam ipſe, inquit, Deus in me ſeſe incitauit, ijs eſt ad irruptionem uia patefacta, Deo illis ipſis cedente, atque ad me inuadendum ſemitam propemodum muniente. Aquila pro, *Semitas perditionis*, [2] Colluuionis dixit, quaſi enim aqua, quæ impetu fertur, ſic loquacitatibus atque audacibus conatibus multorum impetum Deus, quaſi uiam complanauit.

2 ἐπικλυσμοῦ. Scaturiẽtis aquæ.

Attritæ ſunt ſemitæ meæ, exſuit me ſtola mea.

OLYMP. Meæ, inquit, felicitatis uiæ ſublatæ ſunt omnes; veſtem felicitatis a me Deo, ideſt, opem ſuam, auferente.

Iaculis ſuis ſagittauit me; vſus eſt autem me, ſicut voluit.

Ex his vim cruciatus, atque acerbitatem docet. Illud autem, *Sicut voluit*, hoc ualet: Cauſſa mihi prorſus eſt ignorata.

In

In doloribus concretus ſum: redeunt autem mihi dolores: abijt ſpes mea, ſicut ſpiritus, & ſicut nubes, ſalus mea.

Olymp. Rebus, inquit, aduerſis circumuallatus ſum; atque cruciatibus, & pœnis concretus ſum; meiq. dolores inſtaurantur; atque ex reditu erucior; hoc eſt; multo uehementius affligor. Quicquid autem mihi relictum erat ad ſpem meliorem, omne euanuit; ſeu, quemadmodum eſt Symmachus interpretatus, *deſideria mea, inſtar venti, qui præteriit, & nubis, quæ diſſoluta eſt. * κατεθύμια.

Et nunc effundetur in me anima mea; habent autem me dies dolorum; nocte autem oſſa mea combuſta ſunt: nerui autem mei diſſoluti ſunt.

Illud, *Effundetur anima mea*, huic reſpondet: Non habet, ubi cõſiſtat. Quaſi dicat. Ratiocinando æſtuo; quandoquidem nec Deum iniuſtitiæ mihi condemnare fas eſt, nec mihi ipſe cuiuſquam rei ſum conſcius. Sic autem die, nocteq. excrucior, ut & oſſa ſint mea exuſta, & animi nerui ui doloris plane ſoluti, atque opprimẽtium, vrentiumq. cruciatuum magnitudine prorſus eliſi.

In multo robore apprehendit veſtimentum meum, ſicut 1 periſtomium circumplexus eſt me.

1 Eſt ſuperior veſtis ora, collũ undique amplectẽs, ac premens. Ambro. circumorale tunicæ meæ.

Olymp. Tranſlata vſus eſt oratione, Nam, qui periſtomio cuiuſpiam collum conſtringunt, ſuffocant illum, & ſtrangulant. Dicit igitur. Quia me arctius complexus eſt, perinde me comprimit, & ſtrangulat, ſicut cum anguſta ueſtis ora iugula aſtringit, premitq. uehementius.

Exiſtimaſti autem me ſicut lutum in terra; & in cinere pars mea. Clamaui autẽ ad te, & non exaudis me.

Olymp. Vt filius apud patrem, ſic ille apud Deum opplorat; naturæq. humilitatem ad precationem adhibet. Cogita, inquit, ô Domine, me terram eſſe, & mihi rurſus in terram abeundum eſſe; & ne auertas orationem meam. Illud uero, *Non exaudis me*, eximiam quamdam erga Deum caritatem oſtendit. Sic enim loquitur, quia ab eo ſe eredit audiri. Vt autem mea fert opinio, illa, *Sicut lutum me exiſtimaſti*, & quæ ſequuntur, non ideo a Iobo dicuntur, ut deſpectam naturæ præſeferat condicionem? ſed quaſi affectu quodam, & indignatione commotus, ſic loquitur: ſiquidem

contemptum quoddam eſt lutum, nec ullius pretij eſt homo; quod illi eſt a Deo pars non in rebus pretioſis, ſed uiliſsimis, in cinere, inquam, & puluere, quæ pedibus obteruntur, conſtituta: atque ob id ipſum non auditur.

Steterunt, & conſiderauerunt me.

OLYMP. Vel cum me irriderent; uel cum meæ calamitatis pondus admirarentur.

Inſultaſti autem mihi abſque miſericordia: manu forti verberaſti me; conſtituiſti autem me in doloribus, & proieciſti me a ſalute.

OLYMP. Norunt uidelicet ſancti magnam, atque adeo inexplicabilem Dei eſſe miſericordiam. Ita Dauid miſericordiam ſibi poſtulat tribui. Huc ergo cum Iobus ſpectaret, dicit ad Deum, *Inſultaſti mihi abſque miſericordia*. Etenim, ſi tua magna uſus eſſem miſericordia, his ego ærumnis haudquaquam exercerer. Ergo hominis cum gemitu obteſtantis, & miſericordiã quærentis illa uerba ſunt, non arrogantis, aut uero indignantis, grauiterq. ferentis.

Scio enim, quia mors me conteret. Domus autem omni mortali eſt terra. Vtinam poſſim me ipſum [1] *interficere, aut rogare alium, vt hoc mihi faceret.*

OLYMP. Illud, inquit, teneo mortalem me eſſe, ac plane periturum: cuilibet enim homini domus pro ſepulchro ipſa terra eſt conſtituta. Libenter igitur, ac breui tempore ex harum calamitatum fluctibus emergerem; ſi aut meæ cædis ipſe eſſem auctor, dummodo id ſine ſcelere mihi facere liceret; aut alium quempiam ad meam cædem precibus ſolicitarem. Vtinam mihi id licitum eſſet. Sane quidem feciſſem. Nunc autem, eius rei eſt mihi erepta poteſtas: ſibi enim ipſi manum conſciſcere, uetitum eſt. CHRYS. Vides, ut illud, *Vtinam poßem*, non ad uirium imbecillitatem dicat, ſed ideo, quia prohibeatur? nefas enim eſt, atque ſceleſtum, ſeipſum de uita ſubducere. BASILII. Hinc & plagam intolerabilem eſſe comprobabatur; & mentis pietas ſeruabatur incolumis. In eos enim, qui ſibi ipſi necem conſciſcunt, homicidij pœna eſt conſtituta.

[1] Ita etiam Aug. græce χειρώσασθαι. Vide additionem A. ex cõmẽtario, Euagrij de uerbo hoc χειρώσασθαι lõge quædam alia, atque ceteros Doctores efferentis.

Ego autem ſuper omni impotente fleui: ingemui autem videns hominem in neceßitatibus. Ego intendens bonis, ecce obuiauerunt dies malorum.

OLYMP.

Olymp. Poſtquam multa ſua recte facta narrauit: quemadmodum, inquam, uarie calamitoſis ſubuenerit; quemadmodum neceſſarijs rebus largiendis egentium inopiam ſubleuarit; quemadmodum ijs, qui per iniuriam oppugnabantur, fuerit opitulatus; quemadmodum ægrotantibus curationem pro uiribus adhibuerit; quoniam genus quoddam reliquum erat hominum, quorum haud ſanabile erat malum: cui nullum humanum reperiebatur remedium; huiuſmodi etiam hominibus ſe id, quod ſuum erat, hoc eſt, communem ſenſum doloris, tribuiſſe teſtatur: dum ait; Iis, quibus ipſe auxiliari non poteram, quibus unius Dei manus præſto eſſe poterat, communem ſenſum doloris præbui, lacrymas, & gemitum. Atque ipſe, *cum præſtolarer bonis*, hoc eſt, cum eſſem beatus; tanquam ſi diceret: Non uoluptatum illecebris delinitus, non deceptus diuitijs, de alienis calamitatibus oculos deijciebam; immo uero eas meas eſſe, ac proprias ducebam; atque ijs, quæ in manibus habebam, bonis anteferebam. Nunc autem ipſe miſere perditus parem doloris communionem nuſquam reperio: nec enim quemquam habeo, qui neceſſaria, atque calamitoſa hæc mea tempora doleat. Chrys. Nimirum, cum florerem ipſe diuitijs, nil feci eiuſmodi: non alienis ærumnis lætatus ſum: contra quàm mihi nunc accidit, cuius ærumnæ multorum oblectant animum; contra potius ego in alienis malis fleui, atque ingemui. Atqui, ô amice, haud leue hoc eſt, mentem habere ad condoleſcendum idoneam. Ego uero illud, *cum præſtolarer bonis: ecce obuiauerunt dies malorum*, ſic interpretor. Ego quidem ob partem alieni mali ſponte ſuſceptam, bona expectabam: uerum me ſpes longe fefellit. Symmachus autem ſic extulit, Bona exſpectabam: uenerunt autem mala.

Indue hunc animi affectum.

Venter meus efferbuit, & non tacebit.

Olymp. Ideſt, mea uruntur præcordia, ac tacere non poſſum. Vis enim cruciamentorum incredibilis exclamare me, & eiulare cogit: nec uocem comprimere utcumque permittit. Cauſſam porro, cur ſuas tragice exagitet miſerias, & præclara enumeret facinora, eam eſſe docet, quòd animum gerat malis confertum; animum enim uentrem appellauit. Efferueſcere autem eſt, cum aqua igni concalefacta feruet, atque ebullit. Sic mihi, inquit, cor feruet & ardet; nec fieri poteſt, ut ſileam. Symmachus quidem pro eo, *Non tacebit*, cum dixit: Non ceſſauit, quamdam aliam a nobis interpretationem requirit, nimirum perpetuum eſſe, nec unquam intermittentem dolorem; quia enim ueriſimile erat efferueſcentem ani-

mum iterum deferueſcere,atque conſiſtere;ut doceret, etiam nunc cordis æſtum manere,addidit,Non ceſſauit.

Præoccupauerunt me dies paupertatis: gemens ambulaui, ſine [a] *freno ſleti in cœtu clamans.*

Cauſſam adfert,cur cordis eius æſtus minime ceſſet.Summa,me, inquit,oppreſsit inopia. Idcirco ſine freno,inquit,ingemiſco, hoc eſt, ipſa patientia quaſi freno quodam fletus magnitudinem, atque perpetuitatem nequeo cobibere. Verum intemperanter, effuſe, ac denique effrenate ploro, & gemo, nec cœtus interim frequentiam reuerens,& coram multis,qui circumſiſtunt,uociferãs.[b] Hoc enim ijs accidere ſolet, qui dolore uruntur: ut propter imbecillitatem uocem contineant: rurſus autem doloribus morã efficientibus uocem edant contentius: illud autem ſleti in cetu uociferans, perinde intelligi poteſt,ut aiebat Apoſtolus *tamquam purgamentum factus ſum in mundo.* 1.Cor. c.4.

a Sine freno, ἄνδ ειμοῦ ſic in noſtro Codice ſic in Aldinis, & Argentinis impreſsis, & Vaticanis. in Complutenſibus, & apud Ambroſ. θυμοῦ.

b Hoc item habebat Olymp. interpretatio in Cat. Pinelli.

Frater ſum factus [c] *ſirenum, ſocius autem ſtruthionum.*

Olymp. Sirenes aues quaſdam, quæ canere ſoleant, appellat; alcyonas inquam aut ululas: utrumque enim genus eſt animantis luctuoſum. Struthiones autem, ſtruthiocamelos, quemadmodum interpretatus eſt Symmachus,animalia ſunt,quæ ſolitudinẽ amant. Hæc igitur eo Iobus dicit,quia extra urbem, ac ſub dio commorabatur. Chrysost. In lugubrem auium cantum incidi; meam naturam dedidici; nihilo ſum his auibus melior.

c Sirenas, ſiue ſint monſtra marina, uti eſt in commentitÿs Poetarum fabulis; ſiue, ut placuit Clitarcho in India aues quæ ſuo ipſarũ cantu conſopitos homines lacerant, uero in rerum natura exiſtere haud credunt ſapientes. Conſule Plinium natur. hiſt. li. 10. c. 49. ſi uero ea ſint animalia, de quibus eſt in cõmentario Olympiod. uera eis natura negari nõ poteſt. Struthionem deſcribit Ariſto. in 1 de par. anim. c. extremo & Plin. li. 10. c. 1.

Cutis mea obtenebrata eſt ualde.

Olymp. Ceteri, Denigrata eſt in profundo. Id autem non tam ei ex Sole,quàm ex morbo,ac plaga accidebat. Nam quæ extabeſcit caro,infuſcatur, & nigra euadit.

Oſſa autem mea combuſta ſunt præ caumate.

Cum enim ſub dio reſideret in ſtercore, diei æſtu exurebatur: ſed multo magis ob immoderatũ ulceris incendium atque feruorẽ.

Abijt in luctum cithara mea: pſalmus autem meus in planctum mihi.

Olymp. Ea, quæ mihi iucunda erant,ad luctum reciderunt omnia. Quæ quidem ait, ut ad miſerendum Deum alliciat. Deinde rurſus in ſuorum recte factorum commemorationem ingreditur.

ADDI-

ADDITIONES IN CAP. XXX.

A *Utinam poſſem me interficere, aut alium rogare &c.*

EVAGRII.

ILLVD, interficere, non erat in Tetraſelido, neque apud ſeptuaginta, neque apud reliquos quorum comparauimus interpretationes. Verum illa ipſa uerba ad formam hanc moratæ orationis traduci poſſunt, in quã is incurrit, qui aut moleſtia, aut pudore, aut quapiam alia egritudine oppreſſus, ſermones promit imperfectos.

Τὸ χειράσασθαι οὐκ ἔκειτο ἐν τῷ τετρασελίδῳ, οὐ δὲ παρὰ τοῖς ō οὔτε παρὰ τοῖς λοιποῖς, ὧν καὶ τὰς ἐκθέσεις παρεθέμεθα. δύναται δὲ ἠθικῶς παραλελεῖφθαι κατ' ἀρχαίαν συνήθειαν. τοῦτο δὲ γίνεται, ἡνίκα λύπη τις, ἢ αἰδὼς, ἢ ἄλλό τι πάθος ἀτελεῖς προσφέρειν ποιοῖτο τοὺς λόγους.

INTERPRETIS ADMONITIO.

Hęc Euagrius. In cuius uerbis duo mihi admirabilia uidẽtur, unũ eſt, quod locum hunc adeo inſignem neget aut in Tetraſelido, aut apud ſeptuaginta, aut apud quempiam alium interpretem extare; quem tamen locum Baſilius, Chryſoſtomus, Olympiodorus in hac ipſa Catena exponunt. Nilus etiam in quodam ſuo libello de cogitationibus eundem profert. S. Ambroſius in 2. lib. de Interpellat. Iob. & Aug. in libro unico in Iob non reſpuunt. ſcilicet hi omnes Doctores non ſedulo nos commonefeciſſent; ſcilicet eumdem ipſi explanauiſſent, niſi ex ſacra 70. editione eſſet? Reperiũtur hæc ipſa uerba in peruetuſtis Biblijs Vaticanis; nuper Romæ iuſſu Gregor. XIII. quã diligentiſſime emendatis, maximeq. omniũ incorruptis; ſed alterum haud quidquam minoris admirabilitatis habet; quòd exiſtimat Euagrius eiuſmodi uerba Iobo excidiſſe minus perfecta, nõ ſecus quàm excidere ijs ſolent, qui aut moleſtię, aut alterius cuiuſpiam perturbationis impetum ferre non poſſunt.

B *Gemens ambulaui ſine freno. Steti in cetu clamans.*

OLYMP. Hoc enim accidere ſolet ijs, qui dolore uruntur; ut propter imbecillitatem uocem contineant, rurſus morſum doloribus efficientibus uocem contentius effundunt. Illud autem *ſteti in cetu*
1. Cor. *uociferans*, perinde intelligi poteſt: ut aiebat Apoſt. *Tamquam pur-*
4. *gamentum factus ſum in mundo.*

Pactum

CAPVT XXXI.

Pactum poſui oculis meis; & non intelligam ſuper virgine.

CHRYSOST.

SYMMACHVS autem: Et nihil cogitaui de uirgine. Scilicet Euangelicę diſciplinæ abſolutionē eſt Iobus complexus. Nā, quæ poſtea CHRISTVS ſciuit, ac iuſsit, eadem reipſa perfecit. Et quoniā, *qui viderit ad concupiſcendum, iam mœchatus eſt*; idcirco Matt. c. 5. oculum ſuum erudiebat, ut ne uirginum formas, pulchritudinesq. ſpectaret, curioſeq. perſequeretur. Quid dixerint illi, qui uirgines habent adſcitas? qui illarum conuictu atque ſocietate nec ſe commoueri turpiter, nec lædi confirmant? Quamuis enim res ita ſeſe haberet, offenſionem tamen aliorum caueri oportebat. Sit ita ſane; integer ipſe, & nullo improbo affectu commotus inter uirgines uerſere. At eos, qui ſunt infirmi, percelles. Et uero Beatus hic Iobus tantum in ſe roboris, & philoſophiæ ineſſe teſtari haud quaquam eſt auſus: uerum is, qui omni uirtute functus erat; qui retia Diaboli cuncta eluſerat; qui primus, ac ſolus, tantam animi conſtantiam, ac fortitudinem oſtentarat; qui inuicto animi robore, quod uis ferrum, atque adamanta ſuperarat; qui Diaboli neruos conciderat, uirginem ſic tamen reformidabat, * ut incorruptū, atque integrum cum uirgine commorari, ex earum rerum genere, quæ fieri non poſſunt, eſſe ſtatueret: nec tantum ab huiuſmodi contubernio atque commercio longius ſe remouebat; ſed ab ipſo etiā adſpectu & occurſatione ſeſe plane abducebat; legemq. hanc ſuis oculis ſanxit, ut uirginem ne uideret omnino, *Pactum*, inquit, *poſui oculis meis; & non intelligam ſuper virgine*, ideſt, non contemplabor, non cernam. Nouerat enim, nouerat, non modo eum, qui cum uirginę familiariter uiuit; ſed ne eum quidem, qui uirginis formam intuetur, non dicam ægre, ſed prorſus nulla ratione uitare poſſe incommodum, ac detrimentum. Vtrum tibi Iobus ad certamen puſillus uidetur? Atqui ne ſterquilinio quidem eius digni ipſi ſumus; & tamen hoc tu tantum exemplum animi tui altitudine inferius ducis. Beatum Paulum cogita, cum inquam, qui, poſteaquam eximiæ philoſophiæ partes omnes expleuerat, corpus uexabat ſuum, *& in ſeruitutem redigebat*, vitamq. aſſuetam certamini traducebat. 1. Cor. c. 9. Quamobrem, cum rei difficultatem CHRISTVS teſtaretur,

* καὶ ἐνόμιζεν ἀδυνατον εἶναι συνοικοῦντα παρθένῳ μένειν ἄσπιλον, καὶ καθαρόν.

teſtaretur, uel ipſos mulierum uetuit adſpectus. Quinetiam adulterorum ſupplicia ijs, qui cernerent improbe, eſt minitatus. Neque uero de non ducenda uxore legem quampiam tulit; uerum, ut rei naturam doceret, dixit, *Qui poteſt capere, capiat*.

Mat. c.19.

Et quid partitus eſt Deus deſuper? & hæreditas Sufficientis ex altiſsimis.

Quamobrem, inquit, poſt tantam diſciplinæ abſolutionē huiuſmodi mihi partem, & hęreditatem potens atque altiſsimus Deus diuinitus eſt elargitus? prorſus eius rei ignotæ ſunt mihi rationes: CHRYSOST. Nec enim dicere cuiquam fas eſt, me pœnam hanc ideo luere, quòd diuitijs, & ſuperioribus bonis ſim ad ſocordiam, atque mollitiem abuſus; ad hunc autem ſtatum me demigraſſe, Deo mihi ſalutarem, idoneamq. medicinam adhibente. Etenim hominem [r] mulieroſum, uoluptatumq. illecebris, ac delicijs diffluentem, rebusq. ludicris ſtudentem iure optimo quis in aduerſam, atque contrariam uitæ condicionem conieccerit, uitæq. acerbę, & luctuoſæ addixerit: eum uero, qui comeſſationes uitarit: qui homines ioculares, & mouentes riſus repudiarit, qua tandem ratione quis in hanc tætram, mæſtamq. uitam præcipitauerit?

r Eſt in Catena φιλόξενον: mallē φιλογύναιον.

Væ perditio iniuſto; & abalienatio facientibus iniquitatem.

OLYMP. Non propter peccata perpeti illa ſe Iobus arbitrabatur: nec opinione fallebatur. Probatio enim erat illa uirtutis, non malorum remuneratio. Eos uero, qui ſecus de illo exiſtimabant, non in numerum impiorum adſcribit; ſed uæ, Deiq. diſsidium illis ipſis denuncians, deplorat. Fortaſſe etiam hic uerſus cum ſuperiore ad hunc modum cohæret: dixit enim. Quid mihi partitus eſt Deus? ut planum faceret, haud ſe illo dignum eſſe ſupplicio, neque ſuæ uirtuti cruciatus, dolores, gemitus atque egeſtatem pro mercede deberi. Quare adiungit, *Vę perditio*: longius a Deo amandari ac profligari, in homines iniuſtos conuenire. *Nonne ipſe uidebit uiam meam, & omnes greſſus meos enumerabit?* OLYMP. Neque enim meas uitæ rationes Deus ignorat; leuiſsima quæque tenet momenta; ut, quemadmodum me percuſſerit, prorſus ignorem. CHRYSOS. Nec quiſpiam dixerit, me quidem uitam ſocordem, effeminatam, ac lubricam refugiſſe; poſtquam autem morbo, fameq. contabui, uitamq. acerbam, ac duram expertus ſum, ad uitia uitæ priori con-

contraria demigraſſe, ad improbitatem inquam & fraudem deflexiſſe. Quin ab utriuſque uitę ſcelere peræque declinaui.

A *Si autem ambulaui cum irriſoribus.*

Symmachus autem, Cum uanitate; ideſt, neque hominum riſum facientium ſum conſuetudinem, congreſsionemue ſecutus. IVLIANI. Videtur hoc ſuperiori orationi contrarium. Nam dixerat, Euaſit in luctum cithara mea. Verum longe res ſe habet aliter, neque enim organorum vſu prohibitus erat; quandoquidem hoc ipſum cum pietate fieri poteſt: in templis enim ſunt illis ipſis uſi. Irriſores igitur dicit eos, qui comeſſationibus, atque ebrietatibus indulgent. OLYMP. Et hoc animaduerte quemadmodum culpa vacare nolit, cum ſcurris, atq; irriſoribus congredi. Quam ob rem diuinus Apoſtolus [a] ſcurrilem iocum nobis abijciendũ eſſe ſuadet. Ita nec * feſtiuitates ſunt admittendæ. *Epheſ. cap. 5*

Si autem & feſtinauit pes meus ad dolum.

OLYMP. Pes, inquam, animæ meæ. Nempe hoc dicit. Nunquam aduerſus quempiam fraude ſum uſus.

[1] *Steti enim in ſtatera iuſta.*

Et Aquila, Appendit me in ſtatera iuſta. Ac ſi dicat; In honeſto, atque in uirtutis medio conſtiti, atque utriuſque uitioſæ partis diuerticula peræque uitaui, pariter que exuperantiam, defectionemque fugi, æqualitatem ipſam adamaui, & colui. Quantum vero ex Aquilę interpretatione intelligi poteſt, uidetur quidem Iuſtus Deo uirtutem ſuam adſcribere.

Nouit Dominus innocentiam meam.

CHRYS. Harum ipſe rerum teſtem non hominem, qui & gratificari poteſt, & multa ignorat, appello; ſed nimirum eum, qui abdita, arcanaque perfecta quadam ſcientia comprehenſa habet; qui & meam iuſtitiam æquis ponderibus examinauit; atque innocentiam meam perſpexit. OLYMP. Hæc ipſa de Iobo Scriptura teſtata eſt; cum eum innocentem, iuſtum, & erga Deum pium prædicauit.

Si declinauit pes meus de via.

OLYMP. De uia, inquam, pietatis, atque uirtutis, ſicut dixerat. Steti in ſtatera iuſta, nec de recta uia deflexi. CHRYS. Quod nunc leue eſt, ad illorum temporum rationem uidelicet magnum erat; fortaſſe etiam ad noſtrorum non exiguum. Etenim non concupiſcere, ipſum quidem magnum eſt; illud uero nihilo minus, conceptam cupiditatem reipſa minime explere. Quamquam longius progreſſus

a Propter Apoſtolum, qui in epi ad ephe. cap. 5. eutrapelium, ſeu Vrbanitatem tamquam malum prohibet, D. Chryſoſtomus acri oratione inſectatur Vrbanas facetias, ipſamq; eutrapeliã: quæ tamen apud Ariſt. eſt virtus in 2. Eth. c. 7. et in lib. 1. magnorum moral. cap. 28. cuius opinionem ſecutus eſt D. Thomas in 2. 2. q. 6. art. 5. & ſine peccato eam in ſermonibus adhiberi oſtẽdit in 2. 2. q. 72. ar. 2. ad 2.

* τὰ ἀστεῖα.

1 Appenſus ſum Ambr. nos ex cõmentario hauſimus interpretationem verbi.

greſſus, maius etiam aliquid adfert, cum nil eiuſmodi ſuos oculos paſſos eſſe dicit: ait enim.

Si oculum ſecutum eſt cor meum.

Hoc eſt, nequaquam earum rerum, quas oculis hauriebam, cupiditate inflammabar; neque uitioſi propterea in animo meo ciebantur affectus. Nec dixit, Oculus meus; ſed, *Cor meum*, ne mẽtem quidem corrumpi ſum paſſus, nedum corpus. OLYMP. Diuinus ait

Io. 1. Ioannes, *Omne quod eſt in mundo, aut concupiſcentia carnis eſt, aut cõ*

c. 2. *cupiſcentia oculorum, aut ſuperbia vitæ*. Dicit igitur Iobus: Nil unquam, aut cum animum adieciſſem, aut cum laudaſſem, concupiui. Atqui ad affectus hoc pertinet uacuitatem, ea quidem, quæ digna ſunt in hac rerum uniuerſitate, laudare, ut corporum ſymmetriam, atque proportionem, ut colorum uarias temperationes, ut lapidũ ſplendorẽ, ac nitorem; nec tamen rerũ huiuſmodi capi cupiditate.

Si autem manibus meis tetigi donum, feram vtique, & alij comedant: abſque radice ſim ſuper terram.

Symmachus autẽ apertius; Et progenies mea eradicetur. Nempe hæc Iobus dicere nequit, qui inops ſit liberisq. orbatus. Quid igitur dicendum? aut ipſum hæc ante calamitatis tempus locutum eſſe; aut, tamquam iuſtum rurſus uitæ lętæ ſpe niti. Quantum uero ad noſtram pertinet inſtitutionem, ac diſciplinam, hæc ipſa Dei permiſſu ideo dixit, ut, cum hæc ipſi legerimus, atque animos tumidos ſublatosq. habuerimus, dicamus: Si munera accepimus; ſi tale quidpiam admiſimus, hæc item perferamus.

Si autem ſecutum eſt cor meum mulierem alterius viri: ſi etiam inſidiator factus ſum in ianuis eius.

Alij pro ἐγκάθετος, Inſidiatus ſum, dixerunt.

Placeat vtique, & vxor mea alteri: & paruuli mei humilientur.

OLYMP. Quoniam *concupiſcentia, vbi cõceperit, parit peccatum.* Ideo ipſum, inquit, peccatum ex corde radicitus euellebam; ne uia

Iac. ſceleri pateret. Illud autem, *Placeat vtique & vxor mea, alteri*, æqua

c. 1. litatis ſtudio dixit. Etenim ſic mihi ante ærumnas ſuaſor eram; ut, ſi cui malum molitus eſſem, illis ipſis egomet implicarer; atque ijs, quæ geſiſſem paria acciperem. Hæc uero ad ea pertinere, quæ morbi calamitati anteceſſerunt, uel illud non obſcure declarat, *Paruuli autem mei humilientur*. Iam enim illi erant morte erepti. Verum

quo

quo pacto paruuli humiliantur? nempe quando adulteræ filij nuncupantur, atque ea re ſeſe abdunt. Demittit enim filius animum, & libertate ſpoliatur, cum in matris ſcelera oculos conuertit.

Furor enim iræ eſt, qui retineri non poteſt, polluere viri vxorem.

Olymp. Adulterium enim, inquit, Deum irritat, atque adultero ſupplicium irrogat, quod uitari non poteſt. Fortaſſe etiam non illud, quod illic futurum eſt, ſupplicium dicit; uerum eam, quæ in hac uita contingere ſolet, uiri zelotypiam; quam Salomon his uerbis in Prouerbijs indicauit, *Quia nec donis placari poteſt qui in ſua v-* Prou.
xore eſt affectus iniuria: cuius alius torum contaminauit. Rem hanc, 16.
quæ mox ſequuntur, claram faciunt.

Ignis ardens eſt ſuper omnes partes.

Ivliani. Hoc ſcelus eſt; hæc eſt immanis iniquitas. Qui enim torum uiolat alienum, ingens hic incendium exciтat malorum. Nã uiro iniuriam facit; uxorem contaminat; ſuſpectos liberos, incertosq. reddit; cum Prouidentia certat; habitudinem diuidit; uiro ſtruit inſidias. Tantum examen malorum ex intemperantia adulterij exiſtit.

Cuius autem ſuperuenerit, a radicibus perijt.

Chrys. Neque enim, inquit, iniuriæ magnitudinem neſciebam. Eam enim domum, quam ingreſſa fuerit, extirpat radicitus. Têperantiam uidiſti; humilitatem nunc intuere; ac quanta ea ſit, attẽde.

Si contempſi etiam iudicium famuli, ſeu famulæ meæ, cum iudicarentur apud me. Quid enim faciam, cum inquiſitionem mei fecerit Dominus? Si autem viſitationem, quid reſpondebo? nunquid non, quemadmodum ego factus ſum in vtero, & illi ſunt facti? fuimus autem in eodem ventre.

Contritam mentem, quæ hominum naturam conſiderarit; & quid ſeruus, quid homo liber ualeat, perſpexerit, animaduertiſti. Eam enim, quæ iactatur a multis, fugiens inæqualitatem, de æqualitate, quæ a communi ſumitur ortu, philoſophia dignam inducit orationem. Atque hoc in eo fuit admirabile; quòd cum hæc ageret non ideo indignum animo ſuo quidpiam ſe facere exiſtimabat; uerum neceſſario ſe muneri ſuo ſatisfacere arbitrabatur.

Quocirca

Quocirca rationẽ attulit, qua cũctis hominibus perſuaderet, cur nihilo de ſe quàm de ſuis ſeruis magnificẽtius ſentiant, quãuis millies ſint domini; hæc enim nomina,* Seruus, & Dominus, nuda ſũt nomina, re carentia; ſeruitus enim in peccato, libertas in iuſtitia ſita eſt: Vide etiam quemadmodum ſuam ubique laudationem concidat: atque egregia facinora remoueat. Haud quidpiam inquit, amplum feci: id enim natura ipſa exigit: communione enim iuncti ſumus uniuerſi. Ipſe enim ortus, ipſe in uitam introitus, cuncta ſunt denique communia. Ego illis haudquaquam ſum natura præſtantior. In eodem utero procreati ſumus, ideſt, ſimili modo, ut interpretatus eſt Symmachus. Ita nec liber, nec ſeruus ulla eſt a me iniuria læſus. OLYMP. Immo uero ſeruis meis liberæ orationis, atque ſuæ cauſſæ tuendæ poteſtatem faciebam: ut, ſi quid forte à me per iniuriam in eos committi ſuſpicarentur, audacter dicerent. Et non *contempſi*, ſeu, ut Aquilæ eſt explanatio, abieci, ſiuẽ deſpexi iudicium eorum, ideſt, ius. Ideo autem, ut id facerem, animum inducebam; quoniam a mea ipſe natura argumentabar, homines, ſiue ij ſerui, ſiue liberi ſint, omnes eſſe una quadam ratione generatos; unumque in cęlo Dominum obtinere; qui, cum omne diſcrimen reſpuat perſonarum, id ab unoquoque flagitat, ut iuris æquitatem alteri tribuat. *Si igitur inquiſitionem fecerit*, uel, ut Symmachus, ſi requirat, *quid ei reſpondebo?* Inquiſitionem enim, ipſam diſquiſitionem, uiſitationem autem diuinam caſtigationes ipſas dicit. Hac ęqualitate commotus; Dei æquitate fretus, ab eo poſtulat, expetitq. iudicium, Aliam eius quamdam æquabilem cõdicionem, admirabilemq. iuſtitiam uidiſti. Nunc quo ſenſu commiſerationis, quoue ſtudio pauperes proſequatur, cognoſce.

* Eſſe nuda uocabula re carentia, dixit Chryſoſtomus, ſi ad primũ humanæ naturæ ortum, ad ipſamue naturã humanam, ut humana eſt, animus referatur: nõ item nuda erunt, ſi ad eamdem naturã, ut nunc eſt labefactatam, & corruptam illa ipſa uocabula referãtur.

Impotentes autem, quamcumque habuerunt neceſſitatem, non fruſtrati ſunt.

CHRYSOST. Vides quemadmodum nullius deſpiciens erat? ut erat modeſtus? ut communis omnium medicus? ut portus cõmunis? ut calamitoſorum, atque egentium omnium commune perfugium? Quamcumque neceſsitatem, inquit, habebant, non illam quidem certe, hanc uero minime. Sed quamcumque tamdem, nulla excepta; quamuis ea periculis eſſet referta; quamuis ſumptus exigeret, quamuis periculoſa. Ac uide quemadmodum ijs opitulabatur, a quibus parem beneficij gratiam minime exſpectabat, uiduis, inquam, pupillis, omniq. ope deſtitutis hominibus.

Vidua

Viduæ autem oculum non tabeſeci.

De Deo; cum caneret Modulator, dixit, *Patris orphanorum, & iudicis viduarum*. Ac rurſus, *Orphano tu fuiſti adiutor*. Ergo, cum imaginem quaſi integram, atque incorruptam Iobus ſeruaret, imitabatur exemplar. Illud autem, *Non tabeſeci*, aut hoc ualet; Non ſum paſſus egeſtate, aut lacrymis, aut aſsiduo oculorum coniectu, intentioneq. contabeſcere; quod ipſum accidi ſſet, ſi nec rerũ, quas optabant, compotes fuiſſent, nec non deſpectæ fuiſſent. *Pſ.68* *Pſ.9.*

Si autem & buccellam meam comedi ſolus, & non orphanum eius participem feci; quia a iuuentute enutriui, ſicut pater: & ex ventre matris dux fui.

Chrysost. Vide, quanta hæc ſit miſericordia, qui uel perexiguam panis particulam partiatur egentibus. Illud uero, *E ventre dux fui*, huic par eſt; Infantes admodum, orbatos parentibus ſuſcipiebam ipſe; & quoad corroborata eſſent ætate, alebam, atque educabam; artiumq. diſciplinis erudiebam. Denique eos tamdiu manu duxi, dum mea opera haud magnopere egerent. Evagrii. Hinc intelliges, ab eo adoleſcentes, priuſquam ad eos uitium arreperet, ad uirtutis diſciplinam fuiſſe inſtitutos. Sic enim uerum erit, quempiam ex utero recta uia deduci. Hic autem iterandum eſt, quod antea diximus; iniuriam facere, ac beneficio non afficere, apud Iobum par eſſe. [a] Atqui non ſolum a peccato abſtinendum eſt, uerum etiam uirtus eſt arctius complectenda. Nec enim hoc tantum dixit, Non contumelia affeci pupillos; id quod a malo eſt abſtinere; verum patris more illos curaui; id quod ad uirtutis munus, & functionem iam pertinet.

[a] *Diuina id ipſum oratione perſuadet Chryſoſt. in epiſt. ad Epheſ. hom. 16.*

Si autem deſpexi nudum pereuntem, & non veſtiui; impotentes autem ſi non benedixerunt me.

Non modo alui, inquit, egentes, ſed etiam, cum nudi eſſent, indui; cum a frigore illorum uitæ periculum crearetur; ij uero, in quibus nil opis erat, de me prædicabant egregie, quòd ſibi ſedulo conſulebam.

De tonſura autem agnorum meorum calefacti ſunt humeri eorum.

Olymp. Ab humeris corpus ſignificauit uniuerſum: tota enim ueſtis ex ijs eſt apta. Videntur autem humeri ad frigoris accipiendas iniurias eſſe procliuiores: ideo ipſorum fecit mentionem. Cum

uero

uero in proferendo beneficio acre ſtudium, laboremq́. declararet; illudq́. nec perfunctorie, nec deſidioſe a ſe collocatum eſſe, e ſuorum gregum lanis nudis ueſtes ſe feciſſe confirmat.

Si leuaui orphano manum.

Symmachus autem, Contra orphanos.

Fidens quia mihi adeſt adiutorium multum: abſcedat humerus meus a clauicula;[1] *brachium autem meum a cubito meo confringatur.* 1 A iũctura Amb.

Clauiculam, uinculum, quo cum collo humerus iungitur, appellauit. Theodotio autem, & Symmachus pro, *Clauicula*, ille quidem, Ceruice; hic autem, * Scapularum ſummitate, interpretatus eſt. Si igitur irato animo, inquit, manum pupillo inieci; idq́. mea fretus potentia, brachium, quod huiuſmodi eſt auſum ſcelus, a ceruicum uinculo, iunctioneq́. auellatur. * ἀκρωμίου.

Timor Domini continuit me, a comprehenſione autem eius non ſuſtinebo.

Olymp. Hæc, inquit, ideo feci, quia diuino metu coërcebar: dum illud cum animo meo cogitarem: ſi me Deus per iniuriam quidpiam agentem, aut non bene merentem deprehendiſſet, intolerabile illius mihi ferendum eſſe ſupplicium. Symmachus pro, * Comprehenſione, Pondus eſt interpretatus. Chrys. Atqui eiuſmodi extitit Iuſti huius benignitas. Iam uero quis pecuniarum deſpicientiam uerbis aſſequatur? Et in hoc enim eius excelluit uirtus. Nec enim ab alieno tantum, quod his etiam temporibus plerique faciunt, cupiditatem abſtraxit; ſed etiam a rebus ſuis illam uehementer abduxit. Quamobrem aiebat. * λήμματος,

Si poſui aurum robur meum.

Symmachus autem, * Metus uacuitatem. * ἀφοβίαν μου.

Aduerſarius autem ſperauit in multitudine diuitiarum ſuarum.

Quòd ſi & in lapide pretioſo confiſus ſum: quòd ſi etiam lætatus ſum, cum multæ mihi eſſent diuitiæ.

Chrysost. Atque ob eam rem illarum amiſsionem ualde moderate tulit: cum uero illi adeſſent, earum copiam in egentes conferebat. Nec enim uirtutis partem ullam prætermiſit. Is uero, qui uſque adeo locuples erat, animo multo rectius affectus erat,

quàm ipſi illi,qui nihil habebant in bonis : neque enim is,cui nullius rei poſſeſsio erat,ſic in pecunia animum integrum ſeruabat,ut Iobus , qui tot rerum generibus abundabat. Etenim ubiq. animi propoſitum coronatum eſt. SEVER. [a] Sic Abrahā omni fortunarū genere locuples erat: ſed tamen animo paupertatem colebat; ſingulisq. d ebus materiem diuitiarum contemnens, diuitijs nihilominus, ut prodeſſet egentibus,augebatur. Et hic ipſe Iobus ipſam externorum bonorum,atque opum ſegetem aſpernabatur: idquod ex ijs, quos faciebat,ſumptibus liquet, ut ſpiritu pauper eſſet. Illi uero hoc unum ſtudium,& hanc contentionem fuiſſe in parandis diuitijs, ut eas ad beneficentiam cōferret,ex ijs,quæ iam ſunt expoſita, perſpicuum eſt. Illum etiam audies deinceps loquentem.

[a] Seueriani Archiep. Antiochent Apol. 113. ex Cat. Pinelli.

Quòd ſi in innumerabilibus poſui manum meam.

OLYMP. Ideſt, neque mearum opum uis extitit infinita. Fortaſſe igitur oues,cameli,omniaq. ipſius certo fuerunt numero; ut, quæcumque ſuperaſſent, in egentium uſum, ac ſumptum conuerterentur. Quamuis enim diuino munere diues erat,immoderatam cupiditatem tamen amputabat. Ita bonorum illorum poſſeſsione, nec tamquam præcipuis bonis lætabatur. Si enim uiris ſanctis caduca hæc bona,quaſi corollaria quædam & additamenta tribuātur, ut diuitiæ,ut gloria: nihilominus iſthæc illis haud præcipuam lætandi cauſſam adferunt. Alio quodam præcipuo ipſi illi gaudio perfunduntur, cuius quidem diuinus ſpiritus eſt auctor. CHRYS. Non cum fuiſſe Iobum, qui præſentia hæc bona magnopere adamaret, uel ex eo, quòd is loquitur, potes intelligere. Si & lętatus ſum,inquit,cum multæ mihi eſſent diuitiæ. Quid,ô bone vir,aís? quando circumfluebas diuitijs,minime lætabare? Minime uero,inquit. Quid ita? Quoniam, quàm incertæ, fluxæq. eſſent, minime ignorabam; haud ſtabilem,ac fixam illarum eſſe poſſeſsionem uidelicet tenebram.

B *An non video Solem quidem, qui ſplendeſcit, deficientem? lunam vero deficientem? non enim eſt in ipſis.*

CHRYSOST. Quod dicit,eſt huiuſmodi. Si ea,quæ in cęlo ſunt aſtra,uſque lucentia,viciſsitudini tamen ſunt obnoxia; Sol enim deficit,& luna minuitur: annon extremæ hoc fuerit dementiæ, quæ terrena ſunt, ea ſtabilia,ac firma putare? Hæc nimirum cauſſa erat, cur illum humana hæc bona nec oblectarent præſentia,nec abſentia angerent. Neque enim erat naturæ illorum ignarus. Hæc quæ ſplendeſcit,lux, interit,obſcuratur,nec uſquam apparet. Videſne,

quam

quam is cauſſam eſſe dicat eius, quæ in luminaribus cernitur, mutationis? An non ipſa rerum condicio, ac uis ſatis eſt nobis ad philoſophandum? An non ad Dei aucupandam notitiam ſatis? Cum Solis conſpexeris magnitudinem, opificem admirare: cum deficere illum uideris, mortalem rerum humanarum condicionem perdiſce. Si enim, quod ſplendore rebus omnibus, quæ ſunt in terris, antecellit, id tamen deficit, minuitur, & interit; multo magis cetera omnia. Si etiam id, quod uſque adeo utile, ac neceſſarium eſt, quo ſublato, uita eſt erepta mortalibus, commutationem tamen admittit, multo magis ea admittent, quæ tum ſuperuacanea ſunt; tum [a] nullam nobis neceſsitatem adferentia. Enimuero hæc loquebus commentabatur. OLYMPIOD. Ratiocinabar, inquit, egomet ad hunc modum, Si magna hæc, illuſtriaq. elementa diuino imperio atque decreto deficiunt: ecquid ipſe ex adeptis diuitijs aſſequar utilitatis? Diuitię enim a nobis diſcedent omnino, ſeu quòd eæ nos uiuos deſerent: ſeu quòd mortuos relinquent. Vt enim Sol deficit, & diem nox excipit, ac Luna diuino iuſſu conſeneſcit; ac denique magna hæc luminaria interitus, atque mutationes uitare non poſſunt, opificisq. nutui obſequuntur: (neque enim ſuo, ſed eius, qui ordinis eſt princeps, arbitrio reguntur) ſic ego quoque de diuitijs tamquam de re, quæ nuſquam conſiſtit, cogitabam: illudq. didici, neq uaquam eſſe mentis aciem in incertas opes intẽdendam, uerum illas in ſumptus neceſſarios erogandas.

[a] Exemplar habet, ϗ ἀναγκαίας ἡμῖν ἀποστερεῖσθαι. Verum rationem ipſa ſecutus antitheſis, putaui legẽdũ, ϗ οὐκ ἀναγκαῖαι.

Et ſi deceptum eſt clam cor meum.

Symmachus autem, Si dilatatum eſt. Sententia uero eſt huiuſmodi. Neque cor meum, inquit, latitudinem ullam, multitudinemq. diuitiarum, neque aliquam, quæ ex ea re exiſtere ſolet, finxit uoluptatem: neque eiuſmodi cupiditati mens mea ſpatioſas regiones conceſsit. Cum autem, *Clam* dicit, ſignificare uiſus eſt, eiuſmodi morbum ne furtiuis quidem itineribus ad illius animum obrepſiſſe. Pleroſque enim inuenias, qui palam contemptum præferant diuitiarum: in mentis autem latebris, atque receſsibus cupiditatem pecuniæ alant, atque occultent. Eam igitur ob rem dixit: Neque clam fœdum hunc amorem peperi.

Quòd ſi etiam manum meam imponens ori, oſculatus ſum.

Symmachus autem, Si adorauit manus mea circa os meum.

Et hæc mihi igitur iniquitas maxima reputata eſt; quia mentitus ſum coram Domino altiſſimo.

OLYMP. Sæpenumero nonnulli cum ſua facta efferunt, manus oſculantur ſuas. Dicit igitur. Si ego aliquando in mea potius dominatione, atque in meis egregijs facinoribus, quàm in Deo ſpem, atque fiduciam collocaui; plane mentitus ſim ueritatem; cum non a nobis ipſis, ſed a diuina gratia omne fit auxilium. Ergo, ſi deceptus tale quid paſſus ſum, in ſcelere id mihi ponatur grauiſsimo. Alij uero ad hunc modum id, quod dictum eſt, interpretati ſunt. Si Solem, ac Lunam, eorum deceptus fulgoribus, adoraui; ac non potius illud mecum ipſe reputaui illa ipſa ſidera deficere, atque deſinere, Dominiq. imperijs parere: ſi inquam, iſthæc admiratus, manum ſum oſculatus, crimini id mihi ſcilicet detur maximo. CHRYS. Ita hæc nonulli in idolorum cultum dicta eſſe confirmant, quod idcirco mihi minime fit ueriſimilē, quoniam numquam id in ſummis uirtutis officijs potuiſſet. Verum hæc mihi ad amantium ſimilitudinem ſumpta uidentur, qui, dum ij, quos diligunt, abſunt, illorum diuitias, ac res geſtas cum admiratione uſurpantes, manus ſuas ſuauiantur. NILI. Cur igitur ſpe a Deo ſeiuncti, carne brachij ſuſtentamur? diuinamq. prouidentiam noſtris manibus dimetimur? Et id ipſum, quod Iobus maxime crimino ſum ſibi fore precatus eſt, ori manum ſuam impoſitam oſculati, facere ipſi haud quaquam uereamur? Multorum enim hic mos eſt, manibus ſuis ſuauium dare, ut quicquid in ijs opis, facultatiſue eſt, a ſeipſis habere teſtentur. Quos cum obſcuris quibuſdam Lex indicaret, dixit. *Qui ambulat in manibus immundus, & qui ambulat ſuper quatuor ſemper, & qui multiplex eſt pedibus.* Porro ingreditur manibus, qui manibus ſuis connixus, in illis omnem fiduciam habet: ſuper quatuor autem incedit, qui erga ea, quæ ſenſum pellunt, ac cient, affecti ſunt, atque ad illud ipſum rerum genus, animi ſtudium, conatumq. continenter deducit: multiplex autem eſt pedibus, qui res ad corpus pertinentes mordicus arripit, arctiſsimeq. complectitur. *Leuit. c. 11*

Quòd ſi & gauiſus ſum in ruina inimicorum meorum: & dixit cor meum, Euge; euge: audiat utique auris mea maledictionem meam: ſermonem populi mei celebrer diuexatus.

Hoc ipſum alibi docemur. *Si, inquit, ceciderit inimicus tuus,* *Prou. c. 24*

ne

ne lætaris ſuper eo, in ſupplantatione eius ne extollaris. Symmachus quidem, pro, *Euge*, Si inſurrexi, quando eum afflictio comprehendit, eſt interpretatus. Illud uero, *Euge*, dictio, eſt, ad uoluptatem, atque irriſionem pertinens. Huius ſimile illud item eſt, Pſal. 34. *Euge, euge, viderunt oculi noſtri*. Sed nimirum, inquit, ſi ego ex inimicorum meorũ pernicie uoluptate affectus ſum, alios, qui me execrentur, ſane audiã; ærumniſq. uexatus perinde celebrer, ut ea, quę geſsi, meruerunt; ac mihi pro dignitate factorum reponatur.

Quòd ſi etiam ſæpe dixerunt ancillæ meæ, Quis det carnibus eius ſaturari? cum ſatis bonus eſſem. [1]

[1] Quis det nobis; in Cat. Piñ.

Reliqui ſic extulerunt, Si non ſæpe dixerunt uiri tabernaculi mei; Quis det de carnibus eius? & ſaturabimur? ſupra etiam ancillarum meminit his uerbis, *Non contempſi iudicium famuli mei aut famulæ*; eiuſq. rei rationem expoſuit: *Quia hi perinde, vt ego, facti ſunt*; in quo ſuam incredibilem, eximiamq. humilitatem teſtatam reliquit. CHRYS. Nunquid ita erat humilis, ut non etiam ceterorum ad ſe deſiderium, amoremq. alliceret? hoc loco ſuperlatam orationem attende. Quemadmodum enim ærumnoſa tempora omni mentis robore tulit; ſic felicia quouis uirtutis genere mirifice exornauit. Cum enim, nõ utcumque, neque temere, ſed eximie ad ſummam uirtutem perueniſſet; nõn ſolum erga alios, uerum etiam erga ſuos ſeruos clementia utebatur. [a] Hæc enim omnis facilitas, cum quis eos, quibus imperat, humaniiate regit, nulla uiolentia moderatur. Ergo illud eius famuli in ore habebant: Quis largiatur nobis, ut eius carnibus ſaturemur? Quo loco inſanum amorem, quo ſerui illum proſequebantur, oſtendit; ardenti enim illius amore flagrabant ijs ſignificationibus, quæ ipſis ab illo dabantur, excitati. Sic, inquit, e me ipſo apti erant, atque pendebant; ſic me auide complectebantur; ita mihi dediti erant, & affixi, ita me in oculis ferebant; ut uel carnibus meis expleri cuperent: ipſos meos artus abſorbere, ac deuorare peroptarent: tanto erga me ſtudio, atque amore erant incenſi; adeo meis ancillis iucundus eram, & commodus; ut, ſi fieri potuiſſet, ut meis carnibus ſaturarentur, prorſus libenti id animo eſſent facturæ. OLYMP. Alij uero hanc interpretationem attulerunt. Neque ancillis, inquit, infenſus fui; ita, ut ob crudelitatem meam efferatæ, meas carnes cuperent deguſtare. Contra uero, haud eas uulgari benignitate tractaui. Mihi uero erit ſatis ex Septuaginta expoſitione, qui dixerunt, *Si dixerunt ancillæ meæ*, ſecundam ſequi in-

[a] *Diſce quemadmodum ſit in eos qui parẽt vtendum imperio.*

terpretationem. Hæc enim aliorum fuit interpretatio, *Si non dixerunt ancillæ meæ contra me furentes, Diſpertiamur eum, & crudas carnes eius abſumamus.* Sed nimirum nil eiuſmodi dixerunt, ut qui ualde bonus & commodus eſſem. Immo uero, niſi ancillæ nimio ſtudio, illiusq. flagranti cupiditate incenſæ, dixerunt, Deuoremus eum, illas aduerſum ſe execrationes, firmas certasq. eſſe precatur.

1 Foris autem nō manebat hoſpes Auguſt. ſed Ambr. ut nos.

[1] ***Foris autem non morabatur peregrinus: ianua autem mea patuit omni venienti.***

Chrysost. Hominis hoſpitalis, & ex Abrahamæ a nobilitate orti hoc eſt inſigne. Domum, inquit, habui communem, menſam communem, mea haud mea, ſed Domini ratus; Dominus enim dedit: ergo cum conſeruis partienda cibaria. Vidiſti humilitatem; uidiſti humanitatem, uidiſti clementiam, uidiſti liberalitatem. Cum enim bonum ipſum communionem amet, dextram omnibus porrigebat: domum cunctis patefaciebat. Non enim, quod pleriq; factitant, ut eos, a quibus accipiantur hoſpitio curioſius conquirant, hoc idem Iobo familiare erat; quin potius cunctis domus illius patebat; nec quiſquam, ut ipſe teſtatur, foris commorabatur.

2 Aug. habet, Sponte plane cū mendo. Ambroſius uero inuite.

Si etiam [2] inuoluntarie peccans, abſcondi peccata mea; non enim veritus ſum turbæ multitudinem, quo minus confiterer coram ipſis.

Olymp. Peccati uoluntarij nullius ſibi conſcius erat: uſque eo ad uirtutem uitam exercebat. Verum, quia non id fert humanæ naturę condicio; ut, qui homo eſt, non aliqua noxa, quæ minime uoluntaria ſit, teneatur; idcirco perſpectam ſibi prolapſionem pęnitentia, atque confeſsione curabat; nec eius rei, quę non eſſet ad rectę rationis legem expreſſa, confeſsionem reformidabat. Chrys. *Dic tu primus peccata tua, ut iuſtificeris.* Recte fa- *Iſaiæ.*
ctorum, inquit, nullum mihi teſtem quærebam; erratorum autem *c. 43.*
cunctos eſſe conſcios optabam. Quamobrem ciuitatis turbā mini- *ex edi*
me ſum ueritus, quo minus apud illam de meis erratis confiterer. *tio. 7o*

3 Ante ea uerba quis det &c. Cat. Pinelli & impreſſi habent ſi non timebam, habēt & Vaticana: quare uidentur ſupplenda.

Si autem (et) dimiſi impotentem exire ianua mea ſinu vacuo, [3] quis det auditorem mihi?

Quod ait, eſt huiuſmodi. Si egentem hominem deſpexi, nemo me audiat. Chrysost. Ac uide, quemadmodum non dixerit,

xerit, Miſericordiam quampiam tribui; immo uero & recuſanti ſum impertitus. Plane cogebat eos, qui digredi ab illo uolebant: amplum enim id eſſe patrimonium intelligebat. Quocirca, quàm moleſti pauperes iis ſolent eſſe, qui tendere manum poſſunt: tam ijs moleſtus erat, quos a ſe beneficio, ac munere affectos eſſe oportere ſtatuebat: ita eos inani ſinu domo egredi non ſinebat. Nec enim eos dumtaxat domum receptos curabat, uerum etiam paupertatis uiaticum large, atque hilariter iiſdem ſuppeditabat. IVLIANI. Ea uerba nonnulli, *Quis mihi auditorem det?* interiecta eſſe, ac ſeorſim efferri, ſuamq. ac propriam habere ſententiam aiunt. Cum enim multitudinis rerum, quæ dictæ erant, iam pertæſum eſſet amicos, atque ea re minus libenter audirent: illorum item tergiuerſaretur conſcientia: quòd ipſos illos, obiurgando momordiſſet: ideo ad illos dicit, *Quis mihi auditorem det?* Sed non cuiuſmodi uos eſtis ipſi, qui cũ iudicetis iniuſte, orationi meę eſtis infeſti. OLYMP. Fortaſſe autem prudentes auditores requirebat ad ea, quæ ipſe dicebat, percipienda, idoneos. Ex quo quam perfectam is uiuendi rationem ſequeretur, haud obſcure apparet. Neque enim hęc dixit, de ſuis egregijs facinoribus inſolenter glorians: uerum ut nobis norma, ad quam uita noſtra dirigeretur, extaret. Hęc enim cauſſa fuit, cur Spiritus Sanctus hec ad nos erudiendos mandari ſcriptis uoluerit.

Manum autem Domini ſi non timui.

CHRYS. Ideſt, ea, quæ ad Deum pertinent, religioſe colui: nec uero utcumque adminiſtraui; ſed ſic prorſus, ut unum Deum intuerer; ac, ſiquid mihi fortaſſe eſſet admiſſum, formidarem.

Syngrapham autem, quam habebam contra aliquem, humeris circumponens coronam, legebam: & niſi diſciſſam illam reddidi, nulla re accepta a debitore.

CHRYS. Omnem, inquit, iniuſtam ſyngrapham concerpſi, neque ſum ex ea re inanem gloriam aucupatus. Sed plane diſcidi. Illud autem, *Humeris circumponens*, ſignificat eſſe quoſdam ex alienis ærumnis ſibi gloriam quærentes; neque uero utcumque reddidi: uerum, cum antea ſcripti auctoritatem infirmaſſem: quod, conſcindenda ſyngrapha, aſſequebar: tum demum reddidi. OLYMP. Non, ut aliquis [a] nominibus glorians, ſyngraphas utraque manu euoluebam, publiceq. legebam: uerum illas conciſſas, condonatis nominibus, debitoribus reddebam.

a In hac noſtra interpretatione latina, nomẽ, hic ualet debitum, ita apud M. Tulium reperies nomen diſſoluere conficere, expedire, inducere.

Si ſupra me aliquando terra gemuit: & ſulci eius plorauerunt ſimul.

Imperfecta oratio, ac pendens. Id porro, quod ſententiam abſoluit, in ijs, quæ deinceps ponuntur, reperies. Dicit ergo, Hæc mihi contingant; & hæc patiar mala; ſi cauſſa mea terra a ſuo domino eſt aliquando gemitu debilitata; aut ſi ſulci eius ab aratoribus, atque ab ijs, qui eam ſciderunt, flere aliquando coacti ſunt: neque enim ipſe in cuiuſquã poſſeſsione prædatus ſum, ut illum cogerem ingemiſcere; neque ſulcos alterius ad meos adiunxi; ut ij, a quibus eſſent erepti, ploratum ederent ullum. Sed neque meos agros, ac ſulcos, neque terram meam quiſquam coluit, qui non eſſet pretio, atque mercede conductus; ne forte eam gemitu, lacrymisq. uexarem; ſi ipſius operam certa mercede ſpoliaſſem.

Si etiam robur eius comedi ſolus ſine pretio.

Vis terræ ac robur eſt ipſa fructuum procreatio, ac tempeſtiua vbertas. Ergo docet, numquam ſe terræ fructus percepiſſe, non antea perſoluta pecunia: neque enim alieni ſoli fructus comeſſe audebat, non prius ſoluto pretio. Fortaſſe etiam duo quædam hoc loco ſignificat; & quòd fructus pretio coëmebat: & quòd non ijs ſolus veſcebatur, uerũ cũ alijs, ut reliqua etiam cibaria, cõmunicabat.

Quòd ſi, & animam domini terræ captans contriſtaui.

Symmachus autem, Spe priuaui: re aliqua, quæ domini terræ eſſet, per uim, ac poteſtatem abrepta.

Pro tritico igitur egrediatur mihi vrtica, pro hordeo autem rubus.

Theodotio pro, *Vrtica*, Spina, interpretatus eſt; pro, Rubo, autem Symmachus, * Imperfecta conuertit. Porro urtica, & rubus e ſentium genere atque natura ſunt. Hoc igitur dicit, Niſi in uerbis meis ueritas inſit; ſi dominum ſuo ſolo priuaui; eaque re illius animum anxi; ſi ſulcos abſciſſos ad meum agellum addidi; atque ex ea re gemitum, ac lacrymas domino commoui; ſi fructus gratis prædatus ſum, atque, eorum pretio enumerato ſolus conſumpſi; non amplius annonæ uideam ubertatem; ipſaq. mihi terra ſpinas, & pro dulcibus, & ad veſcendum idoneis fructibus, inutiles ferat. Symmachus quidem hanc fecit interpretationem: Pro

* ἀτελεσφόρητα.

fru-

frumento germinet [a] acanus. Hanc ego ſtirpem in libris Regum agnoui ſic prorſus appellatam. Si igitur quidpiam eorum, quæ ipſe inficiatus ſum me feciſſe, quæq. enumeraui, admiſi; ſi terram alienam eripui; ſi pro fructibus non pretium pendi; ſi quid denique per iniuriam egi; non mihi terra, quos ſolita eſt fructus, ac cibos, progignat; ſed agreſtes, & qui ad uictum adhiberi non poſſunt, edat.

a De Acano Theophraſtus in hiſtor. Plant. lib. 1. c. 16. et lib. 6. c. 1. & 7. Plinius lib. 22. c. 9. hæc prodit. Sunt qui Acanō Eryngio adſcribant, ſpinoſam, breuemq; ac latam herbam, ſpiniſq; latioribus. Hanc impoſitam ſanguinem mire ſiſtere.

Et ceſſauit Iob verbis.

Origen. Non ſimpliciter ceſſauit, ſed, *verbis*; cor enim eius in diuinarum rerum cogitatione, atque notitia non ceſſauit. Norat enim, norat cunctis rebus, quæ ſub cęlo ſunt, ſuum ſtatum eſſe tempus; *eſſeq. tempus tacendi, & tempus eſſe loquendi*. Quando igitur tempus fuit reſpondendi, ſermonem habuit ad amicos; rurſus, cum tempus fuit ſilentij, cum os ijs obſepſit, obmutuit. Quod uero dictum eſt, Iobum ceſſaſſe, in eius laude puto eſſe ponendum.

Eccl. c. 3.

ADDITIONES IN CAP. XXXI.

A *Si ambulaui cum ſcurris.*

Evagrii.

Hinc intelligimus a ſcurris declinandum eſſe.

B *An non video Solem quidem ſplendentem, & deficientem? Lunam autem decreſcentem: non enim in eis eſt.*

Severi Apolog. 13. Ideſt mutationibus, interitionibusq. obnoxia. & ex Apolog. 39. Quandoquidem ipſa luminaria me ad Deū opificem ſuum deducunt; a quo ſolo, non a ſe ipſis habent, ut ſint. ſane iſtud ipſum de diuitijs meis cogitabam: fugacemq. illarum eſſe naturam animaduertebam. Atque ea re, non ſecus quàm decebat, illas ipſas diſpertiebam.

Ceſſaue-

CAPVT XXXII. *Ceſſauerunt autem tres amici eius adhuc contradicere Iob: erat enim Iob iuſtus coram eis.*

CHRYSOST.

SYMMACHVS autem ſic: Quia iuſtus uidebatur præ ipſis. Siluit quidem Iobus; poſtquam illis uices dederat uerba faciendi. Poſtquam autem, & Deum teſtem appellauit, ac dira ſibi ipſe precatus eſt; ſilentij uinclis ſunt amicorum ora conſtricta. OLYMP. Haud ipſi quidem ſponte ſiluerunt: uerum, ubi eſt illis omnis defenſionis facultas erepta; nec quidquam ijs reliqui factum erat ad repugnandum ijs, quæ a Iobo erant allata: Iobi enim præclara facta, non minus, quàm ille, tenebant: illumq. ipſum uere, & ex animo odiſſe uitium, atque incorrupto caritatis ſtudio operam uirtuti nauaſſe minime ignorabant. Iobus enim humana ſe iura atque officia coluiſſe, Deoq. cultum ſumma religione ſemper adhibuiſſe, idq. admirabili quadam mentis demiſsione, tum ex alijs multis docuit: tum ipſa peccatorum confeſsione teſtatus eſt.

PROTHEORIA CAP. DECIMISEPTIMI.

ELIVS Buzites Barachielis filius ex prouincia Auſitide, qui cum Ram erat cognatione coniunctus, excanduerat: quòd Iobi amici, qui adhibendæ conſolationis cauſſa commearant, ab aduentus propoſito, & fine diſceſsiſſent; verborumq. acerbitate Iuſti vulnera vehementius obtriuiſſent. Aiebant enim illum ob ſua flagitia in cruciatu eſſe, nec aliam eſſe cauſſam, cur Deus ſupplicio afficiat, niſi, vt ſontibus reponat. Horum Iobus ſermones cum infirmaret, dubitauit: quamobrem videmus quammultos iniuſtos homines vſque ad extremum vitæ ſpatium haudquaquam improbitatis ſuæ pœnas dare; contra iuſtos cruciatibus vrgeri? Ad hæc Iobus fallentia amicorum iudicia declinans, apud Deum optat cauſſam dicere; vt tanta animaduerſione nihil ſe dignum geſsiſſe demonſtret. Quæ quidem dixit,

non

non quo Deum vllius facti iniuſti condemnaret: ſed vt, quàm is diuini iudicij æquitati fideret, declararet: ſimul etiam vt amicos coargueret, qui non ex iure aliquo in eum iudicium darent. Mens igitur Iobi, atque omne conſilium ſuos peruellit amicos. Dum autem docere conatur, ſi apud Deum experiatur, iuſtum ſe plane viſum iri; quòd is & a vero iudicet; & perſonarum diſcrimina ignoret; Item dum oſtendit, ab amicis temere accuſationem factitari, neque ab iis recti, ac iuſti iudicia teneri; Elius, qui hæc omnia excipiebat, & qua mente illa Iobus loqueretur, haud exploratum habebat, nimirum tale quidpiam a Iobo dici putauit; Iniuſte me Deus affligit. Ita Zelo Zelatus eſt Elius Domino; eſtq́; Iobo offenſus: tametſi nullius peccati eum accuſare poſſet. Itemq́; aduerſus tres Iobi amicos incenſus eſt, idq́; non iniuria: quandoquidem impietatis hominem iuſtitia præſtantem condemnaſſent, perinde quaſi peccati pœnas ſuſtineret. Exiſtit autem hoc loco quæſtio huiuſmodi. Si propterea iraſcitur amicis Elius, quia Iobum iudicarunt iniuſtum, iuſtus igitur Iobus. Quonam ergo pacto hunc etiam obiurgat? Verumtamen ad hoc Elius reſpondebit: ſcilicet pietate, ac iuſtitia Iobus præditus eſt; nec quiſquam repugnarit: verum ſuam ipſe cauſſam læſit; cum ad Deum iudicem prouocauit. Ergo mens quidem Elij minime reprehendenda: nec enim re vlla graui Iobum percuſſit; quod tamen ipſum amici fecerunt: cum illum impietatis nomine condemnarunt. Iuſti dumtaxat ſententiam animi non eſt Elius aſſecutus; nec, qua erga Deum caritate, quaue fiducia apud Deum cauſſam dicere cuperet, intellexit. Ita perſpicimus, nec a Deo Elium laudatum eſſe, quòd verborum Iobi ſententiam, & ſcopum ignorarit; nec condemnatum, quandoquidem is Iobum nullo impietatis crimine damnarit: nec propter ſua ſcelera Iobum vexari pronunciarit; idquod affirmare amici minime ſunt veriti: quam quidem ob cauſſam ſunt illi a Deo obiurgati. [a] *BuZites autem dictus eſt Elius, ſeu quòd BuZi, vnde orta eſt Ram, cognatione tenebatur; ſeu, quòd id nomen ab quapiam prouinciæ Auſitidis vrbe inuenerit.*

[a] *Elium hũc Balaã illum eſſe tradunt Hebræi, quẽ Iſraeli male precatum eſſe liber numerorum teſtatur. Cui ſententiæ aſſentiri uidetur Hierony. tum in lib. qq. in Geneſ. tum in commentario in hũc librum (ſi tamẽ eſt Hieronymi) ca. 32. Contra quam ſententiam diſſerit in ſuis prolegomenis in hunc librum Titelmannus; firmisq́; eam rationibus labefactat.*

nerit. Sane illud nobis compertum eſt, Nachor Abrahami fratrem, ſecundum e Melcha filium ſuſcepiſſe, qui ſit Buz appellatus. Fortaſſe igitur inde genus Elius ducit; atque ob id ipſum Buzites eſt nominatus.

Iratus eſt autem aduerſum Iob valde: quia pronunciauit ſeipſum iuſtum eſſe coram Domino.

Olymp. & Chrysost. Probabilem ſibi Elius cauſſam eſſe ducebat; cur animo incitaretur. Neque ea re is erat animo irato, ac percito, quòd de ſua iuſtitia Iobus prædicaſſet; neque enim de eius iuſtitia Elius dubitabat: ſed ideo, quòd uel coram Deo iuſtitiam ſuam Iobus probare uellet, coramq. illo inſtum ſe eſſe diceret. Etenim Deum ipſum teſtem appellarat. Aut illa etiam cauſſa ſuberat, cur Elius iraſceretur: quòd Iobus cum Deo de iure diſceptans, ſuam cauſſam defenſitarit: ſeipſum enim iure tueri, haud magnum eſt. Hoc uero in Dei iudicio facere, indignum fuerit. *Ne iuſtifices,* inquit, *teipſum coram Domino.* Nec uero alia amicis, atque Elio cauſſa fuit Iob ſuccenſendi; ſic enim illi; *Numquid enim erit mortalis iuſtus coram Domino?* Quid igitur Elius; *Iob. c. 4.* amplius contra Iobum arripuit? id ipſum enim amici obiecerant; quòd is Deo ſe iuſtiorem eſſe arbitraretur. Quamquam numquam ea Iobi ſententia fuit: quòd Deo iuſtior foret; uerum quòd res ſuæ geſtæ eſſent huiuſmodi: & quòd a Deo iudicari de rebus ſuis, ac de ſeipſo uellet: in quo nullum Deo iniuſtitiæ crimen obiectabat: etiamſi Elius contra ſentiret; qui religioſam, ac piam Iobi cogitationem ignoraret. Ami cos vero iure inſimulabat: qui Dei cauſſam prodidiſſent, atque abieciſſent: namque audi.

Et aduerſus tres amicos iratus eſt valde: propterea quòd non potuerunt reſpondere contraria Iob; & poſuerunt eum eſſe impium.

Duplici nomine aduerſus amicos ira incenſus eſt Elius: primum; quòd impietatis Iuſtum damnarunt: deinde, quòd, cum Dei cauſſam ſuſcepiſſent, uicti eſſent, ac ſiluiſſent: in quo & Deum, cui patrocinabantur, propemodum prodidere; & Iobo ipſo ſilentio uictoriæ inſignia conceſſere. Dixerit etiam quiſpiam, illud potius in amicos Elium incitaſſe, quòd illi Iobi ſermonibus nequierint uerisimilia

ſimilia reſpondere; nec hominis impietatem contra Deum arroganter ſeſe efferentis coarguere.

Elius autem ſuſtinuit dare reſponſum Iob, quia ſeniores ſunt ipſo diebus: & quia vidit Elius, quod non eſt reſponſio in ore trium virorum, & excanduit iracundia ſua.

Olymp. Laudabilis hic mos Elij extitit, qui & loco ſiluit; primas enim ſermonis partes ſenioribus mãdari oportebat, & loco reſpõdit: poſteaquã ij, quorũ erat ętas antiquior dubitatione ęſtuabãt. Ergo illud, *Suſtinuit*, idem eſt quod Exſpectauit. Illud uero, *Excanduit*, ualet, Zelo commotus eſt. Recte autẽ dixit, *Suſtinuit:* Chrys. Vt demonſtret illum quidem iratum fuiſſe, nihil tamen dicere auſum eſſe; donec Iobus ſuos omnes ſermones exprompſiſſet. Illiuſq. prudentiam attende, quàm is aptum ſit ſtatim initium orſus orationis, qua ratione ordinem conſeruarit.

Suſcipiens autem Elius filius Barachiel Buzites dixit, Iunior quidem ſum tempore. vos autem eſtis ſeniores: propterea ſilui, timens enunciare vobis ſcientiam meam.

Olymp Recte addidit, *Iunior ſum tempore*. Accidit enim, ut, quamuis ætate ſit iunior aliquis, canitiem tamen habeat illius prudentia: contra, ut, licet alius ſit ætate prouectior, ſit tamẽ intelligẽtia iunior. Illud uero conſidera, quemadmodum is non ſolum propter uerecũdiam, uerum etiam propter metum, ac pietatem ſeniorum diſputationem exſpectauerit. Ac niſi illi priores deſiſſent, nequaquam is quæ recte ſe ſe habere exiſtimabat, dixiſſet. Chrys. Ergo illius prudentiam coniectura utrinque aſſequimur, ex ſilentio inquam, atque ex diſceptatione. Ac ne quiſpiam fortaſſe diceret: Cur ergo a primo non una nobiſcum pro Deo decertaſti? ad ætatem ſeipſe recipit, diciiq.; Ego quidem exſpectabam, dum a uobis egregium aliquid, atque admirabile diceretur; atque interim mihi ſilẽdum putaui. Vide quàm is a ſtudio ambitionis abhorrebat: quẽadmodum illis primas tribuebat. Origen. Quamobrem hominum uita affligetur, quamobrem non nulli iniuſti uigeant; eius rei ſe ſcientiam, uel, ut alij, notitiam ſe tenere confirmat: *& mei pęne*

Pſal. 72. *moti ſunt pedes*, ſi in hanc tantum uitam intuear: quòd ſi futuram cogitaro, *ſtantes ſunt pedes mei.*

Dixit

1 In multis autē annis non nouerunt ſapientiam in Cat. Pinelli. in impreſsis Biblijs græcis ſic. Dixi autem, quia non tempus eſt, quod loquitur in multis autem annis non noui ſapientiam.

Dixit autem, Non tempus eſt, quod loquitur; in[1] *multis enim eſt: non norunt ſapientiam: verum ſpiritus eſt in mortalibus.*

Symmachus autem, Vere autem ſpiritus Dei eſt in hominibus.

Inſpiratio autem Omnipotentis eſt, quæ docet me. Non longæui ſunt ſapientes, neque ſenes norunt iudicium.

OLYMP. Quondam, cum ſederem, & quæ dicebantur, acciperem, ſermonesq. animaduerterem ætate eſſe indignos, mecum ipſe ad hunc modum ſermocinabar: Haud neceſſe eſt, eos, qui grauiiam ſunt, & affecta ętate, ſapientia ualere: Sancti Spiritus gratia ad eam rem omnino eſt opus. Illa enim hec tempori præſtolatur, & continuo hominis animum imbuit ſapientia; neque uero tempore gratia eruditſed tum demum, cum animum integrum offenderit. Non igitur neceſſe eſt ſapientes tuos ſolius eſſe ſermones, quia ſunt ſeniores, cum & præclarum aliquid à iuuentute audire quis poſsit, Nam, ſi tempus gignit, efficitq. ſapientes, quanto magis Deus? ſed nimirum tempus ſine diuina ope per ſe ipſum haudquaquam impartiri poteſt ſapientiam. Proinde nec partem ullam diuinorum iudiciorum ſolo tempore eruditus mente complecti quiſpiam poſſit, niſi diuina gratia acceſſerit.

Ideo dixi, Audite me: & annunciabo vobis, quæ noui: auribus percipite verba mea: dicam enim vobis audientibus, donec ſcrutati fueritis ſermones; & donec vobiſcum intelligam.

OLYMP. Alij codices, poſt illud, *Dicam vobis audientibus*, hos item uerſus habent, *Ecce audiui ſermones veſtros, auribus percepi vſque ad ſapientiam veſtram.* Alij uero interpretes ſic extulerunt: Ecce accepi ſermones ueſtros, quanta ueſtra ſit ſapientia, audiui, & quantum ſermones exquiratis, & quo ipſi perueneritis, intellexi. Ex his igitur atque ex alijs codicibus hæc hauritur ſententia. Quemadmodum, inquit, ego ſilentio omnia, quæcunque dixiſtis ipſi, audiui, atque exſpectaui, dum ad exitum orationem ueſtram adduceretis, & dum ueſtram omnem ſapientiam exhauriretis; uos item mea uerba uiciſsim percipite. Attamen, qui in noſtris manibus ſunt, libri, hanc aliam ſententiam ſuggerunt, Audite me, inquit, nihil enim arrogans, elatumue dicam; ſed ea, quæ ipſi comprobare poſsitis,

tis, & uobiſcum intelligam, ideſt, haud uerbis utar nouatis; ſed apud uos intelligenter loquar. Aut etiã quid dicit huiuſmodi. Non prius loquendi finem faciam, quàm meos ipſi ſermones approbaueritis. Si ergo & ipſe intelligere poſſum uobiscum; ideſt, donec ipſi quoque intelligatis, etiàm ſi animi ueſtri intelligentiam [a] ſuperaro.

[a] In exempl. eſt ἢ καὶ ὑπερβάλω. videndum num rectius ſit εἰ καὶ ὑπερβάλω.

Et ecce non eſt, qui Iobum redarguat; & qui reſpondeat verbis eius ex vobis; vt ne dicatis, Inueniemus ſapientiam Domino adijcientes. Homini autem permiſiſtis loqui talia verba.

OLYMP. Idcirco, inquit, ad dicendum adductus ſum, quoniam nemo ueſtrum Iobi ſermones confutare potuit; atque in ampliore uos genere dicendi exercebamini: ſi quidem Dei uobis erat cauſſa ſuſcepta, quam tueremini; & quoniam Iobum refellere minime potuiſtis, illud ueſtro ſilentio quodammodo perfeciſtis, ut is, qui homo erat, talia arroganter iactaret, contraq. Deum eius generis uerba uſurparet. CHRYSOST. Aut igitur hoc dicit: Neque tum, cum refelleretis, quemadmodum opus erat, refelliſtis: Aut, Quia poſtea ſiluiſtis, ſane quidem nihil dici a uobis rectius fuiſſet: quandoquidẽ hanc conſtituimus ſapientiam, Dei partes ſequi, atque illius defenſionem ſuſcipere. Nihilo igitur minus peccaſtis, cum confutare Iobum nequiuiſtis, quàm cum eum eiuſmodi ſermonibus uti permiſiſtis. Haud igitur obſcura ueſtra eſt inſipiẽtia; neque illud dicere poteſtis, uos tamquàm Dei patronos illius eſſe gratiam, ſapientiamq. adeptos. Victi enim eſtis à Iobo.

Timuerunt, non reſponderunt: antiquauerunt ex ſe ipſis ſermones: ſuſtinui, non enim locutus ſum: quia ſteterunt, non reſponderunt: quia reſpondebo etiam ego partem.

OLYMP. Negant nonnulli duos hos uerſus eſſe Elij, ſed ſcriptoris eſſe contendunt, dum ſilentij amicorum ſermonem inieciт. Ego uero aio utrumq; uerſum eſſe Elij, atque cum ea figura, quae apoſtrophe dicitur, eſſe coniunctum. Ipſe enim Elius tãquàm cum alijs de Iobi amicis ſermonem haberet, ſic eſt de ijs locutus. Sic ergo ille. Equidem ob idipſum loquor, quia ipſi ſunt uerbis Iobi perterrefacti; ſuosq. ſermones antiquatos, putridos, atque ipſo ſilentio prorſus inutiles eſſe teſtati ſunt. Quocirca addit. Ego uero ſuſtinui,

& non

& non ſum locutus. putabam enim iis contrariam orationem non defuturam. Sed, quandoquidem conſtiterunt, nec longius progredi potuerunt, quòd eas ſua Iobus oratione concidit, nimirum prodij ipſe ad ea, quæ dicta ſunt reprehendenda.

PROTHEORIA CAP. VIGESIMISECVNDI.

Suſcipiens autem Elius ait.

POSTQVAM Elius cauſſam expoſuit, quæ ſe ad dicendum adducebat, magnum conſecutum eſt ſilentium. Quare is ſuos ſermones abſoluit; Iobiq; verba reprehendit; quòd pro ſua iuſtitia rationibus pugnaret; atque a Deo iudicium de ſe fieri vellet. Nec interim Elius, qua mente Iobus illa diceret; nec quòd crimina diluens amicorum illa diceret, animaduertit. Cumque in ea eſſet Elius opinione, illud à Iobo iactari; iniuſte ſe vexari a Deo, ac fortuito agitari humana; de varia erga nos prouidentia multis diſſerit. Sed tamen nec Elius, cur Iobus affligeretur, cauſſam inuenit: ac nimirum à ſcopo contra Iobum diſputans aberrauit. Hoc autem pacto orditur.

Rurſus loquar: plenus ſum enim verborum.

OLYMP. *Verborum*, inquit, *ſum plenus*, uidelicet eorum, quæ & pro Deo, & contra Iobum mihi facienda ſunt. Nam Iobus & pari cum Deo vult contentione decernere, & in illius iudicio ſiſti; atque experiri; nec non victoriæ inſignia aſſequi ſe poſſe confidit. ORIGEN. Recte autem dictum eſt, *Plenus ſum*, qui enim non plenus uerbis ad loquendum accedit, nimirum inanis inania fundet. Illud enim ſcriptum eſt, *Stultus loquetur, & cor eius ſtulta cogitabit.* *Iſaia. c. 32.*

Diſcruciat enim me ſpiritus ventris mei.

Symmachus autem, Comburit; Non fero, inquit, ſilentium, neque obmuteſcere poſſum amplius, cum animo efferueſcam, ac pene ſuffocer, ut mihi ſit uſquequaque loquendum. Spiritum autē ventris; aut periphraſi uſus animum dixit; aut eam partem animi,

in qua ardor irarum exiſtit, ſignificauit, iure optimo Dei cauſſa concitatam. Illud uero, *mei*, ad maiorem quẽdam tropum orationis pertinere uidetur. Diſcruciat enim me ſpiritus uentris: quemadmodũ enim flatus conceptus uiſceribus, niſi reperiat exitum, hominẽ cruciat, ac doloribus torquet; ſic & me, inquit, ſpiritus diſcruciat ventris; hoc eſt, uerba, quæ in animo incluſa fero, niſi foras erumpant. ORIGEN. Et ſicut mulier prægnans, formato puero, qui in ea natus eſt, cruciatibus tam diu tentatur, dum conceptum, partumq. ediderit; ſic animo diſcẽdi cupido euenire ſolet. Concipit enim, cõprehenditq. ſermonem, quem dum diſsimulat, format, atque ordine fingit: vbi uero illum formarit, ac finxerit, & perfectum expromſerit, tũm demum parit, atque in labore, ac cruciatu hactenus eſt, quoad pepererit.

Venter autem meus, ſicut vter muſti feruens ligatus.

Symmachus autẽ, Sicut uinum nouum, quod reſpirare nequit.

Aut ſicut follis ferrarij ruptus.

Pęne, inquit, diſrũpor, cogitationum, quę me ad redarguendum urgent, turba compreſſus: non ſecus quàm uter aliquis recenti, feruidoq. uino refertus, dum feruore, atque æſtu eſt diſrumpendus.
Matt. 9. Hûc illud Euangelij pertinet *Nemo mittit vinum nouum in vtres veteres. Follis,* autem dixit, ac, *Ruptus,* addidit, quia loqui prohibebatur; nec concepti ſpiritus effundendi dabatur poteſtas: follis enim fabri ærarij ruptus, ſpiritum efflat. CHRYS. Hinc apparet, Eliun̄ perdiu ſuam orationem parturiſſe, diu q. exſpectaſſe, patienterq. tuliſſe: iamq. pæne diſrumpebatur. * Quare magna opus eſt patientia. a Poſſe enim verba cohibere, in primis ſapientiæ eſt opus.

* ὥστε πολλῆς τῆς ὑπομονῆς χρεία. ὅπερ ἐστὶ μάλιστα σοφίας ἔργον δύνασθαι ῥήματα κατασχεῖν.
a *Chryſoſtomi hoc dictũ ſapiens Salomonis ſapientiſsimi verbis cõprobatur. nam ad hũc modũ ille in Prou. c. x Qui moderatur labia ſua, prudentiſſimus eſt.*

Loquar, vt requieſcam, aperiens labia.

ORIGEN. Is, qui uerbis abundat, ubi prudentem nactus eſt auditorem, illamq. ſuam copiam exhauſerit, atque effuderit, conquieſcit.

A *Hominem enim non veritus fuero: verumtamen neque mortalem reueritus fuero: non enim ſcio admirari perſonam. Si autem non, vermes me comedant.*

Omni, inquit, uerecundia, humanaq. gratia abiecta, loquar. Quòd ſi quidpiam loquar iniuſti, ac non potius æquitatem, ac ius curis humanæ uerecũdiæ antetulero, me ſimiliter, ut Iobum, uermes depaſcant. CHRYS. Aut, quemadmodum eos, qui perſonarum generibus, atque diſcriminibus fauent, præſertim, cum in medio

eſt Deus,& præ illo homines honore afficiuntur. Ego ſane, inquit, haud ſcio perſonam mirari.Non eam ſcientiam didici,quæ me aut uereri , aut cuipiam gratificari doceret:immo uero , & homines aſpernor ; & pudorem, metumue reprehenſionis , quem ij poſſunt adferre, plane contemno . Quæ cum dicit, illos deſignat , quòd Iobum ueriti ſiluiſſent.

ADDITIO IN CAP. XXXII.

A *Non enim ſcio admirari perſonam.*

ORIGENIS.

HAVD ego artificium teneo perſonæ alterius ſuſpiciendæ. Immo uero homines floccifacio : & qui ab ipſis naſci poteſt, pudor, & uerecundia , a me contemnitur.

CAPVT XXXIII.

Verumtamen audi, Iob, verba meâ, & loquelam meam auribus percipe. Ecce enim aperui os meum, & locuta eſt lingua mea. Mundum cor meum verbis: prudentia autem labiorum meorum munda cogitabit.

AVDI ergo Iob : iam enim inſtituo,'qui mihi tecũ futurus eſt, ſermonem; ad quem animo ingredior integro , omniſq. perturbationis expertem; ſeu , ut alij interpretati ſunt,[1] recto, ac ſimplici: necquidquam præiudicati, inconſideratiue afferam . Namque mea cognitio prudens eſt, nec errans, nec ullo modo corrupta. Incorruptam autem cognitionem dicit ipſã controuerſiam, & cauſſam apud Deum,& pro Deo aduerſus hominem æquitate iuris diſceptandam. CHRYSOST. Ideſt , non inuidia ulla , uel odio incenſus uerba facio.

[1] Aquila &Theodotio rectum ſimplex ex Cat. Pinelli.

Spiritus diuinus, qui fecit me, inſpiratio Omnipotentis quæ docet me.

In ipſo orationis exordio Elius Deo gratias agit , eumq. laudibus ornat,cum illum ſuum dicit auctorem, & effectorem , ſuæq. effectionis, ſapientiæ, cognitioniſq. parentem; eaq. cognitione fretum ſe ad dicendum uenire. [a] Haud enim id me latet ; non a me ipſo , ſed

[a] *Haud &c. eſt. Olympiodori hæc pars interpretationis in Cat. Pinelli.*

ſed a Deo hunc prudentiæ ſenſum accepiſſe. Nam, qui largitus eſt mihi,ut eſſem,idem neceſſariarũ,& quæ opus ſunt rerum ſcientiam eſt elargitus. SEVER. Ex ijs,quę dicta ſunt,docemur;a Deum eſſe ipſum ſpiritum,& ſicut eſt Filius,opificẽ. Et ſi enim per Filium Pater cuncta fabricatus eſt: ſane certe in Spiritu Sancto, qui ſecundum naturam proprius eſt Vnigeniti. *

a Illuſtre & luculẽtum hoc eſt teſtimonium ad Græcorum confutandum errorẽ Spiritum Sanctum ſecundum naturam a Filio procedere negantium.

* ἐκ μέντοι τῶν προειρημένων διδασκόμεθα: ὅτι θεὸς τὸ πνεῦμα, καὶ δημιουργὸν, ὡς υἱός. Εἰ γὰρ καὶ δι' υἱοῦ τὰ πάντα ὁ πατὴρ δημιούργησεν: ἀλλ' ἐν ἁγίῳ πνεύματι, ὃ κατὰ φύσιν ἴδιόν ἐστι τοῦ μονογενοῦς.

Si autem potes,des mihi reſponſum:ad hæc ſuſtine.

Exſpecta,inquit,& ubi me audieris, ſi tibi ratio ad refellendum ſuppeditarit, contradicces.

Ita contra me,& ego contra te: de luto factus es tu, ſicut & ego,de eodem perfecti ſumus.

OLYMP. Nihil eſt,inquit, quòd reſpondere verearis; eſt enim æqua contentio. Eadem enim natura conſtamus ambo; & illa quidem e luto,ac terra concreta, nec quidquam elatum habente. Hæc uero dicit; ut Iobum pudore ſuffundat:quippe qui Dei iudicium ſubire uoluerit, tãquam ſi diceret; Cur Dei iudicio tuam cauſſam committis, in cuius conſpectu nemo iuſtificatur? Tibi mecum in iudicio contendendum eſt,cum inter nos ambos nihil interſit.

Non te metus meus commouebit: neque manus mea erit grauis ſuper te.

OLYMPIOD. Quoniam dixerat Iobus, *Et timor eius non me*
Iob.c. *commoueat:* idcirco Elius inquit,Nihil a me tibi horribile poteſt ac-
9. cidere, ſicut poteſt a Deo;qui & perturbare te facile poteſt,& mentem permouere; ut plane,quæ contra me habes, proferre non poſſis. Nec uero eſt, quòd dicas, uereri te, ne graui te manu urgeam mea:memini enim,cum diceres, niſi id formidares, te cum Deo certamen ſuſcepturum. Hæc vero eo perſequitur Elius, propterea quod Iobi mẽtẽ,quę orationẽ eius formabat,haud fuerat aſſecutus.

Verumtamen dixiſti in auribus meis, verba tua audiui: propterea quod dicis, Mundus ſum, cum non peccauerim;irreprehenſibilis autem fui:non enim iniquitatem feci:querelam autem contra me inuenit,reputauit autem me ſicut contrarium: poſuit autem in ligno pedem meum: obſeruauit autem omnes vias meas.

OLYMPIODORI. Egomet,inquit, hiſce auribus dicere te audiui:Mundus ſum,& irreprehenſibilis: Deus autem, ſicut aliquis ini-

 micus,

micus, diligenter eſt mea perſcrutatus, ſi quid forte per imprudentiã, inſcitiamue deliqui. Inuenit contra me querelã; ut me ſupplicio afficiat, & omnes ingreſſus meos concluſit; perinde ut ij ſolent, qui perforato ligno ſontium pedes conſtringunt. Inexplicabilem cruciatum his uerbis oſtendit.

Quomodo enim dicis, iuſtus ſum, & non exaudiuit me?

CHRYSOST. Hoc eſt, vnde tibi conſtat, non te a Deo fuiſſe auditum, cum tuam cauſſam negaſti a Deo auditam eſſe? cum dixiſti, ab eo te pœna, ac cruciatu affici? nempe hoc illi curæ eſt, ut homines reddat meliores. Qua igitur ratione es auſus dicere; Iuſtus ſum: Deus autem non me audit?

Aeternus enim eſt, qui ſupra mortales eſt.

Ideſt, Deus, qui cunctis eſt mortalibus ſuperior, nequaquam in tua cauſſa nunc primum probatur.

A *Dicis autem, Cur iuſtitia mea non exaudiuit omne verbum? ſemel enim in loquendo Dominus.*

OLYMP. Pro quibus Aquila, Quid igitur contra eum iudicio contendam? quia ad omnia verba eius non [a] reprobabuntur. Symmachus autem, Quid igitur cum eo iudicio decertas; omnes enim eius ſermones ſunt eiuſmodi, ut refelli non poſsint. CHRYSOST. Ideſt, non ſigillatim audit, ac docet. Verum hoc Dei proprium eſt, ſemel quidpiam facere non paullatim. Is ſæpenumero ſomnijs admonuit, ac uiſis, tu uero eum in iudicium abſtrahere ſtatuiſti.

[a] ἀποκριθεῖται, nõ puto aliter poſſe explanari: nã ἀποκρίνω cum multa alia, tum hoc item ſonat reijcere, reprobare.

OLYMP. Atqui illud tibi cogitandum erat; ea, quæ, Deus decreuit, non ideo iure ſancita eſſe, quòd eum aut more hominum pœniteat, aut uero, quòd aliquid melius ratiocinando reperiat. Immo uero reprehenſione uacant omnia, quæcumque is ſciſcit. Homines enim pœnitere eorum ſolet, quæ ipſi dicunt, faciuntue; quod uitiũ in Deum minime cadit; cui ſemel pronunciaſſe ſit ſatis.

B *In ſecundo autem inſomnium, vel in meditatione nocturna; vel ſicut cum inciderit grauis timor ſuper homines in dormitationibus in cubili; tunc reuelat mentem hominum.*

Semel, inquit loquitur Deus: multa uero homines docet, cum ijs uiſa offert nocturna, quibus, & eos conuertit, cum eorum cogitata

tata retegit. Hęc ideo Elius dicit, quia ad Deum dixerat Iobus, *Terres me in ſomnijs, & in viſionibus*.

In ſpeciebus terroris talibus ipſos exterruit; vt auerteret hominem ab iniuſtitia; corpus autem eius a ruina liberauit: pepercit autem animæ eius a morte, & ne caderet in bello.

Olymp. Semel, inquit, loquitur Deus, fertq. legem: poſtquam autem legem tulit, ſi quempiam iuſtorum negligentem inuenerit, nocturnis illum terroribus ad mentem reuocat, & monitis corrigit. Et uero uſq; eo eſt hic timor utilis, qui uiſis, & ſimulachris utitur ad erudiendum; ut & futurum ſupplicium cohibeat; & hominis, quem reddidit meliorem corpus, & animum quouis malo atque incommodo liberet, nec in hoſtium manus eum incidere ſinat. Quod niſi hominem ante paratum ſupplicium ad ſaniora conſilia traduceret, fortaſſe aut diuinitus plaga accepta, aut incurſantibus hoſtibus peccatorum pœnas perſolueret. Verum is, qui in irrogando ſupplicio cunctatur, & illatis terroribus, ad pœnitentiam reuocat, & imminentem cruciatum minitando auertit.

Rurſus autem [1] *arguit eum in infirmitate in cubili: & multitudo oſſium eius emarcuit; omnem autem eſcam non poſſit ſumere; & anima eius cibum deſiderabit; quoad eius carnes computruerint, & oſtendet oſſa ſua vacua. Appropinquauit autem anima eius ad mortem: vita autem eius in Infirno.*

[1] Increpauit in mollitie illum in cubili Ambr.

Olymp. Quod ſi is, qui culpæ eſt affinis, terroribus nocturnis nihilo fit melior, nec uult reſipiſcere, illud Deus efficit; ut ille, & in lecto iaceat, & ægrotet, illiusq. oſſa horrore, atque torpore conficiat; adeoq. miſere affligat; ut optet quidem cibum; ſit autem inanis auiditas, nec cibum poſſit adſciſcere; ut ob eam ipſam rem illius carnes extabeſcant; atq; robur oſſium concidat medulla propemodum exucta, uel ſiccata; ut iam reliquum ſit, & animam propius a morte abeſſe, & quæ in Inferno ſunt, cogitare.

Si fuerint mille angeli mortiferi, vnus ex ijs non vulnerabit eum: ſi cogitauerit corde conuerti ad Do-

minum, annunciauerit autem homini crimen ſuum, & querelam ſuam oſtenderit.

OLYMP. Hic, inquit; qui extremis cruciatibus exercetur; ſi perpeſsionis ſuæ cauſſam in peccato conſiſtere intellexerit; atque ad Deum de errato ſuo confeſſus ſe conuerterit, impendentem mortem inhibebit; etiam ſi ſexcenta quædam ſint, quæ mortem accerſant, atque laceſſant. Pœnitentia enim peccatum delet; placatq. Deum, ut ſententiam reuocet; decretumq. reſcindat.

Reſiſtet, ne cadat in mortem; renouabit autem corpus eius, ſicut [1] *lituram ſuper murum: oſſa autem eius implebit medulla: teneras autem faciet eius carnes ſicut infantis: reſtituet autem eum virum factum in hominibus.*

1 Vnctionem in pariete Ambr.

OLYMP. Cognoſce pœnitentiæ fructus: nec enim illa tantum mortem prohibet, uerũ etiam integram valetudinem largitur. Deus inquit pœnitentem ſuſcipit, ac tuetur; nec eum patitur in mortem incidere; ſed quemadmodum ij, qui uitium facientem, & labantem parietem vident, linienda calce, renouant atque reſtituunt; ſic Deus inquit illius corruptum corpus renouabit, & ad priſtinam dignitatem excitabit, ac ferme iterum conformabit; oſſa uero medulla complebit; recentesq. carnes agglutinabit. Denique uir factus, hoc eſt, poſteaquam confirmatus diuinitus fuerit, uirileq. robur inter homines uerſans ſumpſerit; rurſus eum reſtituet, [2] uel, ut ceterorũ eſt interpretatio, ad diem iuuentutis ſuę reducet.

2 Vel ut cęterorũ eſt interpretatio, id eſt Aquilę, & Theodotionis, ut indicat Catena Picelli.

Cum deprecatus autem fuerit ad Dominum, accepta illi erunt.

Theodotio autem, Obſecrabit Deum, & benedicet eum. Sententia autem eſt huiuſmodi: aut, quòd illius preces, & uota non repudiabuntur, ſed Deo erunt accepta: aut, quòd tum preces, Deo gratę erunt; tum ſupernam ei adferent benedictionem.

Ingredietur autem facie munda cum confeſsione.

OLYMP. Verum Aquila & Theodotio in alacri * uociferatione; Symmachus autem, In hymnologia: interpretatus eſt. Tunc inquit morbo, metuq. impendentis mortis liberatus, precationem, & confeſsionem cum gratiarum actione coniunctam, Deo, cui haud erit inuiſa, adhibebit; nec quidquam trepidans, ad eum adibit. Id enim

* ἐν ἀλαλαγμῷ.

enim hilarus, ſeu mundus vultus oſtendit: diſciplina uero perpurgatus, hymnis Deum celebrabit.

Reddet autem hominibus iuſtitiam.

Aut, quia ipſe homo a Deo beneficio affectus, unicuique in poſterum ius ſuum tribuet. illudq. colet, diſciplina factus melior: aut quia Deus eos, qui ita ſunt affecti, iuſtitia imbuet, uitæq. anteactæ errata condonabit.

Tunc deinde ſeipſum accuſabit homo dicens, Qualia feci? neque pro dignitate eorum, quæ peccaui, multauit.

Olymp. Iá uero liberatus poſtquá diuinę ſapientiæ emolumentum perſpexerit, gratias agens dicet, Quanto fuit peccatis meis animaduerſio leuior? nimirum, quæ paria meis facinoribus, factiſ ſe eſſent, nequaquam ſum paſſus.

Salua animam meam; ne eat in corruptionem; & vita mea lumen vidibit.

Atque hæc item ſunt uerba ad ſupplicandum, laudandumq. accommodata. Sic enim loquitur. Gratias ago, quòd me ab interitu, atque corruptione hac, diſſolutioneq. liberaris. Nempe tu id mihi tribuiſti: ut & uiuerem, atque ut lucem hanc intuerer: hoc ipſum ut mihi deinceps eueniat, obſecro. Verum nonnulli ad hunc modum commentati ſunt. Precibus a Deo contendet, ut, his corporis compagibus ſolutus, non ad iniquorum cœtum, ac partes, ſed ut ad iuſtorum lumen demigret.

C *Ecce hæc omnia operatur fortis, vias tres cum viro. Verum liberauit animam meam a morte, vt vita mea in lumine laudet eum.*

Symmachus autem; Bis tres ad unumquemque, ut reuocet animam meam. Verbis autem ipſis hæc eſt ſubiecta ſententia. Hæc ſapientis atque adeo robuſti Dei ſunt opera; ut tripartita quadam ratione peccantes conuertat: verbis, inquam, horribilibus ſomnijs, morbis. His uijs tribus is, in cuius nutu, ac poteſtate cuncta uertuntur, cum unoquoque agit homine: vt una aliqua ex his is, qui noxa tenetur, eruditus, uitet interitū, atque Deum in uita laudibus efferat. Chrys.[a] Is, qui ſic hominum rationibus moderatur, uitam impartitur: rerum neceſſariarum diſciplinam tradit, rectéq. factis mercedem perſoluit, atque ſupplicia flagitijs decernit: itaq. cum hominibus agit, ut coarguat, increpet, nocturnis ter-

[a] Eſt item Iuliani hæc interpretatio in Cat. Pinelli.

roribus minitetur; loquendo doceat; ægrotationibus, atque imbecillitatibus cruciet.

D *Auribus percipe, Iob, & audi me: obmuteſce, & ego ſum: loquar ſi tibi eſt ſermo: reſponde mihi, loquere: volo enim te iuſtificari. Si non, tu audi me, obmuteſce: & docebo te ſapientiam.*

Quid eſt, inquit, quòd Deum, qui uideri nequit, in iudicium uoces? En ego, qui ſimiliter, ut tu, homo ſum, coram adſum: ſi tacueris, tecum diſceptabo: ſi quidquam habebis ad me refellendum, libenter audiam: quòd ſi nihil potes reſpondere, rurſus ſile; & ea, quæ a me dicentur, attende.

ADDITIONES IN CAP. XXXIII.

A *Ecce ſemel loquitur Deus &c.*

OLYMPIODORI.

VBERIOR ex Car. Pinelli explanatio. Deus, inquit, qui curat noſtra, quædã ſeuit in animis noſtris, quæ cuſtodire ipſi debemus. Verbi cauſſa, ut Deum diligamus, & proximum, quemadmodum noſmetipſos. Quod ſi in re quapiam prolapſi fuerimus, tamquam Pater liberorum amans ſæpenumero nos ſomnijs, nocturniſq. ſpectris erudit. Quia enim naturalem legem negleximus, terrorem ad caſtigandum idoneum per uiſa ipſa infert.

B *In meditatione nocturna.*

Id eſt in ſermocinatione, cum horrificis uiſis, quaſi uerbis quibuſdam oblatis, homines ad animi ſanitatem deducit.

Reuelat autem mentem hominum.

Id eſt exeitat. ad Dei ſapientiam adducit; ut uitæ rationes corrigant terrore perculſi.

C *Ecce hæc omnia operatur fortis.*

OLYMP. Quoniàm dixerat ante, *Semel loqui Dominum*, hoc eſt ea, qua prænoſcit omnia, ſapientia ſua a principio decreuiſſe quodcunque tamdem ſiue de probis, ſiue de improbis facturus eſt iudicium. Addiderat etiam Elius ad frugem unam conuerti homines tum ſomnijs obiectis diuinitus, tum etiam maiore quadam ui pœ-

ne

ne cogente ob morbos, & uexationes: Ideo nunc in pauca ſententiam omnem conferens, inquit, hæc omnia operatur fortis: uias tres cum uiro: dicendo, minitando, puniendo. Aut tres uias dicit ob triplicem utilitatem, quæ in Dei ineſt diſciplina: nam & uitium profligat; & uirtutem adducit; & mercedes ſanctis ob uirtutem reddit. Vel tres uias: quia integrum ſeruat nobis corpus, & animam, & ſpiritum: vel tres, hoc eſt multiplices.

D *Si tibi ſermones ſunt, reſpondeto mihi.*

IVLIANI. Si quid igitur habes, ad hæc, aut uero me coarguere potes, nequaquam iuſta de Dei Iuſtitia differẽtem ſermonem prome. Tuam enim defenſionem audiam libenter.

Illud enim; & ego ſum ſicut tu.

Pro eo eſt, non eſt tibi cum Deo diſceptatio. ne uerearé. Sicut dicebas ipſe: noſtri enim utriuſquẽ eſt natura ſimilis. Quod ſi nihil habeas reſpondere, alterius cuiuſdam ſapientiæ uerbá attende. Tibi quidem optandum eſt, ut tua probata ſit innocentia. Verum non tua ſententia, ſed Dei ſuffragio, ac teſtimonio eſt id tibi obtinendum.

PROTHEORIA CAP. VIGESIMITERTII.

CVM rationem expoſuiſſet Elius, quemadmodum Deus, qui curat humana, nos erudiat, tum ſecundum quietem viſis terrendo, tum morbis ad meliorem diſciplinam nos inſtituendo, ac reuocando; iterum ab alio quodam initio ducit orationem; necnon in ipſo exordio auditores ad ea, quæ dicenda ſunt, cognoſcenda hortatur. Proponit autem ſe de ſupplicio, extitioq; iniquorum dicturum. Cum verò Iobus ſe iuſtum eſſe dixit, nec iure affligi a Deo; rectè id dixerit, an ſecus, auditorum vult eſſe iudicium. Ad hæc flagitioſos a Deo, cum is pro dignitate vnicuique reponit, mulctari confirmat: eiusq; rei rationem explanat, quòd Deus iniuſte a ſe effectas naturas lædere nulla ratione poſſit. Ita de recto Dei iudicio præclare Elius diſputauit. Sed tamen Iobo ſuccenſet, quòd æquo iure cum Deo velit in iudicio confligere. In quo, nec quid Iobus diceret, Elius ſatis attendit; nec illud vidit, non quaſi Deum iuſtus criminaretur; ſed vt amicos coargueret, apud Deum ipſum experiri.

Suſcipiens

CAPVT XXXIIII. *Suſcipiens autem Elius, ait; Audite me ſapientes: ſcientes auribus percipite bonum: quia auris probat ſermonem, & guttur guſtat eſcam. Iudicium eligamus nobis ipſis; cognoſcamus inter nos ipſos, quod bo-*
A *num. Quia dixit Iob, Iuſtus ſum: Dominus mutauit iudicium meum: mentitus eſt iudicio meo. Violenta ſaggita mea ſine iniuſtitia.*

IVLIANI.

DELINIT auditores Elius, quos antea caſtigarat. Poſtquam igitur eos ſapientes, rectiq. ſcientes appellauit: ſermonum iudicem aurem eſſe confirmat; quæ uerum, falſumq. internoſcat, & rectum à prauo ſecernat: non ſecus quàm palatus, qui eſculentorum, poculentorumq. qualitates diiudicat; & amarum, dulceq. diſcernit. Ergo communis ſit ueri diſquiſitio; & commune ſit iudicium recte, an ſecus Iobus dixerit, cum his uerbis locutus eſt, *Iuſtus ſum: Deus mihi ius iudicandi minime cuſtodiuit*, ſiue ut Aquila, & Symmachus expreſſerunt, Peruertit, & alienauit a me iudiciũ, *& in iudicio meo mendacium*. Quandoquidem non dignum factis meis iudicium fecit: uerum a me iuſtitiam ſuam abſtraxit, & potentia magis quàm iuſtitia uſus, inſonti plagam inflixit. Sic igitur Iobi uerba acceperat Elius. Verumenim Iobus hoc tãtum dixit, De factis meis Deus iudicare cunctatur. Quòd ſi is, qui iuſtus eſt, audire me uellet, ex his iam calamitatibus eripuiſſet; quod ipſum ex ijs uerbis planum fit. *Vociſerabor, & numquam iudicium*. Verumtamen Elius Iobi carpit uerba, atque peruertit; quippe qui caritatis, qua illa Iobus fundebat, eſſet ignarus.

Quis uir ſicut Iob, bibens ſubſannationem ſicut aquam? qui non peccauit? neque impie egit? nec denique communicauit cum facientibus inique, ut ambularet cum impijs?

OLYMP. Et mihi, inquit, eſt Iobi ſpectata uirtus, qui ſua ſponte, atque iudicio iniurias ſuſcipit, ut qui aquam hauriunt; idq. cũ nec apud homines offenderit; nec Deum impietate ulla uiolarit; quinetiam ſe a facinoroſorum, impiorumq. conſuetudine, atque

conuictu

conuictu abſtraxerit. * Hoc uero ſummæ eſt uirtutis argumentum, haud moleſte ferre iniuriam, CLEMENT. a Rerum enim omnium pretioſiſsimum eſt peculium, animi tranquillitas. Talem nobis hic liber Iobum deſcribit; qui iniurias perinde, ut aquam exorbebat. Hominem admiratione atque imitatione uere dignum. Si tantum quis egregiæ tolerantiæ fuerit aſſecutus, ut certare facile queat, illam ægritudinem, quæ ex illata iniuria naſcitur, uincet: nec re qualibet expugnari facile poterit.

* τοῦτο δὲ δεῖγμα μεγίστης ἀρετῆς τὸ φέρειν ὕβριν ἀλύπως. Χρῆμα γὰρ τῶν ἄλλων ἁπάντων ὅτι μάλιστα τιμαλφέστατον ἡ ἀταραξία.

a Interpretatio hæc Clementis totidem uerbis uſurpata eſt a Cyrillo Alexand. per ſpicuum ex Caten. Pinel.

Non enim dicas, quòd non erit viſitatio viri, & viſitatio illi a Domino.

OLYMP. Cum de Iobo dixiſſet amicis; nunc ad eum orationem conuertit, dicitq;. Hoc de te conqueror, non quòd iniuſtus ſis, ſed quòd res noſtras a Dei contemplatione, prouidentiaq;. ſeponas. Eſtque per errorem rurſus Elius lapſus: quoniam dixerat Iuſtus.
Iob c. 24. *Cur impij viuunt? & quare tempora latuerunt Dominum?* quæ quidem ille, quaſi quæſtionem proponens amicis fuerat elocutus. Attamen Theodotio ſuperiorum uerborum hanc attulit expoſitionẽ. Quia dixit, Non periclitabitur uir, cum ſe probauerit cum Deo; Symmachus uero: Non æquabitur uir? Illud autem Theodotionis ſimplicem enunciationem habet; hoc uero Symmachi affectum quemdam, atque interrogationem.

Ideo, prudentes corde, audite me: ne mihi ſit coram Domino eſſe impium, & coram Omnipotente turbare iuſtitiam. Sed reddet homini, quemadmodum facit vnuſquiſque eorum, & in ſemita viri inueniet [1] eum.

1 Ei In Cat. Pinelli.

OLYMP. Quandoquidem haud de rebus leuibus nobis futura eſt diſputatio, nolite, amici, hæc perfunctorie audire: ea namque quæ dicuntur, uobis poſſunt eſſe percepta. Abſit enim, ut ad impios ego ſermones delabar; uel ut, dum de Deo, cui ſumma eſt omnium rerum poteſtas, verba facio, iniuſti quidpiam loquar. Scio uidelicet omnibus, quod cuique debetur, a Deo tribui: de unoquoque ab eodem perinde iudicium fieri, ut uiam quiſque tenuerit. Symmachus uero, cum his uerbis interpretatus eſt, Abſit a Deo iniquitas, & a Sufficiente iniuſtitia, hanc ſententiam ſuggerit. Haud ego dixerim, quidpiam a Deo, neglecto iudicio agi. Vnicuique enim illa euenient, quæ ea, quam ingreſſus fuerit, uia digna fuerint; & unumquemque facti ipſius minime obſcuri conſcientia conuincet.

Putas

Putas autem Dominum abſurda facturum? aut Omnipotens turbabit iudicium, qui fecit terram? Quis enim eſt, qui faciet eam, quæ ſub cœlo eſt, & quæ inſunt omnia.

OLYMP. Dominus eſt ipſe Deus, in res omnes tenens imperiũ, omnium, quæ ſunt opifex. Ipſe enim cęlum, terraſq. condidit, atq; ea, quæ media ſunt interiecta. Haud quidpiam, inquit, indignum ſuſcipiet Dominus aduerſus eos, qui in eius ſunt poteſtate ac ditione. Neque is, qui præeſt omnibus, iura peruertet: neque is, qui ſua bonitate hanc rerum uniuerſitatem excitauit, neceſsitate aliqua uictus, aut adeo a quopiam coactus, & contra, quam oportet, opificium ſuum iniuria lædet. Neque enim ab ipſo, quæ effecta ſunt, aliena ſunt, ut nos uexare debeat iniuria. Etenim ſibi ipſe parcit.

Si enim voluerit cohibere, & ſpiritum apud ſe retinere, ſimul interibit omnis caro; omnis autem homo in terram abibit, vnde etiam formatus eſt.

OLYMP. Si ſpiritum dumtaxat, inquit, ac uitam, quam uiuentibus dilargitur, inhibere uoluerit, cuncti mortales funditus interibunt; atque in terram, e qua ſumpti ſunt, diſſoluentur.

Si autem non erudiris, audi hæc, auribus percipe vocem verborum. Vide tu eum, qui [1] *odit iniqua, & qui perdit improbos; qui eſt æternus, iuſtus.*

OLYMP. Ceteri, Si non intelligis, audi. Nunquid, qui odit iudicium, * obſtruet ad ſanitatem? Hæc autem eſt ſententia, Si hæc tibi perſuadent, melioremq. mentem iniiciunt, bene habet; ſin autem, attende reliqua. Sic enim commentare. Deus qui ſemper iuſtus eſt, odit iniqua, ſupplicioq. afficit facinoroſos. Syllogiſmo autem eſt uſus huiuſmodi. Si punit ideo, quòd improbitatem odit, ergo iuſtus eſt; nec quidquam non ex iure aget: neque enim idcirco quẽpiã aut uinxit, aut coercuit, quia iudicium, hoc eſt, iuſtitiã odiſſet, cũ alicuius voluit corrigere improbitatem; neque enim ſceleratis licẽtiam, impunitatemq. permiſit; neque ijs ad grauiora ſcelera, morbis, terroribus, ac rebus huiuſmodi aditum non interclusit. Immo uero cum uitium amputat; atque eum, qui morbo laborat eiuſmodi, ſanat; nimirum palã oſtendit, nõ odio, ſed cordi ſibi eſſe iudiciũ.

[1] Facientem iniqua apud Ambr. & in codd. impp. græcis. verum in Cat. Pinelli ut in noſtra: cui etiam ſuffragantur Vaticana Biblia.

* ἐπιδήσει quamquam in exẽplari eſt: ἐπειδήσει.

Impius

Impius eſt, qui dicit Regi, inique agis: impijſsimus principibus.

Olymp. Si is, qui dicit Regi, Inique agis, apud principes ſummæ improbitatis iudicium ſubit; propterea quòd, in conſilium humana adhibita ratione eum exiſtimant dominationis odio ſcelerata quædam machinari; quid illis fiet, qui Deo dicere audent, Agis inique? Chrysost. Multa enim Deo, atque eius decreto permittere debes, quamuis ſint tibi ignota: neque hæc tibi ſumenda eſt cura, ut omnia diſcas. Recte uero dixit, apud principes impium iudicari eum, qui terreno Regi exprobrat iniuſtitiã. Neq; enim apud Deum neceſſe eſt eſſe eiuſmodi.

Qui non erubuit faciem honorati.

Alij, principum.

Neque honorem deferre robuſtis, mirari vultum eorum: inania ipſis euenient, cum clamauerint, & rogauerint virum.

Olymp. Impius inquit, iudicatur is etiam, qui nõ afficit honore diuitem, quiue illius non ſuſpicit dominationem. Atqui, qui hominum implorant auxilium, & qui principibus, fidunt, ſtulti ſunt; neque ex ea re lucri quidpiam facturi ſunt.

Vſi enim ſunt inique,[1] *excluſis impotentibus.*

Hi flagitioſe, inquit abuſi ſunt poteſtate: proptereaquòd humanæ gratiæ cauſſa ius contempſerunt; imbecillos autem, & pauperes ſuo iure prohibuerunt.

[1] Incluſis, impotẽtibus ĩ Cat. Pinelli & in impreſsis: ad interpretationẽ, Olymp. nõ recte Vaticana habent nõ ἐγκλειομένων ἀδυνάτων, ut pleraque, non ἐκκλειομένων ut noſtra, uerum ἐκκλινομένων.

B *Ipſe enim inſpector eſt operum hominum: latet autem eum, nihil eorum quæ faciunt: neque locus eſt, quo ſe abdant, qui faciunt iniqua.*

Qui ſcelerate agunt, neque uitare Dei poſſunt adſpectum, neque ipſum quoquo modo latere. Chrysost. Obſerua mihi quemadmodum non ſimiliter ut amici, Elius Iobum peruellat; quemadmodum eum increpet, non cum eo accuſatorie agat. Nec enim illi dicit, Pupillos ac uiduas prædatus es. Verum quid is tandem? Deus iuſtus eſt.

Quia non ſuper hominem ponet amplius.

Olymp. Hæc eius uidetur eſſe oratio, Hoc quidem tempore bonum

bonum,ac malum in noſtra eſt poteſtate: uerum in eo, quod conſequitur æuo,eius rei nobis erit erepta facultas. Neque enim tunc erit agendi; faciendiq. operis tempus opportunum; neque rei gerendæ optionem Deus hominibus daturus eſt amplius. aNonnulli ſic exiſtimāt,*ſingulas iuris partes minime,ſpectaturū. Symmachus uero quandam aliam ſententiam ſua interpretatione expreſsit: ſic enim ille,Non enim ſupra poſitum eſt amplius. Quoniam enim dixit,nihil eſſe,quod Dei oculum omnia contuentem fugiat,merito adiunxit, nullum eſſe uelum obductum, quod diuini oculi obſtruat luminibus.

a Quorum tamē eſt plena impietatis opinio.

* ἐκ τοῦ καθ᾽ ἕνα ὄψεται τὸ δίκαιον.

Dominus enim cunctos videt, comprehendens ininueſtigabilia, glorioſa, & ſtupenda, quorum non eſt numerus; manifeſtans eorum opera, & conuertet noctem, & humiliabuntur.

OLYMP. Quia Deus,inquit, cernit omnia, ideo quæ alijs ſunt incomprehenſa,ipſe comprehendit;& quæ maiora ſunt ominum, opinione,facit nihil eorum plane ignorans, quæ ab hominibus geruntur. Idcirco lucem etiam impiorum,ideſt,illorum ſplendorem, atque felicitatem,in noctem, mçroreq. cōuertit, illosq. deprimit.

Extinxit autem impios: viſibiles autem ſunt corā eo.

Noti ſunt ei inquit,operarij iniquitatis. Idcirco, poſtquam eorū parumper eluxit felicitas,extinguuntur. Neque uero Deus ita inſpicit, contemplaturq. impios, ut ijs faueat: uerum ut in eos animaduertat,quemadmodum eſt in Pſalmo: *Vultus autem Domini ſuper* *Pſal.*
facientes mala,vt exterminet. *33.*

Quia declinauerunt a lege Dei: iuſtificationes autem eius non cognouerunt; vt adducerent ad eum clamorem pauperis; & clamorem mendicorum exaudiet.

* πρακτικῶς.

OLYMP. Suppliciorum, quæ perferunt impij, cauſſas exponit; quia,inquit,Dei iuſſa,* agendo,non cognouerunt; uerum a diuina lege receſſerunt. *Vt clamorem*,inquit,*pauperum adducerent*,qui affecti iniuria uociferantur; atque diuinam opem, benignitatemq. prolectant. Ij ergo,qui faciunt iniuriam, pauperis, qui paſſus eſt, clamorem ad Deum perferunt.

Et ipſe ſilentium præbebit: & quis condemnabit?

OLYMP. Symmachus autem: Ipſo quietem dante, quis condemnet?

demnet? Vel igitur hoc dicit, Si Deus eorum, quibus iniuria fit, cauſſam contemnat, quis præterea alius potentes, atque iniuſtos queat condemnare? Vel, ſi Deus iniquorum animaduerſionem prætermittat, quis eum damnare audeat? aut uero tanquam iniuſtum accuſare?

Et abſcondet faciem, & quis videbit eum? & contra gentem, & contra hominem ſimul.

OLYMP. Hoc dicit, Cum minime ſit adſpectabilis Deus, iudicia quoque, quæ uideri nequeant, promit; nec unum aliquem hominem, ſed uniuerſam etiam quampiam gentem ſupplicio mactat; & ea quidem ratione, atque eas ob cauſſas, quę illi ſunt uni exploratę.

Qui conſtituit Regem hominem hypocritam ſuper moroſitatem popu'i.

OLYMP. Et id quoque diuinæ eſt prouidentiæ, eum, qui adſpectu atque ſpecie emētitur uirtutem, permittere, ut Rex declaretur; idq; propter populi, cui animaduerſione, & diſciplina opus eſt improbitatē; quemadmodū alibi dixit, *Dedi eis Regē in ira furoris mei.*

[a] *Quia ad fortem dices, Accepiſti; non pignus ſumpſiſti: ſine me videbo, tu oſtende mihi.*

Nonnullorum hæc fuit huius loci interpretatio. Nemo potentiori dicere audet, Iniuſte mea ſuſtuliſti, cum haud pignoris nomine tibi deberentur, & quidem nec me libente, abſtuliſti; id te iure feciſſe doce. Quod ſi ei qui viribus, & poteſtate pollet, nemo eiuſmodi quidpiam dicere auſit, qua tandem ipſe ratione talia es contra Deum auſus? Symmachus autem ſic expreſſit, Quia ad Deum locutionem aſſumpſi, non recuſo interpellari, [b] Tu uero oſtende mihi. Ac fortaſſe hęc ipſa Symmachi interpretatio relabitur eodem. Quando quidem, inquit, Elius, pro Deo cœpi, nihil in ſiſtens, longius dicendo progrediar. Quòd ſi minus recte quidquam a me dicitur, idpſum tu docebis, atque coargues orationem. Verum enim mihi hæc uidetur probabilior huius loci explanatio. Non, quia ipſe dicendo Dei ſum cauſſam complexus, idcirco abs te quaſi nomen quoddam, & æs alienum exigo, quin potius, quamuis nulla mea prorſus eſſet oratio, num quid ad me reprehendendum habeas, uidere cupio. Nā ego ſane interim ſilebo. Tu uero, ſuſcepto ſermone, ſi potes; & ſi quidquam mihi erratum eſt, oſtende.

a Ambr. quoniam ad fortem dicens accepi non alienabo: cū quo conſentiunt nonnulli codd. impreſ. i. & Caten. Pinelli. Vaticana non ſecuquàm impreſſi & Ca. Pinelli. εἰληφᾶ οὐκ ἐνεχειράσο. accepi non oppignorabo.

b. οὐχ ἕξω ἀκολύτως. Quòd ſi pro ἀκολύτως, ἀνακολούθως legamus, ſententia erit huiuſmodi. Diſputationis ordinem haudquaquam perturbabo.

Si in

Si iniuſtitiam operatus ſum, non adijciam.

Olymp. Doce, Iobe, inquit, me contra ius locutum eſſe, & ego deſinam.

Nunquid a te perſolues eam? quia repuliſti? quia tu eligens & non ego? & quod noſti loquere.

Olymp. Num meorum uerborum inquit, tibi pœna eſt perſoluenda? Ne igitur omittas; ſed quæ mihi dicta ſunt, reprehendas: tuum enim eſt deligere, atque diiudicare; rectene, an ſecus fuerim locutus; non meum, qui dixi. Ergo, ſi quid amplius intelligis, ipſe reſponde.

C *Ideo prudentes corde dicent hæc; vir autem ſapiens audiuit verbum meum.*

Olymp. Tanquam Iobus tacuiſſet, illius ſilentio ſuos Elius ſermones confirmat; dicitq. hæc ipſa, quæ egomet dixi, alij prudentes uiri tibi dicturi ſunt. Quòd ſi quis intelligentia præditus uir hæc mea audiat, nimirum eadem ipſa comprobabit.

Iob autem non in ſapientia eſt locutus: verba autem eius non in ſcientia.

Ego quidem prudēter, inquit, ſum locutus. Tu autem, Iobe, qui es ſcientia clarus, haud ſcienter uſus es oratione, qui in iudicio cum Deo diſceptare uolueris. Chrysos. Tacite hæc ad ueniam referuntur; neque enim ob facta, ſed propter verba eum docet eſſe in culpa. Quæ ſane criminatio nec ab amicis prætermiſſa eſt, quando dixerunt. *Quouſque loqueris hæc ſpiritus multiloquus oris tui?* Iob. c. 8.

Verumtamen diſce Iob; ne des amplius reſponſionem, quemadmodum inſipientes, ne adijciamus peccatis noſtris.

Chrysost. Quæ cum ita ſint, inquit, meo conſilio utere; neque uelis amplius, ut ſtultus quiſpiam faceret, eoſdem uſurpare ſermones, ne priora peccata poſterioribus cumulemus. Ego enim uereor, ut nudorum uerborum nobis ſit apud æquum iudicem ratio reddenda. Cum uero numero adhibito multitudinis ſermonem communem facit, haud inuiſam cohortationem adiungit.

Iniquitas enim in nobis, reputabitur, multa verba coram Deo loquentibus.

Olymp.

Olymp. Nec flagitioſa, dixit, nec impia; ſed ſimpliciter multa, ut doceat non eſſe Deo multis reſpondendum. Nam, ſi nemo apud regem uerboſiore oratione audeat uti, quanto id minus apud Deum audendum eſt? Quandoquidem multa loqui hoc ipſum a Prou. c.9. Deo uitio datur. quemadmodum ſcriptum eſt, *In multiloquio non fugies peccatum.*

ex.70 ADDITIONES IN CAP. XXXIIII.

A *Auris ſermonem probat; & guttur guſtat cibum.*

IVLIANI.

QVEMADMODVM enim eſculenta non unam præſeferunt qualitatem, ita uerborum non una eſt notio, atque ſententia.

B *Ipſe enim inſpector eſt operum hominum.*

Evagrii. Nam Prouidentia ad ſingulos, & ad opus ſingulorum pertinet.

C *Prudentes corde dicent hæc.*

Ivliani. Non illius facta ſed uerba reprehendit: quod minus opportune cauſſam plagæ ſibi inflictæ cognoſcere aueret.

PROTHEORIA CAPITIS VIGESIMIQVARTI.

DE diſciplina Dei quia ij, qui peccant, ſanantur, & de ſupplicio, quo iniuſti delentur, adhuc diſſeruit Elius; nunc de eius patientia, ac maieſtate parat dicere. In quo Iobo ſtomachatur, quia dixerat. Si ego peccaui, quid ego tibi facere poſſum? & quia apud Deum ſuam cauſſam cognoſci voluit.

Suſcipiens adhuc Elius ait, Quid hoc putaſti in iudicio? CAPVT XXXV.

OLYMPIOD.

AVT hoc dicit, quam animo de diuinis iudicijs imbibiſti opinionem? utrum ad ea percipenda niti ipſe potes? aut hoc alterum: Quid tibi uenit in mentem, cum Deum iudicem popoſciſti?

Tu quis es, quia dixiſti, Iuſtus ſum coram Domino?

Olymp. Quo pacto es, inquit, auſus te uel apud ipſum Deum

iuſtum eſſe pronunciare? Nam illud quidem uere dicitur, eſſe Iobum iuſtum: illud alterum, eſſe coram Deo etiam iuſtum, mendacem habet acceſsionem. Hoc enim didicimus, iuſtitiam hominum uniuerſam, ſi cum Dei iuſtitia conferatur, haudquaquam eſſe iuſtitiam. *Non enim iuſtificabitur in conſpectu eius omnis viuens*. Quare haud mediocris ſuperbiæ eſt argumentum, ſeipſum apud Deum iuſtum exiſtimare. *Pſal. 142.*

Dices, Quid faciam, cum peccauero?

Neque illud, inquit, dicere tibi fas eſt; Quid faciam, ubi peccauero? Neque enim quid agendum ſit, ignoras. Peccato enim abſtinendum eſt, Deoq. ſupplicandum. Et quidem Elius ad ſuam ipſe ſententiam præclare ſuadebat. Verum Iobus meliore illud mente extulit. *Si peccaui, quid tibi poſſum facere?* ut huic par illa Iobi ſit oratio; Nil eiuſmodi efficere, moliriue poſſum, ut peccatum delere queam, niſi me tua benignitas complectatur. Alij uero quamdam aliam interpretationem horum uerborum excogitarunt. Si, poſtquam recte factis operam nauaui, punior; quid ob praue facta mihi eueniſſet? Symmachus quidem pro, *Dices, Quid faciam, cum peccauero?* ſic conuertit, Dixiſti, quia nihil proderit tibi. *Iob. c. 7.*

Ego autem dabo reſponſionem tibi, & tribus amicis.

Olymp. Tamquam Iobus fuerit imprudenter locutus, tamquam nullam idoneam reſponſionem inuenire amici potuerint, probabiliores ipſe pollicetur ſe rationes allaturum. Iobumq. cum amicis ideo coniungit, propterea quod iam uicti eidem ipſi aſſentiebantur.

Reſpice in cœlum, & vide: contemplare nubes, quia altæ ſunt a te.

Chrysost. Non ex rationibus, & argumentis, ſed ex ijs, quæ uiſuntur, quanto ſit Deus a te interuallo diſiunctus, & quanto te ſit excelſior, cognoſce. Olymp. Vide, aduerſus quem defenſionem compararis, nempe aduerſus eum, qui te tanto eſt ſuperior. Origen. In cœlum autem ſuſpicit non is, qui corporis oculos ſuſtulerit, cœlumq. adſpexerit; ſiquidem & canes, & aſini oculos habent, qui tamen in cœlum non ſuſpiciunt: ſed neque is ſuſpicit, qui rerum humanarum flagrat cupiditate; uerum qui nec mundum, nec ea, quæ in mundo ſunt diligit. Adhæc non

uſque

uſque eo ſunt hæ nubes in altum editæ, atque a nobis abiunctæ, ut eſt uita Moyſis, atque eius Deo probata uirtus, quoties & uitæ illius celſitudinem, & tenuitatem, humilitatemq. meam fuero contemplatus. Id enim ſi fecero, tum demum quàm a me longe nubes abſint, uidero. Quòd ſi ad Ieſum Naue peruenero, & ad prophetarum uitas acceſſero, illorumq. res geſtas diligenter perquiſiero; tunc, quod hic ſcriptum eſt, perfecero; & quàm a me ſublatæ nubes ſint, perdidicero.

Si peccaſti, quid facies? ſi autem & multa inique egiſti, quod potes facere? Quoniam igitur iuſtus es, quid dabis ei? aut quid de manu tua accipiet? viro ſimili tui impietas tua, & filio hominis iuſtitia tua.

Chrys. Haud quidquam eum peccando læſeris, ſed nec iuſtitia tua eumdem quidquam iuueris. Quæ enim hinc ad eum utilitas damnumue dimanarit? ſiue tu ipſe praue egeris, ſiue iuſtitiam colueris? Hominem, alium quiſpiam eiuſdem naturæ ſocietate coniunctum iniuria, beneficioue affecerit; at neutram harum rerum Deo feceris. Ne igitur tuam uendites iuſtitiam. Quod enim
Iob. c.7. dixerat Iobus. *Si peccaui, quid tibi poſſum facere?* Ideo nunc Elius, Quamobrem hoc tibi excidit? Neque de te Deus, quaſi iniuria uiolatus anxie laborat quaſi damno aliquo affectus. Vel aliter. Vtrum noſti, ſi te uerbis noris peccaſſe? uerbis item tibi mederi, melioribus? ac, ſi praue factis apud Deum offendiſti, recte factis te ipſum curare? Quod ſi multæ, atque adeo inſanabiles ſunt iniquitates noſtræ, ut nullam nobis ipſi noſtra ſponte curationem adhibere poſsimus; idcirco e cœlis Iesvs Christvs aduenit; ut,
Pſ. 31 quæ ſanari non poterant, ſanaret, illudq. efficeretur, *Beati quorum remiſſæ ſunt iniquitates.*

A multitudine calumniam paſſi vociferabuntur: clamabunt a brachio multorum: & non dixit, Vbi eſt Deus, qui fecit me, qui[1] conſtituit cuſtodias nocturnas?

[1] Theodotio qui dat laudē in nocte ex Cat. Pin.

Homines, inquit, qui petuntur calumnijs, calumniarum turba oppreſsi, clamorem ad Deum tollunt; cum uiolentiam brachij, & dominationis iniuſtorum ferre nō poſsunt; eorum, inquam hominum, qui Deum effectorem ſuum minime agnoſcunt: nec illud intelligunt, eumdem noctem eſſe dimenſum. Ea enim in quattuor eſt uigilias diſtributa. Chrys. An non vides veluti in exercitu,

citu, atque adeo præſtantiore diſciplina, ac ratione, cuncta eſſe diſpoſita? atque adeo nullam rem eſſe, quæ non ſuum certum ordinem tueatur? nihil rerum omnium etiam, quod ſuas lineas, metasq. tranſiliat? nihil, quod alienam regionem inuadat? Ita quo tempore ſomnium capiunt homines, nemo ſtruit inſidias. Cum enim immanes feræ iter faciunt, tunc hi dormiunt. ORIGEN. Ac uide, quemadmodum Dei laudes atque præconia Elius narret, cum de eo his uerbis prædicat. Qui conſtituit cuſtodias nocturnas. Viſne uidere, quo pacto Deus deſignarit nocturnas excubias? Omne vitæ huius tempus nox eſt, lux ipſa ſeruatur tibi. *Ita nunc uides per ſpeculum:* erit autem aliquando, cum lucem intuebere. 1.Cor. c.13. Vniuerſum igitur huius temporis ſpatium nox eſt, & quidem cuſtodijs, atque excubijs opus fuit, quæ hanc ipſam noctem tuerentur. Vt illi, inquam, qui ſunt in cuſtodia collocati, nocturnasq. uigilias agunt, eos, qui uerſantur in nocte, a latronibus, a belluis, ab hoſtibus defendant. Sed quinam cuſtodes ſunt? Nempe qui caſtramentantur Angeli.

Qui diſcernit me a quadrupedibus terræ, a volucribus cœli.

ORIGEN. Vt alij, Qui docet nos ſuper iumenta terræ; & erudit nos ſuper uolucres per aëra uolantes. Etenim unus homo eſt rationis dignitatem adeptus. Ergo ipſi ad opificij quidem rationem ab omnibus ſumus animantibus ſeiuncti: verum, ſi peccandi libidine, ſi meretricio commercio, ſeu conuictu teipſum ad terram proſternas, haud a terræ quadrupedibus eris ſeiunctus: immo uero comparaberis iumentis, erisq. *Sicut equus, & mulus, in quibus non eſt intellectus.* Ps.31 Et ſane ut equus, effrenata furens libidine.

Illic, vociferabuntur, & non exaudies? [1] *& ab iniuria improborum?*

1 Aug. non audies. quāuis Ambroſ. non audiet, & impreſsi multi. Vaticana non audiat.

OLYMP. *Illic*, Pro, Tunc, poſitū eſt. Tunc, inquit, clamore cum te appellabunt ij, qui fuerint iniuriam, & calumniam paſsi, an tu ipſos illos non audies? neque eorumdem iniurias illatas ab improbis minime ulciſceris? Sane quidem ulciſceris.

Abſurda enim videre non vult Dominus. Ipſe enim Omnipotēs inſpector eſt facientiū iniqua: & ſaluabit me.

Illud mihi intellectum, ac perſuaſum eſt, nihil eſſe, quòd non in Dei incurrat oculum, resq. illi abſurdas odioſas eſſe, atque deteſtabiles,

biles, atque eum qui patitur iniuſte, prorſus liberatum iri diuinitus. CHRYSOST. Nec enim, quæ iniqua ſunt, tantum non probat; ſed, cum odium habeat in ea quæ flagitioſa ſunt, nec uidere etiam uult.

Iudicare autem coram eo, ſi potes eum laudare, ſicut eſt, & nunc.

OLYMP. Ad Dei, inquit, præſtantiam excogita, ac uide, num intelligentia tua ipſius laudem capere poſsit. Quid ergo eſt, quòd apud eum, qui talis eſt, ac tantus, iure uelis, iudicioq. diſceptare? quandoquidem nec eum de iſta ipſa pęna, quam nunc ei perſoluis, pro dignitate potes laudare. CHRYS. Si enim pro tribunali, inquit ſederit, tuaq. ipſe iura fueris perſecutus, haud illius laudem, & gloriã pro dignitate proſequi tibi licebit; neque dignam ei laudationem ob ea comparaueris, quæ ab eo ipſo tibi hoc tempore acciderunt: tametſi putas ipſe per iniuriam ab eo tractari, atque multari. Atque Deum non poſſe a nobis dignis laudibus ornari, haud magnum fuerit: uerum ea uelle, quæ uitæ noſtræ rationes attingunt, aduerſus eum iure defendere, quem non poſsis digna prædicatione efferre; hoc uero permagnum eſt.

A *Quia non eſt conſiderans iram ſuam, & non cognouit delicta valde.*

Aut hoc dicit, Dei laudes idcirco non poſſe a nobis, qua dignitate decet, celebrari; quia, dum is inter nos iudicia exercet, iræ ſuę rationem minime ducit, neque illa culpas noſtras metitur, nec peccata noſtra admodum obſeruat. Aut ad Iobi hæc ipſa perſonam referuntur. Ignorat Iobus uidelicet diuinæ iræ magnitudinem, ac pondus, nec peccatorum noſtrorum aſſequitur numerum: ſi enim aſſequeretur, illud item aſſequeretur; haudquaquam Deum in eos, qui ſcelerate agunt, ſtomachum ſuum omnem erumpere.

Et Iob ſtulte aperit os ſuum; in ignorantia verba[1] aggrauat.

OLYMP. Symmachus autem ſic, Inſipienter ſermones graues fecit. Quia Iobus, inquit, nec Dei præſtantem uim, ac tolerantiam, nec illius incomprehenſa iudicia ſatis attendit; nec illud uidet ad Dei laudes non poſſe hominem quempiam parem facultatem adſerre, nedum illius iudicia ſuſtinere; idcirco aſpera, & abſurda uerba uſurpauit.

1 Verba aggrauat, ſic nos interpretati ſumus. Ambroſius ponderat Aug. multiplicet. ſed ipſi & Ambroſ. vim uerbi græci expreſsimus.

ADDITIO IN CAPVT XXXV.

A *Et nunc quia non eſt conſiderans viam eius.*

OLYMPIODORI.

OB ID ipſum, inquit, quia non ſemper noſtra recognoſcit: nec ea, qua deberet Deus pęna, nequam homines plectit: & quia quaſi rerum noſtrarum ignarus non grauiter noſtra peccata coërcet: Scilicet eius tolerantia, & in ſuſtinendo mentis altitudine ad deſpicientiam mortales abutuntur. Cum uero dicit, *Et nunc.* Oſtendit ſi non continuo puniat, cuiuis nihilominus pro dignitate repoſiturum.

PROTHEORIA CAP. VIGESIMIQVINCTI.

DE IVSTITIA Dei ſuum cuiq; ius, ſuamq; dignitatem tribuente, itemq; de illius poteſtate eximia, atque de ſapientia incomprehenſa hic diſſerit Elius. Ex ijs autem, quæ gignuntur in aere, procellis, tonitruis, necnon ex belluis, atque iumentis ſuæ fidem facit orationi. Ex animantium porro genere quaſdam eſſe docet, quæ de die opus faciant, nocte vero ad quietem reuocentur: nonnullis autem diurnum datum eſſe laxamentum, ne in homines incurrant infeſtæ: de nocte autem cibi cauſſa circumcurſandi ijs eſſe laborem. Additq; Elius aquis Deum interdum ad hominum diſciplinam, nonnumquam ad beneficium, & gratiam vti ſolere: atque e tenebris quidem lucem, e lucis autem ſeceßione noctem efficere, atque moliri: nec vero illius poſſe ſapientiam cogitatione informari. Vbi autem de ea magnificentius orationem pertexuit, ea clauſula vtitur, Deum timendum. Quod eo facit conſilio, vt & Iobus deſinat aliquando verbis Deo aduerſari, & vt illius iudiciis, quæ mens poteſt nulla complecti, libens concedat. Ergo mirifice Elius, maxime non longe ab extremo,

tremo, de diuina præſtantia, ac ſapientia diſputauit. Et Iobus quidem nil plane contradixit. Deus autem, idquod ex huius ipſius diuinæ ſcripturæ auctoritate perſpici poteſt, Iobi ſermones ſuo ſuffragio comprobauit.

CAPVT XXXVI.

Adijciens autem Elius adhuc, ait, Suſtine me paullulum etiam, ut doceam te: adhuc enim in me eſt ſermo ſuſcipiens ſcientiam meam longe.

QVONIAM etiam nunc habeo de Deo dicere, volo paullo altius repetita oratione, ſcienter, ſapiēterq. diſſerere. Itaque ea complectere, ac diſce, quæ mihi nunc dicenda ſunt.

Operibus autem meis iuſta dicam, in[1] *ueritate, & non iniuſta uerba, iniuſte intelligens.*

[1] Theodotio, quia ueri, & non iniuſti ſermones mei. ex Cat. Pinelli.

Orationis meæ, quam nunc inſtruo, æquitatem, Dei factis confirmo. Illud nimirum intelligo, quæ ipſe cognoſco, uere me cognoſcere, nec me iniuſti quidpiam cogitantem loqui, CHRYS. Ipſa rerum iuſta euenta commemoro; haud tibi uerba dabuntur. Illud tibi prouidendum eſt; ne quid iniuſti ſuſcipias; ſint tibi notitiæ incorruptæ: nunc enim, ut tute cogitas, iniuſte cogitas; haud dixit, Iniuſte feciſti; ſed, Iniuſte cogitaſti. Verumtamen audi me: nam nec mendaces, nec iniqui mei ſunt ſermones.

A *Cognoſce autem, quòd Dominus non repellet innocentem. Potens robore corda impiorum non uiuificabit, & iudicia pauperum dabit.*

Sic igitur habeto, numquam de eo, cuius eſt innocens uita, oculos Deum deijcere; numquam a ſe ablegatum dimittere; tametſi iuſtum in ærumnis, quas illi bono eſſe uult, interdum relinquere uideatur. Cum uero is, qui uiribus, ac poteſtate pollet, coërcet impios; pauperibus, qui ſunt iniuriam paſsi, ut eius poſtulant iudicia, opitulatur.

Non auferet a iuſto oculos ſuos.

Pſ. 33 Oculi enim Domini ſuper iuſtos.

Et cum Regibus in throno collocabit eos in victoriam, & exaltabuntur.

Ita fit, inquit, nonnumquam, ut tanto apud homines, dignetur Deus iuſtos honore, ut & eos in Regum ſella, ac ſolio collocet; & tandem trophæis nobilitatos amplificet.

Et vincti compedibus[1] *continebuntur in funiculo paupertatis, & annunciabit ipſis opera eorum, & peccata eorum, quia robuſti erunt.*

[1] Manicis Amb. ſed apud Auguſt. perinde eſt, ut in noſtra interpretatione.

Symmachus autem, Quia ui coëgerunt. Deus, inquit, cui etiam curæ ſunt improbi, uinclis eos conſtringit, uexatq. inopia; ut, poſtquam ſua ſcelera recognouerint, ab iniuſtitia, atque tyrannide diſcedant.

Verumtamen iuſtum exaudiet.

Id cum eo, quod ante dictum eſt, cohæret: ut ſit ita: Non auferet a iuſto oculos ſuos, ſuam, inquit, inſpicientem, prouidentemq. poteſtatem: uerum illum ipſum audiet.

Et dixit quia conuertentur ab iniuſtitia, ſi audierint, & ſeruierint, conſummabunt dies ſuos in bonis, & annos ſuos in felicitatibus.

Diuinæ diſciplinæ ratione, qua Deus ex ipſis factis ſalutem hominibus quærit, moniti cuiuſdam, quod aurium ſenſum percellat, & quo homines frugi erudiantur, ſimilem eſſe confirmat. Si igitur, inquit, dicto audientes Deo ſeruierint, beatam & bonis cumulatam vitã traducent, necnõ cum gloria ad ſenectutem peruenient.

Impios autem non ſaluat, eo quòd ipſi nolunt ſcire Dominum: & quia admoniti inobedientes fuerunt.

Olymp. Impios, inquit, non ſaluat, non ideo, quòd is illis exitij ſit auctor; ſed eam ob rem, quòd ipſi illi inſita, naturaliq. ratione Deum cognoſcere minime uoluerunt; Deiq. ſuadenti diſciplinæ, eiusq. cohortationi parere recuſarunt.

D *Et hypocritæ corde ordinabunt furorem.*

Olymp. Qui corde ſunt, inquit, hypocritæ, ideſt, qui ſpeciem dumtaxat pietatis oſtentant, ij contra ſe ipſos diuinam iram opponunt, atque conſtituunt.

Non

Non clamabunt, quia vinxit eos.

Neque oculos, neque clamorem ad Deum tollunt, a quo tamen calamitate eripi poſſent: propterea quod, inquit, eos Deus abſtrinxit: ac nimirum is etiam unus illos poteſt uinclis expedire.

Moriatur igitur in iuuentute anima eorum: vita autem ipſorum vulnerata ab angelis, eo quod [1] attriuerunt debilem & impotentem.

OLYMP. Idcirco, inquit, immature decedunt, ab angelis mortē inferentibus ſauciati, propterea quod per iniuriam uexarunt eos, quorum humilior erat condicio.

1 Aug tribulauerint infimum, & inualidū. Ambr. eo quòd cōpreſſerunt debilem, & impotentem.

Iudicium autem manſuetorum exponet.

Manſuetorum iudicium, atque uindictam Deus decernet. Hęc enim voci illi, *Exponet*; vis ſubiecta eſt. Manſuetos autem aut eos, qui ſponte ſua, certoq. conſilio iuſti ſunt, intelliges; aut eos, qui affecti iniuria, ob infirmitatem tacent.

Et præterea quia decepit te ex ore inimici.

Cum uerba illa, Iudicium autem manſuetorum exponet, interpoſuiſſet, rurſus ad hypocritarum perſonam reuocat orationem. Plectitur, inquit, hypocrita, non ob eas ſolum, quas iam expoſui, cauſſas; verum etiam, quòd hoſtili ore manſuetum fefellit.

Abyſſus effuſio ſub ea, & deſcendit: [2] menſa tua plena pinguedine.

OLYMP. Vbi hinc exceſſerit hypocrita, abyſſus ei, & quæ abyſſo ſubiecta eſt, effuſio reſeruatur, tenebræ, inquam ipſæ exteriores: tibi uero menſa dabitur adipis plena. Fortaſſe etiam hypocrita cōparatur abyſſo, propter clandeſtina, altaq. conſilia, & quia ſimulationis uelo tegit inſidias. Ex quo qui fidem illi adiungunt, naufragium faciunt; atque hæc ipſa eſt cauſſa, cur comparetur effuſioni aquarum, ſub quibus ſaxa latent, & ſcopuli, qui nauigantibus, atque uectoribus periculum creant. Quòd ſi ad diuini operis admirabilitatem interiecta uerba illa referantur, hoc ait, effuſionem illā, quæ ſubter eſt abyſſum, eſſe nihilum. Nam illam profuſione ſubnixam eſſe, prorſus fuerit admirabile.

2 Mēſa eius erat in Codice Card. Caraffæ, repoſuimus tua, ex Ambro. Aug. ex Cat. Pinelli, ex interpretatione Symmachi, ex Olympiod. commētario. atque ex Vaticanis Biblijs.

Non deficiet autem a iuſtis iudicium: furor autem ſuper impios erit propter impietatem donorum, quæ acceperunt in iniuſtitijs.

Iuſto-

Iuſtorum iniuriæ haud relinquentur inultæ: Qui enim cum ijs opipara, & adipata menſa paretur? Impijs autem diuinæ animaduerſionis uitandæ nulla erit poteſtas; ideo quòd & ius pecunia violarunt; & impie, ſceleratéq. agendi rationem delegerunt. Ergo de ijs, qui iudicarunt iniuſte, iuſte iudicabitur.

C *Ne te inclinet voluntaria mens obſecrationis, quan-*
D *do in neceſſitatibus ſunt impotentes, & omnes vali-*
dos robore.

Ideſt, eorum qui ad vlciſcendum, opitulandumq. ualent, ne te prudens conſilium a recto abducat; quando homines imbecilli tuæ indiguerint opis; quinetiam eorum neceſſarijs temporibus ſuccurre, quantum pars tua uirilis patietur.

E *Ne extrahas noctem, ut* [1] *adſcendant populi pro eis: ſed obſerua ne facias indecentia: ab his enim liberatus es a paupertate.*

[1] Aſcēdant Populi eius ſic eſt etiã apud Auguſtinũ. Sed Ambr. aſcendant alij, & impreſſi non aliter ſed Cat. Pinel. noſtram lectionem cõfirmat, itē Vaticana: natum puto eſſe diſcrimē a ſimilitudine. λαοὺς, καὶ ἄλλους.

Symmachus autem, Ne ſtudioſe cures; ut noctu adſcendant populi in locum eorum. Hæc autem horum uerborum uis eſt. Neque illos, qui uiribus ualent, afficere debes iniuria, ne forte noctu, & clam irrumpentes, hos quidem ſuis extrudant ſedibus, pro illis autem alios ſubſtituant. Ita docet, iuris æquitate erga omnes utendũ eſſe, & quamuis indignitatem uitari oportere. *Ab his enim liberatus es a paupertate*, ideſt, ab ea conſuetudine, quæ indigna ſunt, faciendi; paupertate liberabere, hoc eſt, haud te paupertatis attinget erumna. Quare illa, quæ minime decent, nec eligere, nec præferre debes inopiæ.

Ecce fortis corroborat in fortitudine. Quis enim eſt contra eum dinaſta?

Ab hominum iuſtitia ad Dei fortitudinem, iuſtitiamq. traducit orationem. Ac uide, inquit quanto robore ſit Deus, qui magno robore, diuinaq. ui efficiat uniuerſa, & qui ex collatione quapiam ad illius queat poteſtatem adſpirare prorſus ſit nemo.

Quis autem eſt, qui exquirat opera eius? Quis vero, qui dixerit, Fecit iniuſta?

Olymp. Nemo inquit prouidentiæ diuinę conſilia exquirere audet, nec fas eſt cuiquam dicere, iniuſti quidpiam ab eo geſtũ eſſe.

Recor-

Recordare, quia magna ſunt [1] *Dei opera, quorum dominati ſunt viri.*

[1] Dei opera eius opera in Cat. Pinelli & in Vaticanis.

Mente, inquit, pertracta, & quæ Deus, cum ad res creandas ingreſſus eſt, effecerit, tecum ipſe reputa: ſunt enim admirabilia, quãuis conſuetudinis uitio uideantur minora: opera Dei loquor; quorum iam inde a principio eſt a Deo hominibus mandatum impe-
Gen. rium. *Dominentur* inquit *piſcibus maris, & volatilibus cæli,* &
c. 1. Pſalmorum Cantor. *Omnia ſubiecisti ſub pedibus eius.*
Pſal. *Omnis homo vidit in ſeipſo.*
8. Ideſt, cunctis hominibus eſt inſita Dei cognitio.

Quicunque vulnerati ſunt mortales.

Illud, *Quicunque* eſt, pro, Omnes. Eſt enim omnium uulnerari, ideſt patibili, & mortali natura conſtare. Symmachus uero, qui locum hunc ſic conuertit, Vnuſquiſque adſpiciens longe, [2] indicauit uulnus hoc dici ipſam mentis ſtimulantem: excitantemq. motionem. Ij enim, qui ſtimulo concitantur, excitantur uehementius, animumq. magis intendunt.

[2] Exemplar habet: τρῶσις ἐνταῦθα ἡ νίψις ἐλέγχθη. Crediderim non νίψις, ſed νύξις legendum eſſe.

Ecce fortis multus, & non cognoſcemus.

Verbum hoc, *Multum*, & ad id, quod nec certis eſt finibus circũſcriptum, & ad numerum, qui cõprehendi nequeat, ſolita eſt Scriptura transferre. Quando igitur Dei magnitudo, ac uis quantitati ſubiici nequit, idcirco dixit eum, qui fortitudine præditus eſt multum eſſe, eſſeq. noſtra ſcientia ſuperiorem.

Numerus annorum ipſius etiam infinitus.

Hoc eſt, æternus. Eſt autem in nonnullis codicibus, *Numerus viarum*, tanquam diceret. Viæ illius, & iudiciorum, quæ inter nos exercet, itinera inueſtigari non poſſunt.

Numerabiles autem ſunt ei gutæ pluuiæ.

CHRYS. Hic ſcientiam, & prouidentiam narrat; nec immoderatum, ſed certa numeri ratione temperatum imbrem e nubibus ab eo demitti.

F *Et infundentur imbri: in nubem fluent vetuſtates.*

Guttę, inquit, fluunt ex ipſis, has enim uetuſtates nominauit. Quoniam a priſcis id fit temporibus: pro quo Symmachus: Fluent ex æthere.

Obum-

Obumbrauit autem nubes in tonitruis ineffabilibus.

Merito quiſpiam illud miratus fuerit, ſi cum animo ſuo diligenter conſiderarit; qui fieri poſsit, ut uſque eo rarus aër ita concreſcat in nubes, ut cœlum ipſum opacet hominibus.

G *Et ſi*[1] *intellexerit extenſiones nubis, æqualitatem tabernaculi eius.*

[1] Intellexerit. Sed Ambr. com poſuerit. Vide additionem ex D. Chryſoſt.

Necnon illud admirabilitatem cuipiam faciat, cum cognitum, intellectumq. ei fuerit, quemadmodum poſt puſillam nubem conſpectam, concretione nubium, cœlum contegatur uniuerſum. Tabernaculi uero nomine cęlum ſignificauit.

Super ipſum autem extendit lætitiam.

Symmachus autem; Extendit ſuper illud lucem ſuam. Alia uero exemplaria pro *Lætitiam*, Arcum, habent. Ergo, ſi homini perſpecta ratio fuerit, quemadmodum, coagmentata iam nube, Solis radij, ipſarum nubium tenuitatem, raritatemq. complexi, efficiant arcum, quę Iris a pleriſque nuncupatur; nempe is Opificis mirabitur ſapientiam? qui in nubis craſsitudine, pluuiæ utilitatem mortalibus præbuerit; in gracilitate autem, atque raritate cum arcum uiſendum propoſuit, uoluptatem terræ incolis excitauit: quòd non amplius ſint homines perdendi eluuie: ſed aquarum a Deo impetus reprimendus; ut ne ſui ipſe fidem fallat promiſsi.

Et firmamenta maris abſcondit; in ipſis enim iudicabit populos.

Aut hoc dicit, ipſum cęleſtem arcum uſque ad mare pertinere: aut uero, a Deo ipſas radices, ac fundamenta maris occultata fuiſſe: cum nemo intelligat a quonam mare portetur. His autem rebus Deus animaduertit in homines; cum aut mare, aut grandinem, aut eiuſdem generis rem quampiam aliam in terras immittit.

Dabit autem cibum potenti.

Symmachus autem: Præbebit cibum omnino multum, eſt interpretatus, ideſt, imbrium opportunitas frugum ubertatem ſolet adferre.

In manibus abſcondit lucem.

Ipſe, inquit, Dominus eſt, & effector ſplendeſcentis lucis. Neque enim ullus eſt locus, qui lucem tegere poſsit; nec poteſt quiſquam ipſam prorſus occulere.

Et

Et annunciat de ea in obuiante.

Olymp. Symmachus, Et præcepit ei, ut occurrat, eſt interpretatus. Cum nocte, inquit, lucem contegat, ut noctem efficiat, rurſus ei præcipit, ut obuiam procedat: ac ſi diceret, Dies, ac noctes illius nutu, ac uoluntate ſibi uiciſsim ſuccedunt. Illud autem, *De ea*, ad lucem. Illud alterum, *In obuiante*, ad Solem retulit.

Annunciabit de ea amicum ſuum.

Olymp. Symmachus; Annunciabit de hac amico ſuo, ideſt, nunquid de huius rei effectione aut cum altero deliberat? aut uero communicat? ut lectio cum interrogatione ſit. Poſſunt etiam ad hanc ſententiam illa eadem uerba traduci: Harum Deus cognitionem rerum amicis ſuis impartitur.

Poſſeſsio etiam de iniuſtitia.

Alij codices, *Domini poſſeſsio*, habent; Symmachus autem, Zelus de iniuſtitia, conuertit. Eſt autem ſententia huiuſmodi. Nunquid Deus de ſua poſſeſsione cum aliquo conſilium communicauit? aut uero de ratione, quemadmodum exardeſcat, & animaduertat in facinoroſos? Aut etiam ita Deus ſuis nunciabit amicis, ut illius ſapientiæ poſſeſsionem, non item, quæ iniuſta ſunt, conſequantur.

ADDITIONES IN CAP. XXXVI.

A *Potens robore corda impiorum non uiuificabit.*

Olympiodori.

Diuinae cognitionis particeps anima uitam aſſequitur. Animæq. ratione utẽtis interitus ipſa eſt inſcitia, atq; ſupplicium. Deus igitur, inquit, qui prępotens eſt, impiorum animas non uiuificabit; quia uitam ipſi cum ignoratione delegerunt. Immo uero ſceleratis dignum ſupplicium adhibet: pauperibus autem qui afficiuntur iniuria, auxiliatur.

B *Hypocritæ corde ordinabunt furorem.*

Olympiodorus dupliciter locum exponit: priorem eius expoſitionem amplexa eſt Catena Cardinalis Caraffæ, poſteriorem illa Pinelli, quæ eſt huiuſmodi Olymp. Poſſunt itaq; ad hunc modũ eadem uerba intelligi, *ordinabunt furorem*: id eſt a Deo caſtigati, uehementius excandeſcent, Deoq. impie obtrectabunt.

Ne

C *Ne te declinet uoluntaria mens obſecrationis in neceſsitate exiſtentium impotentium.*

Præciſa eſt in noſtra Catena horum uerborum interpretatio ex Olympiod. plenior hæc eſt eiuſdem Doctoris in Catena Pinelli. OLYMPIODORI. Nolite inquit ſponte de directa uia declinare eo tempore, quo tempore ij, qui neceſsitatibus, ac uiribus debilitati ſunt, tuæ opis indigebunt. Verum ijs, qua ratione potes, opitulare, neq; hæc eo dicit in præſentia, ut Iobum officij commonefaciat: quamuis id Elij præſeferat oratio: importuna enim ei eſſet homini adibita, qui tot tantisq. eſſet affectus difficultatibus. Sed nimirum, cum ſupplicij, quo conſtringendi ſunt ij, qui munera accipiunt, mentionem feciſſet, uoluit uniuerſe ad eos etiam cohortatione uti, quibus eſſet culpa fugienda. Perſonarum item uſurpatione maiorem uim, & ſpeciem adfert orationi.

D *Et omnes potentes robore.*

OLYMPIOD. Neq; eos, qui uiribus pollent, iniuria afficito, neque in occulto cogites de corrumpēdo iudicio pecuniæ largitione.

E *Neque extrahat noctem, ut aſcendant Populi pro ipſis.*

OLYMPIODORI. Quemadmodum impotentes, inquit, minime contemnendi ſunt: ita ex inſidijs in eos, qui potentes ſunt, incitata multitudine inuadere ſuisq. illos domibus exturbare non licet. Docet enim Elius iuris æquitatem cunctis tribui oportere. Alij uero hoc pacto dictum hoc explanarunt. Ne extrahas noctem dormiendo; ne pulſis cogitationibus probis, improbas, ac languidas ad te ipſum intromittas: omni igitur cautione, quæ abſurda ſunt uitare debemus: nam ſi id perfecerimus, ad mentis altitudinem aſilièmus: nec quidquam humile animo pertractabimus.

F *Pluent Vetuſtates.*

CHRYSOST. *Vetuſtates*, ideſt conuerſiones. Vel ſic. Ex imbribus qui in terras defluunt, uapores gignuntur, e quibus nubes efficitur ac rurſus antiqua concretio renouatur, cum nubes in aquā uertitur.

INTERPRETIS ADMONITIO.

Quatuor hos uerſus: *Tempus poſuit Iumentis. Cognouerunt cubilis ordinem. In omnibus his non obſtupeſcit tua cogitatio? neque mutatur cor tuum a corpore?* qui uerſus preponuntur illis uerbis. *Et ſi intellexerit extenſionem nubis:* Chryſoſtomus ait obſignatos eſſe obeliſco,

G

obeliſco, hebræis deeſſe codicibus. in nónullis uero exemplaribus hoc loco interponi. in tertio autem uerſu legendum eſt *obſtupeſcit* ἐξέςαται, ut eſt in Cat. Ant. Car. Caraffæ, & Pinelli, non ἐξίςαται, ut habent Aldina, atq; Argentina Biblia.

CAPVT XXXVII.

Et ab hac perturbatum eſt cor meum.

EX hac, inquit, contemplatione cum non poſsit mea mens in Dei ſapientiam aciem intendere, commota eſt, atque extra ſe poſita, propterq. admirationẽ exiliens. In eadem ferme * animi conſtitutione poſitus Paulus, plenam admirationis uocem illã miſit, *O profunditatem diuitiarum, & ſapientiæ, & cognitionis Dei:* Symmachus autem, Et de his metu trepidat cor meum.

* πάθει.

Rom. c. 11.

Et defluxit de loco ſuo.

Hoc eſt, ſedem ſuam propemodum deſeruit.

[1] *Audi, audi in ira furoris Domini, & meditatio de ore eius egredietur.*

1 Audi audi. Sed in Cat. Pin. audi auditionem.

Olymp. Aquila autem, Et ſonus. Vim, inquit, audiendi animi tui aperi, & quæ a Deo ſint importatá hominibus, contemplare; ut damna ob grandinem, ut uim imbrium nimiam, ut terrę ſqualores, ut frugum exitium: ferme enim his rebus loquitur Deus; ac nobis ſapientiæ poteſtatisq. ſuę ſcientiam tradit, terroremq. infert. Hæc igitur commentatio, ac diſciplina, ut eum, qui iſthæc effecit, metuamus, nobis ſuadet.

Sub omni cælo principatus eius.

Ij quoque, qui infernas incolunt regiones, in Dei ſunt imperio ac ditione; nec noſtras res patitur imperante, prouidenteq. poteſtate carere.

Et lux eius ſuper alas terræ.

Ideſt, ad ultimas terras illius manat prouidentia; uel etiam, quòd ubi primum diluxit, orbis terræ termini ab eo illuminantur.

[2] *Poſt eum clamabit uoce; tonabit in uoce iniuriæ ſuæ.*

2 Poſt eum clamabit uoce Ambr. Sed Auguſt. poſt eum fremet uox.

Pro, *Iniuriæ ſuæ*, Aquila, Excellentiæ ſuæ, eſt interpretatus, ideſt præſtantiæ, & comminationis. Cum diuinæ naturæ præſtantiam uellet

uellet ponere in conſpectu, magnos atque horribiles tonitrui ſonitus quaſi cuidam exercitus Duci ac Regi Comites addidit. Quando, inquit, uoluerit Deus ſuis mandare aſſectatoribus, continuo tonitrui ſcinduntur uoces, diuinæ comminationis, atque excellentiæ indices. Illud autem, *Poſt ſe*, huic par eſt, Cum is uoluerit. Nam ſimulatq. is uoluerit, uoluntati factum obſequitur, cunctaq. illi morigerantur.

* αὐτῆς.

*Et non commutabit eos, quia audiet vocem * eius.*

Symmachus autem, Non inueſtigabitur, audito ſono eius, ideſt, nemo poteſt inueſtigare, aut percipere rationem, quemadmodum uox efficiatur tonitrui. Verum ad Septuaginta interpretationem ſic. Vbi iuſſerit Deus, haud fas eſt tonitrus ſonos commutare: quoniam illi parent; nec poſſunt non obtemperare.

1 Ambr. uoce ſua mirabili. Aug. autem mirabiliter.

Tonabit Fortis voce in ſua [1] admirabili.

OLYMP. Ideſt, tamquam uocem quampiam Deus mittat, ſic tonitruum ad eos, qui audiunt, perterrẽdos edit. Tonitruum autem ipſum uocem ideo dixit, quia Dei efficitur imperio.

A *Tempus poſuit iumentis: cognouerunt autem cubilis ordinem.*

Tempus pro menſuris, terminiſq. poſuit, ut quædam inſeruiant hominibus, alia uero ut non eorum ferant imperium, ſint etiam nonnulla, quæ de die, quædam quæ de nocte Prouidentiæ lege quieſcant; ut ne in ominum ſalutem incurſent.

2 In his omnibus non exurgit ſententia tua? Ambr.

[2] *In his omnibus non obſtupeſcit mens tua? neque recedit cor tuum a corpore?*

Annon ſunt hęc, inquit, eiuſmodi, ut & mentem tuam a ſeipſa, & animam a corpore quodammodo diſcedere cogant? CHRYS. Qua tandem ratione animalia carentia ratione norunt ordinem, tum cubilis, tum congreſſionis? Ac uide quemadmodum non hoc dixerit. Admiratur mens tua uerum, Non ἐξίσαται obſtupeſcit, atque extra ſe rapitur. Nam reipſa ſtuporem, atque horrorem affert tantus ordo, quem animalia rationis expertia tuentur. Vt intelligas haud tua te ratione, ſed ab eo, qui tibi rationẽ conceſſit, gubernari.

Fecit enim magna, quæ non nouimus.

Ideſt, admirabilia ſunt opera Dei; neque eorum rationem ipſi conſequi poſſumus.

Qui

Qui conſtituit niui, Sis in terra: & tempeſtas pluuiæ potentiæ eius.

Conſtituit. Pro, præcipit, dictũ eſt. Dicit enim niui, Deſcẽde in terrã, & deſcendet. Tempeſtas autem; atque imbrium effuſio poteſtatis eius eſt opus, non ſecus, quàm niuis immiſsio. Planius eſt hæc Symmachus interpretatus, cum dixit. Et procella pluuijs fluctuabit, imber fortitudinis eius.

In manu omnis hominis obſignat.

Tempeſtas, inquit, obſignat, atque hominum manus pæne uinclis adſtringit, atque ab opere auocat.

Ut cognoſcat omnis homo imbecillitatem ſuam.

Ob id ipſum, inquit, ſunt Dei opera admirabilia; ideo frigus exiſtit & æſtus; ideo minime æquabiles cœli temperationes. * Nec enim dignitatis pleno licuit uti uocabulo. Verum, ut mentis elationem, & contumaciam uſquequaque Deus coërceret; ut cuilibet homini ſua perſpecta foret imbecillitas, ſecus eſt omnia molitus, tum creationem, tum corporis apparatum, atque ſtructuram, tum uiuendi rationem, ut noſtræ infirmitatis conſcij, modeſte de nobis ſentire diſcamus.

* In exemplari legitur, καὶ γὰρ οὐκ ἐνῆν γενέσθαι τὴν κλῆσιν ἀρίστην. Vereor ut legendum ſit, κλίσιν ut longe alia ſed tamen probabilis ſit interpretatio, Nec enim optimam decuit eſſe temporum inclinationem.

Ingreſſæ autem ſunt feræ ſub tutamentum ab aeris frigiditate.

In ſyluas, atque ſpeluncas feræ ſeſe abdunt.

Quieuerunt autem in cubili.

Summa enim hiems prodire non ſinit; uerum intra illas cogit ſe continere.

De penetralibus ueniunt dolores; a [1] ſummitatibus autem frigus: & a ſpiritu Fortis dabit glaciem.

1 Ambr. a promontorijs frigus & a uento fortis dabit glaciem.

Symmachus autem, A flatu Dei dabitur glacies. Anceps ſententia. Aut enim hoc dicit, A frigore, ueluti ab obruto quopiam theſauro cieri dolores, & a ſummitatibus atque uerticibus procellam, atque eluuiem in reliquos mitti. Aut, quod uidetur probabilius, *A penetralibus*, ideſt, ex uiſceribus ijs, qui obriguerunt, oriri dolores. Summitates autem, hoc eſt, ſummas corporis partes, magis quàm reliqua membra frigore tentari. Spiritum autem Dei uentum ipſum appellauit; quippe qui diuino imperio excitetur.

HH *Guber-*

Gubernat autem aquam, ſicut vult.

Ex ſuæ ſapientiæ præſcripto Deus utitur aqua non ſecus, quàm peritus gubernator, qui ſedet ad clauum.

Et electum obſtupefacit nubes.

Alij codices pro κατατλήσει, obſtupefacit [a] καταπλάσσει format habēt. Hoc igitur dicit, Vt electus, hoc eſt, homo ſapiens in tenebris uerſetur, & harum rerum admiratione percellatur; aëris inquam conuerſio, atque concretio, nubiumq. conſtitutio efficit. Symmachus autem, interpretatus eſt: Sed & fructu ingruet nubes: quare illud καταπλάσσει ἀντὶ τοῦ ἐπισκιάζει obducit pro opacabit dictũ eſt: nomine autem electi, fructus declaratur. Ingruet igitur nubes fructu, ideſt, prodibit, effundetur.

[a] Vis naturaq; uerbi graci. καταπλάσσει multiplex, notionem ipſi magis propriam hoc loco reperire nequiuimus.

[b] *Diſperget nubes lumen ſuum.*

Aliter, *Diſſipabit lumen eius.* OLYMP. Aut hoc dicit, ab aëre, qui completus eſt nubibus, diſſipari, atque occultari lucem. Aut illud potius, Solis luce, quæ reſplenduerat, aëris, quæ a nubibus oritur, triſtitiam profligari. Aut etiam illud indicat, e nubium colliſione atque conflictu lumen exiſtere, atque emitti: ac ſi diceret, fulgurum cauſſam in nubibus conſiſtere.

[b] *Dici etiam poteſt: diſperget nubem lumen eius. Nam nomina græca nubes, & lumen cum ſint neutrius generis, ſimiliter caſu nominandi, & accuſandi efferuntur.*

Et ipſe circuitus tranſuertit.

OLYMP. Deus, inquit, ipſe undique nubes cogit, atque accerſit; iubetq. tempore adeſſe; ſeu, quemadmodum exponit Symmachus ipſe uerſat orbem, * omnia permeat, omnibus adeſt.

* κυκλόθεν ἀναστρέφεται.

[1] *In thecbulathoth in opera eius.*

OLYMP. Symmachus autem. In gubernatione eius ad operandum ea: ut ſi diceret: Vt fert eius uoluntas, ſic aqua gubernatur; atque hæc omnia is noſtris commodis metitur. Alij uero codices ſic habent, *In infimis ponens opera ſua*. Noſtrum, qui in terris uerſamur, cauſſa hæc ille molitur.

[1] Pro Thecbulathoth, apud Ambr. in gubernaculis in opera eorum.

Omnia, quæcunque præceperit eis, hæc conſtituta ſunt ab eo ſuper terram.

OLYMP. Quæ gignuntur, inquit, in aëre atque ad terras demittuntur, Dei iuſsis imperijſq. eueniunt.

Siue ad diſciplinam, ſiue ad terram, ſiue ad miſericordiam inueniet eum.

OLYMP. Et hæc fiunt, inquit, ſiue ad nocentes corrigendos, ſiue

ue ad terræ fertilitaem, fructuumq́. ubertatem, ſiue alias ob cauſſas haud nobis perſpectas. Illud certum eſt; ut miſericordiam mortalibus tribuat, iſthæc adminiſtrari. Illud ergo quis inueniat, a Deo his de cauſsis illa fieri? Hinc ut intelligas, ideo hæc euenire, ut aut diſciplinam complexi ad frugem ſe bonam homines recipiant, uel propter terræ fructus, ac fetus, modo Deum illa ſit nacta ad benignitatem procliuem.

Auribus percipe hæc, Iob, ſta: commonere potentiam Domini.

Hoc eſt, ijs, quæ dicta ſunt, mente aſſentire, & quanta Dei ſit uis, conſidera: Sic Aquila, Theodotio, Symmachus, contemplare, intellige, cogita.

Scimus quia Dominus poſuit opera ſua,

Symmachus, Nunquid cognoſces quando conſtituit Deus, de ipſis?

Qui fecit lucem de tenebris; ſcit autem differentiam nubium.

Nempe harum rerum, inquit, auctorem Deum eſſe intelligi-
Gen. mus. Cuius illa prima uox fuit, *Fiat lux*, nempe ea, quæ prius non
c. 1. erat: hoc enim ualet illud, *E tenebris*, qui etiam inter nubes diſcrimen conſtituit; ut quædam in maiorem imbrẽ, partim in pluuiam exilem, aliæ in niuem uertantur. Symmachus autem ſic, Nunquid aderas Deo fabricanti mundum? quando tenebris erant aquæ obductæ? quando cuncta ſua opera ſuo arbitratu deſcripſit, ac deſignauit? Ergo Dei poteſtati concede; illiusq́. incomprehenſis cede iudicijs. Hęc autem eo dicit, ut quantum perſpici poteſt, terrorem Iobo inijciat; ei ſcilicet homini, qui Dei timorem * caſti-
Iob. tatis auctorem nunquam deſeruit. Illius enim ea ſunt uerba. *Ma-*
31. *num autem Domini ſi non formidaui.*

* ἁγνοποιόν.

Ingentes autem ruinæ improborum: tua autem ueſtis calida.

Chrysost. Hoc ait, Nunc uerſaris quidem ipſe in doloribus; ſed tamen poſtea reſpirabis. Eſt enim id ſapientiæ diuinæ, ut laxamentum quoddam, atque exitum malis quærat humanis. Tua, inquit, ueſtis etiã nunc eſt corporis concalefacta doloribus; quamquam probabile eſt, etiam refrigeratum iri.

Eſt item Olymp. hac explan. in Cat. Pinelli.

B *Quieſcitur in terra ab Auſtro.*

Auſtri flatibus ceſſat, & profligatur hiems. Cum enim hic ſit uentus calidus, glaciem, frigusq. diſſoluit.

1 Amb. firmabis cum eo in antiquitates.

[1] Soliditates cum ipſo in vetuſtates: validæ ſicut adſpectus effuſionis.

Pro quibus Aquila, Ipſe firmauit cęlum in conuerſiones: validæ ſicut adſpectus ſuffuſionis: ut eiuſmodi ſit ſententia. Olim ipſe firmum, ac ſolidum firmamentum eſt fabricatus, & illud quidē e fluxa, ac fluente aquarum natura; & ſolidæ quidem concretiones, & quaſi in cryſtallum redactæ aquæ cum eo ſunt: hoc enim interdum, illud nonnumquam facit. Verum, licet ex aquæ concretione cryſtallus exiſtat; eius nihilominus adſpectus atque ſpecies, effuſionis eſt ſpecies, ideſt, aqueæ, labentisq. naturæ.

C *Quamobrem [2] doce me, & ceſſabimus multa dicentes.*

2 Poſt me: ſtatim habēt Cod. multi, & Vatic. Biblia quid dicemus ei? habet hæc ipſa uerba Catena Pinelli, in commētario Olympiodori.

CHRYSOST. Cur hæc, inquit, contingant, haud poſſumus ab eo cauſſam ſciſcitari. Hæc ſi potuerimus tantum diſcere, nihil ego præterea dixero.

Nunquid liber aut ſcriba [3] mihi aſsiſtis, vt hominem ſtans ſilere faciam?

3 Mihi aſsiſtis. Sic in noſtra Catena, in Pinelli adfuit non ſecus Ambr. & impp. & Vaticana παρέστηκας.

CHRYSOST. Nunquid e tabulis, aut e codice hæc apud eum dicimus? Quiſquam ne reperiatur homo, qui dicat: Vincla ei ſilentij inijciemus? An non perſpicis pro literis hanc eſſe rerum omnium uniuerſitatem uocibus undique perſonantem?

Cunctis autem non eſt viſibile? lumen eius ſplendidum eſt in antiquitatibus: ſicut quod ab eo eſt ſupra nubes, a Borea nubes aurei fulgoris.

Non eſt cunctis lux eius propoſita ad contemplandum? Annon ex innumerabilibus temporis interuallis reſplendet? ſimiliter, ut ipſum illud lumen, quod effectum a Deo nubes illuſtrat? Namque illius imperio Boreas niridas, & fulgorem auri imitantes nubes àdducit.

In his magna gloria.

Theodotio autem, In Deo magna gloria.

De Deo autem formidoloſa laudatio: & honor ab Omnipo-

Omnipotente : & non inuenimus alium ſimilem fortitudini eius.

Ex his, inquit, colligi poteſt, magnam a nobis Deo laudem, & gloriam deferri oportere; præſertim, cum is noſtri generis ſator, ac princeps fuerit, cuius ſumma eſt ſapientia, ſumma poteſtas.

Iuſta iudicans non putas exaudire eum?

Iob c. 19. Proptereaquod antea dixerat Iobus; *Clamabo, & numquam iudicium*; nunc Elius pęne illo arrepto ſermone, inquit, Noli putare ab eo, qui iuſtus eſt iudex, & curat omnia, noſtra contemni. Etenim is omnia audit, ac ſuum, cuique ius, ſuamq. tribuit dignitatem.

D *Ideo timebunt eum homines, timebunt eum & ſapientes corde.*

Ergo, cum Deus, inquit, tanta ſit magnitudine, tanta ſapientia, tanta poteſtate, nimirum ab homine imperito, ac vili, eum fas eſt pertimeri: tanto etiam magis a ſapiente metui, quanto ſcientia ampliore fuerit exornatus.

ADDITIONES IN CAP. XXXVII.

A *Tempus poſuit Iumentis. Cognouerunt cubilis ordinem. In his non obſtupeſcit cor tuum? non recedit cor tuum à corpore?*

CHRYSOSTOMI.

QVATTVOR: hi uerſiculi ſunt obeliſco notati in quibuſdam exemplaribus ante uigeſimum uerſiculum poſiti, poſt ea uerba. Obumbrauit nubes in indicibilibus tonitruis, ſic in Tetraplis Origenis ipſi inuenimus.

B *Quieſcitur in terra ab auſtro.*

OLYMP. Quieſcit, inquit, ac ſilet, eorum, quæ propius a Terra abſunt, cognitio, eorum enim ipſi rationes minime perceptas habemus. Vt flante auſtro uetuſtas, ideſt ſtillę, guttæq. decidant, namque ob impreſsionis æquabiliter ſtillantis tenuitatem, pluuiam minime uidemus; cadentium autem guttarum effuſionem intuemur. Licet etiam ad hunc modum commentari.

Quæ in aëre ſupra terras gignuntur,quieſcunt,inquit, nam quemadmodum uel noti uel tepores cœli oriantur; aliarumq. rerum huiuſmodi, quis forſitam rationes aliquas explicarit. Quid uero de cęlo dicemus, quod peruetuſti temporis initio ſolidum fabricatum eſt, atque ita noſtris offuſum obtutibus, ut quę ſupra ipſum ſunt, nequaquam cernere ſinat?

C *Ideo doce me; quid dicemus ei?*

Olymp. Quid igitur ad hæc dicemus? quid horum mente complecti poterimus? & Deo dicere audebimus quamobrē ſic illa fecerit? Non ſilentio eius ſuſpiciemus ſapientiam. Curſum igitur uerborum noſtrorum cohibeamus: Deique ſapientię, ut nos uincat, concedamus.

D *Propterea timebunt eum homines: Timebunt eum omnes ſapientes corde.*

Olymp. Propter hanc ipſam complexionem,exitumq. diſputationis uberius de ſuperioribus rebus diſſeruit Elius: ut ad Deum timendum Iobum impelleret. At Dei timorem Iobus numquam abiecerat uidelicet, qui ſuo ipſe ore hiſq. uerbis locutus eſſet. Manum Domini ſi non formidaui. Ergo ob hęc omnia,inquit,Elius tum urbanus, tum pecuarius homo Deum metuere debet, ſapiens item, ac prudens: multoq. id magis ab ijs fieri conuenit, qui cognitione ſunt ampliore dignati.

PROTHEORIA CAP. VIGESIMISEXTI.

CAPVT XXXVIII. *Poſtquam autem ceſſauit Elius a ſermone,dixit Dominus Iob per procellam & nubes.*

DIVITIAE, & paupertas, valetudo, & morbus, honos, atque ignominia, omnis denique hominum vita, tentationum locus, & piratarum cuneus eſt; vt Iobus, qui per arma iuſtitiæ a dextris & a ſiniſtris in omni ſe contentionis genere exercuit, nos docuit. Is enim, quamdiu locuples fuit, communis egentium theſaurus fuit, quamdiu gloria,

ria, ac poteſtate viguit, imbecillis ſuppetias tulit. Non eum diuitiæ futiliter extulerunt; non ſplendor ſuperbiam peperit. Ita, cum primas caueas ſtrenue tranſiliſſet; ſecunda, diſſiciliorāq; ſunt ei certamina diuino permiſſu inſtituta; cum aduerſus diaboli improbam calliditatem vniuerſam inſtructus in aciem venit. Nam, qui [a] *Rex erat, qui multa ſobole, qui gloria florebat; qui opibus circumfluebat; is abiectus iacebat in ſtercore, opibus nudatus & gloria, per irriſionem deluſus, affectus vlceribus, manans ſanie, cunctis hominibus ſiue qui antea, ſiue qui in calamitate poſtea fuerunt, ærumnoſior. Amicorum autem collocutio, ac diſputatio acerbitatum illi fuit additamentum: cum ei pro conſolatione ægritudinem, acerbioremq; cruciatum adhibuerunt. Verumenim magnus athleta, cunctis iam certaminibus legitime exantlatis, diuinam audit vocem de præclaris ipſius contentionibus prædicantem. Idcirco enim, inquit, ſum paſſus te cum iſta bellua decertare, vt tua iuſtitia eniteſceret; eſſetq; hoc patientiæ ſimulachrum vniuerſo hominum generi ad animi ſolatium propoſitum. Siue enim quis e diuitum choro ad egentium gregem defluxit, Iobum is pro ſolatio habet. Siue alterius claritatem obſcuritas oppreſſerit; dummodo is Iobum ſpectet, moleſtiam ſuam obtuderit. Siue a copioſa, & præclara ſobole ad orbitatem de-*
Iob c. 1. *ductus ſit, ſermonem illum vſurpare docetur,* Dominus dedit, Dominus abſtulit. *Quòd ſi vxor etiam laceſſiuerit, obiurgatione repelletur. Vt iam hæc Iobi hiſtoria ad omnem ſolandam ægritudinem idoneum ſit medicamentum: vt nec iam quiſpiam, qui in grauiſſimam ærumnam inciderit, illam tamquam inſolentem miretur; nec admirabile admodum videatur, ſi in eum inſultent, atque conuicia iaciant amiciſſimi. Sed nimirum diuinam vocem attendamus: & quamobrem Deus eiuſmodi verbis apud Iobum vſus ſit, breuiter conſideremus. Ergo, cum amici de Deo, deq; eius ſapientia, vi, atque magnificentia recte exiſtimaſſent; cum item homines ob peccata tantummodo malis vrgeri pronunciaſſent; & quoniam, cur tentationibus homines exerceantur, ignorabant; cum nec*

[a] Iobus Rex.

opportunam, nec commodam orationem de tali viro vſurpaſſent: Iuſtus ipſe quoque optimam, abſolutiſsimamq́; de ſapientia Dei orationem expromit. Cumq́; nullius rei, quæ tanta plaga digna eſſet, ſibi foret conſcius; amicis, peccatorum eum ſuorum pœnas dare confirmantibus, haud aſſenſus eſt; quamuis nec ei foret ſui certaminis cauſſa explorata. Itaque prodit Elius, nec Iuſtum tamen condemnat; neque illud ſtatuit; propter culpas, eidem calamitates importatas eſſe; in quo ipſo melior videtur, quàm amici. Attamen Iobi ſententiam, vnde manabant ſermones illi, quibus accuſari Deus videbatur, cum minime eſſet Elius aſſecutus, Iobum tamquam imprudenti oratione vtentem inſimulat. Elius quoque ipſe de ſapientia, & poteſtate Dei præclare, atque adeo mirifice diſſeruit. Poſtquam igitur omnes recta mente diuinam prouidentiam admirati fuere; ijs, cuiuſmodi Iobi cauſſa eſſet, ignorantibus; nec plagam illam non ad Iobo pro peccatis reponendum, ſed ad virtutis exercitationem valere minime animaduertentibus, de omnibus, quæ dicta erant, Deus facturus iudicium, ea quidem, quæ de diuina prouidentia recte dicta fuerunt, amplectitur; atque ob id ipſum hiſce de rebus ille diſputat copioſius. Blanda autem Iobum oratione compellat; vt nos illius iudicia incomprehenſa eſſe doceat. Amicos vero obiurgat, quòd de rebus, quarum eſſent ignari, pronunciaſſent. At vero Elium nec laudat; qui Iobi ſenſum, quo verba promebantur, minime perſpectum haberet, nec cauſſam contentionis teneret; nec vero eumdem vituperat, quandoquidem haud Sanctum condemnauit. Iuſtum autem tum corona, tum praconio ornat, effertq́; verbis. Arcanum item enunciat, ac tentationis cauſſam exponit. Non enim, inquit, quaſi iniuſtus aliquis eſſet, ſic iuſtus paſſus eſt Iobus: verum, quo illius iuſtitia appareret. Iam vero, dum eum verbis demulcet, atque confirmat, Incarnationis myſterium aperit, & communis Hoſtis humanæ naturæ, quem ipſum Cetum appellat, robur, ac crudelitatem narrat. Tandem poſt multa certamina, poſt diuinæ vocis adhibitam conſolationem, protinus eſt valetudo

conſecuta, ſtatimq́, is, qui ſanie diffluebat; qui vermium imbres mittebat; in ſtatum eſt priſtinum reſtitutus. Vndique ergo eorum, quibus ille notus erat, concurſus factus eſt; qui eum ſunt muneribus proſecuti. Et id quidem omne, quod ad copiam ſpectabat diuitiarum, altero tanto maius fuit. Tantum liberi eodem, quo antea, numero exſtiterunt. Neque enim iȷ, qui corporibus iam exceſſerant, penitus fuerunt extincti. Et quoniam Iobus ad eam orationem, qua eſt vſus obſcurius, eam mentem, quam Dei religio imbuerat, adſerebat; nec dubitari poteſt eum de Deo recte ſenſiſſe, etiamſi iis, quibus haud illius erat percepta ſententia, deſpicientiæ verba fundere videretur; quia etiam Eliȷ de Deo recte differentis orationem comprobauit: (ob eam enim ipſam rem tacuit, & non reſpondit) idcirco cum eo Dominus tacente, nec conſilium ſuum indicante, ſermonem orditur. Ac per aera ad noſtras aures vox diuina perfertur, non ſecus quàm Dei eam rem molita fuerit ſapientia. Neque enim more hominum loquitur Deus; ſed, ſimulatq́, is voluerit, ſermo foras erumpit; ac diuinas ipſi voces accipimus. Per turbinem autem, nubesq́, loquitur. Turbo eſt ventorum couuerſio atque contortio. Exiſtimo igitur turbinem, atque procellam ad loquendum adſciſci, vt, qui circumſiſtebant, perterrerentur; nubes autem ideo ſumi, vt cum Iobo ſimiliter, ac cum Moyſe, & Aarone colloqueretur.

Pſ.98 *Nam* in columna nubis loquebatur ad eos, *vt diuini concentus Temperator eſt auctor.* CHRYSOST. *Præſertim cum cæli ſymbolum, ac nota ſit nubes. Quando igitur cælum ipſum vult Iobi vertici imminere, ferme ſolium ſuum prope Iobum admouet, quo mentem eius erigat, nec vocem ferri ſuperne ambigat; quemadmodum etiam in arcæ propitiatorio. Hoc ipſum in monte, cum nubes illa conſtitit, factum mihi videtur: vt cælitus, atque e ſuperiore regione vocem mitti intelligerent.* METHOD. *Illud animaduerte, haud a primo Deum loqui hominibus; verum, vbi rebus pluribus præcultus fuerit animus, atque exercitatione corroboratus, atque in locum editum, quantum humanæ naturæ fert condicio, peruenerit;*

tunc

tunc demum hominibus loquitur Deus; atque iis, qui tantum ſuperarunt adſcenſum, ſuos retegit ſermones. Et quoniam turbo tempeſtatis eſt auctor, nec Iobi fides in tempeſtate malorum vllum naufragium fecit; ſed multo magis eluxit; idcirco, qui ei oracula edit, ad ſuperioris ærumnę procellam ſignificandam, procellam item, dum loquitur, ſumit. Atque, vt Iobi res a tempeſtate ad ſerenam tranquillitatem oſtenderet demigraſſe, non ſolum per procellam, ſed per nubes etiam loquitur.

Quis eſt hic cælans me conſilium?

Symmachus obſcuram ſententiam.

Continens autem verba in corde? me autē putat cœlare?

Chrysost. Quid faciat, attende. Mihi quidem certe videtur, coniecturam e uerbis capienti, aliquid etiam Iobus mente peruoluere. Nam ſane multa in eius animo uerſabantur, quæ palam efferre minime audebat. Hinc ergo primum illum excitat, docetq. ad omnia humana ſuam prouidentiam, ſcientiamq. pertinere. Ac primo loco ea, quæ minus digna uenia uidebantur, attingit. Etenim, ſi illa, quæ dicere eſt auſus, uſque eo grauia, acerbaq. erant; cuiuſmodi ea fuerint, quæ in animo latebant incluſa? Ergo prioribus medicinam adhibet. Quiſnam iſte eſt, inquit, qui ſimul ut orſus eſt dicere, quemadmodum Deo ſit agendum, præfinit? Ac Dei huiuſmodi ferme eſt oratio. Cedo, ecquis ſe a meo ſubduxerit adſpectu, mira ſollertia, quæ arcana, atq; abdita ſunt, contuente? Nec enim, quia ea, quæ animo conceperat, minime extulit, idcirco uerba non ſunt; nempe ſimul & partus, & conceptus eſt ſermo. Stulte igitur occultare ea conaris, quæ latere non poſſunt. Viden quàm blandam, quàm ad corrigēdum, & arguendum aptam uſurpet orationem? Olymp. Nemo ab oculis meis remouere quidpiam poteſt, nec ipſas mentis agitationes; etiamſi in uoces ſeſe haudquaquam inducerint. Iulian. Fortaſſe, quia ad ea, quæ Elius diſputarat, Iobus obmutuit; nec erat Elio ſilentij cauſſa nota; (neque enim is ſciebat, utrum quaſi contemnens, an, quia quid reſponderet, non habebat, ſiluiſſet) ſeſe nunc Deus oſtendit; ſuaq. Iobum familiari collocutione dignatur, dubitationemq. eorum tollit; nequaquam Iobum per contemptum; ſed ideo, quòd ſermo ipſi minime diſplicuiſſet, tacuiſſe.

Accinge

B *Accinge ſicut vir lumbum tuum. Interrogabo te; tu vero reſponde.*

CHRYSOS. Quoniam ægritudine proſtratus Iobus iacebat, uerbis hominem excitat, ut ad ea, quæ dicuntur, animum attendat. Interrogando autem inducit ſermonem; id quod ad coarguendum maxime ualet; docetq. ſapienter, prudenterq. a ſe cuncta adminiſtrari. Neque uero id eius eſſe, qui ſapienter hæc moliatur, hominé, cuius cauſſa eſt omnia architectatus, deſpicere, ac malis fortuitis conflictare. OLYMP. Confirmans igitur illum, ait, *Accingere*, hoc eſt, uir eſto; animi mœrorem abiice. Quoniam ad meum congreſſum adſpirare cupiebas, en tecum diſputo; en tuæ ſatisfacio poſtulationi: tu uero reſponſum dato.

C *Vbi eras, cum fundarem terram?*

CHRYSOS. Ain tandem? Ego tua cauſſa tam præſtanti, abſolutaq. ratione terræ fundamenta conſtitui: te autem, cuius cauſſa illam ſum fabricatus, contemnam? Nec uero eius meminit ſapientiæ, quę uel in conformatione, uel in mundi eminet apparatu: uerum, ut aliquid amplius Iobo tribuat, a terra, ac cœlo huiuſmodi quamdam argumentationem ducit. Si propter te mundus tanta fruitur prouidentia; quanto magis ipſe? Neque uero dixit, Cum facerem; ſed, *Cum fundarem*. Nam uel hoc unum, quòd terra conſiſtat, nullo uel fundamento, uel crepidine, ſubſellioue ſubnixa; quòd tanta moles corporis adeo coagmentata, adeo conſtanter fixa hæreat, ut tanto temporum interuallo nunquam ſit ſuis conuulſa ſedibus; id uero ſingularis, atque eximij cuiuſdam eſt artificii. BASIL. Hinc diſcimus terræ fundamenta eſſe hominum naturæ ignorata. Vt autem eſt externorum philoſophorum opinio, fundauit Dominus terram in ſphærę, quæ mundum undique complectitur, centro: quippequæ propter ſuum æquilibrium ex omni parte tantumdem diſtat a cœlo: ut ob id ipſum & firmam ſedem obtinuerit, & immota nitatur, & fixam ſit nacta baſim. OLYMP. Sciendum eſt nunc primum de creatæ naturæ opificio diuina uoce induci ſermonem, ac declarari rerum omnium Deum effectorem eſſe; nec poſſe quempiam in altos illius ſapientiæ ſinus penetrare, nec ſuę pugnę tantum cauſſam, ſed etiam ſexcenta quædam alia, quorum arcanæ ſunt rationes, a Iobo ignorari. Idcirco ait.

Nuncia autem mihi, ſi noſti intelligentiam.

Ideſt, ſi in uniuerſitatis opificio, atque effectione ſatis intelligis, reſponde mihi.

Quis poſuit menſuras eius? ſi noſti: aut quis adduxit funem ſuper eam?

OLYMP. Aquila, Canonem; Symmachus, Funiculum menſurę, conuertit. Menſuras autem dixit, a noſtrorum ædificiorum artificibus transferens: hoc item fecit, tum in funiculo, ad quod ædificij exigitur æqualitas, & in lapide angulari utrumque murum copulante. Dic, inquit: Num terrarum menſuras noſti? utrum quod eius ſit ſcabellum? qua re tam graue, & grande innitatur elementum, ipſe tenes? CHRYS. Videlicet arcanas rationes, quæ uerbis exprimi nequeunt, intelligimus. Id porro, quod Iobo dictum eſt. *Accinge lumbum tuum, ſicut vir,* non ad eum magis, quàm ad nos pertinet. Etenim nobis etiam eodem alacri ſtudio, atque erecta mente eſt opus.

In quonam circuli eius ſunt fixi?

OLYMP. Alij vero, Baſes, Defixi pali: fulcra enim, ac firmamenta ipſa circulos nuncupauit. CHRYS. In primis eſt ea, inquit, ſuſpẽſa, ac pendens, quinam illam circuli ſuſtinent? nec enim illi ſunt vſpiam: ſed tamen terra ita fixa, ſtabilisq. manet; ut ſi impoſitis, infixisq. ea circulis geſtaretur. Nam, quia circulus, quod ſuſpenſum eſt, minime firmat, idcirco dixit, *Fixi ſunt*?

Quis autem eſt, qui poſuit lapidem angularem in ea?

Quandoquidem ſic firmiter cohæret, diuinæ uoluntatis fundamento innixa, quaſi tuta ædificij ſtructura niteretur. In manu enim eius fines terræ. Poteſt item angularis lapis in unigenitum accommodari, qui duos populos ſic ſecum conglutinauit, ut bini parietes vno angulari lapide connectuntur. CHRYS. Ergo nec fortuito, nec temere tanta extitit terra. Quinetiam mihi uidetur, ſiquid ei addatur, futurum inane; ſiquid detrahatur, euerſum, corruptumue iri uniuerſam: & nimirum huc funis, & menſuræ ſpectant.

Quando facta ſunt aſtra, laudauerunt me voce magna omnes angeli mei. D

CHRYS. Alij uero, Simul filij Dei. [a] Hinc planum eſt, primos ante mũdum angelos effectos eſſe, *voce*, inquit, *magna laudauerunt*, hoc eſt, ipſo adſpectu obſtupuerunt, cum multitudinem, pulchritudinem,

[a] *Angelos anteceſſiſſe corporei mundi creationi crediderũt, præter Chryſoſtomũ hi omnes Baſilius in 1. cap Gen. Greg. Naz. in oratione de Natali. Origenes in lib. περὶ ἀρχῶν, & Hom. 4. in Iſaiam. Hier. in ep. ad Titum ca. 1. Ambr. in Hexaem. li. 1. c. 5. Hylarius, in lib. 12. de Trinitate, & in li. contra Auxentiũ pœne in calce. Iſid. lib. 1. de ſummo bono, c. 12. Damaſcenus, lib. 2. de fid. orthod. c. 3. Caſſ. collat. 8. c. 7. Auguſt. hãc opinionem permittit lib. 11. de Ciuit. cap. 32.*

dinem, diſpoſitionem, utilitatem, uarietatem, ornatum, ſplendorem, concentum, ceteraq. omnia, quæ multo illi, quàm nos melius uident, intuerentur.

Circumdedi mare portis. 3. 15

Olymp. Ideſt, certis finibus ipſo imperio circumſcripſi.

E *Quando*[1] *fluctuabat de ventre matris egrediens.*

Illud, *Fluctuabat*; pro eo eſt, Concitabatur, impetu ferebatur, τὸ ἐμαίμασσεν ἀντὶ τοῦ οἶστρα ὁρμητικῶς εἶχε: quando ueluti infans in lucem ab ipſa edi abyſſo properabat, ad omnem terram aquis obruendam paratum, niſi diuinis iuſsis, quæ portas appellauit, prohibitum eſſet. Matrem aut ipſam dicit abyſſum, aut certe Dei potentiam, qua perfectum eſt, ut mare exiſteret. Chrys. Quædam exéplaria pro illis uerbis, *Quando fluctuabat*, habent, *Quando obſtetricabatur*, ὅτε ἐμαιοῦτο, hoc eſt, tum demum, cum gigneretur, illud mœnibus ſepſi. Sed cur dicit, *Quando obſtetricabatur*? Vt ſignificet non ſtatim omne, ſed paullatim productum fuiſſe, tamquam ab obſtetrice curatum. Primum enim diffuſum eſt, deinde conformatum, atque collectum.

[1] Aug. fremebat ex vtero matris ſuæ uolens progredi. Sed Ambroſ. ut nos.

Poſui autem ipſi nubem veſtimentum; caligine autem ipſum infantiæ pannis inuolui.

Symmachus autem, Quaſi nubem * circumuolui illud: ſiquidem ab eo nubes, & nebulæ oriuntur. Quaſi uero de infante loqueretur, dixit, *Poſui*, &, *Pannis inuolui*, ideſt obuolui. Quia enim uteri matris meminerat, in tranſlatione perſeuerauit. Illud igitur. Quaſi recentem partum caligine nubibuſq. inuolui, ideſt, undique texi. Nec uero id in naturam tantum uaporum, qui eliciuntur ex aquis, referas: & id enim meo agitur imperio.[a] Verum cur dixit, *Pannis infantiæ inuolui*? Verùm, quemadmodum infanti panni ſunt perquamcommodi, ſic etiam mari nubes, ac nebulæ? An quia id a principio factum eſt? an quia his illud continetur? an uero id quod admirabile eſt, oſtendit hoc loco, nimirum fluxam ſe aëri impartitum eſſe naturam? & mare quidem non ſolum terra, uerum etiam aëre contineri? ut neque ſublime, neque in latus ullum, extra menſuram, ac lineam ſequeat ferre?

* περιείλησα.

[a] Verũ cur &c. eſt Chryſoſt. interpretatio in Cat. Pinel.

Poſui autem ipſi terminos, circumponens clauſtra, & portas.

Olymp. Illi, quod ſupra dictum eſt, hoc eſt ſimile. Circumdedi

di mare portis. Nunc autem clauſtra, & portas uocat imperij ſui circumſcriptionē, ac firmitatem, certis, inquit, maris fluctus regionibus definiui;ne, ſi forte lineas tranſilirent, finitimæ terrę & continenti exitio eſſent, atque calamitati. CHRYS. Hinc docet, quaſi vinclis conſtrictum ſit, mare conſiſtere. Ergo his uerbis rei firmitatem; illis, quæ conſequuntur, etiam facilitatem oſtendit; ſubiungit enim.

Dixi autem ipſi, Hucuſque venies; & non tranſgrederis: verum in te ipſo comminuentur fluctus tui.

CHRYS. Symmachus autem. Hucuſque autem conſtituta ſit elatio fluctuum tuorum: ſic enim illud tuto continet, tamquam eſſet uectibus obfirmatum, ita autem facile, quaſi imperaſſet. Dicit enim. Nec eſt qui contradicat, & illud ipſum fit, quod dicit: paretq. mare, non modo, cum nulla ipſum impellit neceſsitas; ſed etiam, cum magnis uiribus, atque impetu cæditur. Hac enim
Hæc ipſa mutuatus eſt a Chryſ. Olymp. planū ex Cat. Pin. de cauſſa Deus illud nec tranquillum, nec mite eſſe paſſus eſt, ut, cum diuino imperio pugnante natura, diuinoq. iuſſo ſemper uincente; eſſet Dei poteſtas prædicabilis. Etenim, ſi foret aqua pacata, ordinis concinnitatem, atque moderationem, naturæ aquę plerique adſcriberēt. Nunc uero conturbata, uerberata, intrinſecus protuſa, cum ſuīs finibus excedere nequeat, nimirum ipſa turbulenta agitatione Dei prædicat poteſtatem.

1 ἐπὶ σοῦ. Aug. Tecum conſtitui Amb. autem in te ordinaui lucem.

Aut [1] *tecum ordinaui ſplendorem matutinum?*

CHRYS. Rurſus hinc ad cęlum deduxit orationem, cum antea de rebus inferioribus diſſeruerit. Aderaſne, inquit, quando dixi, *Gen. c. 1.* *Fiat lux*? Et uerbo protinus comitatum eſt opus.

2 Sciuit Aug. agnouit Ambr.

Lucifer enim [2] *vidit ſuum ordinem.*

Alij uero; Oſtendiſti Aurorę locum ſuum.

Ut apprehenderet alas terræ.

CHRYS. Siderum princeps eſt Lucifer. Ordinis uenuſtatem in aquis didiciſti, in cęlo nunc eamdem intuere; illicq. etiam cognoſce non natura, ſed Dei prouidentia res gubernari. Si enim tantus eſt ordo, tantusq. rhythmus in ea, quæ fluxa eſt, & inconſtans natura; cum id ipſum in cœlo ſpectaueris, harum rerum auctoris tibi ueniat in mentem. Quid autem ſibi uult, apprehendere alas terræ? ideſt, circumire. Nam', ſimulatque Lucifer extiterit, lumen in omnes terras diffundit, fineſq. orbis terræ attingit. Ut iam idipſum in Sole minime mirandum ſit cum idem contingat in ſtellis ulti-

ultimaſq. terras Lucifer ſua luce colluſtret, quas una nocte complecti dicitur.

Excutere impios ex ea.

Chrysost. De latronibus, de iſs, qui ſepulchra effodiunt, ceteriſq. omnibus, qui ad ſcelera ſocia utuntur nocte loquitur. Namque hoc hominum genus poſt lucis exortum non amplius licenter audet in terris; ſed potius exterminatur, & compeſcitur. Lucem enim, a qua illi arguuntur, odere.

Aut tu ſumens terræ lutum, formaſti animal? & [a] *ad loquendum aptum poſuiſti illud ſuper terram?*

Olymp. Severi, Isidori, & Chrysost. Num ipſe, ô Iobe, terram ſumpſiſti madidam ad fingendum hominem? aut illum, uti egomet feci, ratione exornaſti, & [b] e mundo mundum extuliſti? Quando reliquæ res omnes ratione caruerunt, ut ea tamquam præcipua, ac ſuum inſigne homini traderetur? Prædicandum autem dicit animal ipſum, compos rationis, quod collocatum, fuit in terra. Ego quidem certe utroq. nomine Deum admiror, uel quòd corruptioni obnoxium humanum corpus conflarit; uel quod in ipſa corruptione uim, ac ſapientiam ſuam expreſſerit: ſubſtantiæ enim abiecta condicio artificij copiam, facilitatemq. cumprimis oſtendit, ſiquidem in luto, *ac cineribus* tantum harmoniç inſeuerit, ac tales ſenſus adeo uarios, adeo cuiuſuis generis, & in quibus tanta uis ad philoſophandũ ineſſet, ex ea terræ materia conformarit, e qua fictilia uaſa, ac lateres fabricantur; ſcilicet ex hoc ipſo materiæ genere potuit oculum fabricare; atque uim in eo tantam defigere; ut unius perexiguæ pupillæ præſidio tam multa uidere corpora, atque percipere poſſet.

a λαλητὸν, id eſt, prædicandum, famoſum: Aug.
b καὶ τοῦ κόσμου κόσμον ἀνέδειξας. natum mundi oſtentaſti. Clemens in Eucharistia.

Abſtuliſti autem ab impijs lumen? brachium autem ſuperborum contriuiſti?

Punire impios, eorumq. potentiam obterere, nempe diuinæ id dexteræ eſt, atque operationis.

F [1] *Veniſti autem ad fontem maris? in veſtigijs autem abyſſi ambulaſti.*

Chrysost. & Olymp. Ad mare rurſus orationem traducit, ac dicit, Verum unde ſit maris ductum initium noſti? aut ueſtigia, hoc eſt, extrema abyſſi comprehēſa habes? nec enim fontis meminit, quaſi fontem habeat mare. Method. Multi deſcenderunt in abyſ-

1 Veniſti ad fontē maris, ſic Aug. Chryſ. Olymp. ſed Ambr. & impreſsi in terram maris. procliuis è lapſus a uerbo πηγὴν ad illa duo ἐπὶ γῆν.

in abyſſum, non ideo, ut in ea ambularent; ſed ut tamquam uincti tenerentur: Ieſus dumtaxat tamquam liber ambulauit in abyſſo, ubi nulla ambulantium extabant ueſtigia. Morti enim haud obnoxius, mortem delegit, ut morti obnoxios redimeret; quando ijs, qui erant in uinclis dixit. *Egredimini*; *& ijs, qui erant in tenebris*, *Iſa. c.* *Retegimini*; cui rei ea, quæ ſequuntur, conſentanea ſunt. 49.

Aperiuntur autem tibi metu portæ Mortis? ianitores autem Inferni uidentes te, inhorruerunt?

IVLIAN. & CHRYS. [a] Geſta hæc ſunt, quando in Infernum Dominus deſcendit; ut, qui illic erant, ſpiritibus prædicaret. Hæc autem, quæ non uidentur, ex ijs, quæ apparent, perſpicua fiunt; nempe mortis ac uitæ penes me poteſtatem eſſe. Infernus mihi eſt pro carcere. THEOPHILI ALEXANDRINI. Hoc loco admirabilem eius temporis ſplendorem, quo ijs, qui in tenebris, & in umbra mortis ſedebant, ſeſe oſtendit, commemorat. Quando autem dicit, *Inhorruerunt*, admirationem declarat. Nam & animarum, quæ illuc delapſæ erant, domicilium diuinitatis ſuæ luce compleuit.

Admonitus autem es latitudinem eius, quæ ſub cœlo?

Hoc eſt, noſti? cogitatione complexus es? terræ latitudinem tenes perfecte? dic eius diametrum.

Nuncia mihi quanta eſt.

CHRYS. Non hoc aio, inquit, eorum, quę ipſe perfeci, nihil te poſſe perficere; ſed illud nego, & quemadmodum perfecta ſint illa, te rationem tenere; atque ad eorum notitiam, abſolutamq. ſcientiam te poſſe accedere. * Ex quo illum docet quid inter eum & Iobum interſit.

In qua autem terra commoratur lux?

Alij, Habitat, Quieſcit.

Tenebrarum autem qualis locus? Si duxeris me in fines eorum? ſi autem ſcis ſemitas eorum?

Symmachus autem, Semitas, habitationis.

[b] *Nunquid noſti, quando factus es? numerus annorum tuorum multus?*

OLYMP. & CHRYS. De luce, inquit, ac tenebris, dic mihi, ubinam clauduntur? undenam erumpunt? quo lux, & tenebræ abeant,

[a] CHRISTVM *inferis, quo tempore ad eos deſcendit, predicaſſe præter Chryſoſtomum, et Iulianum, aiunt hi omnes. D. Athanaſius in ep. ad Epictetum. Cyrillus Alexandrinus in lib. de recta fide ad Theodoſium. Damaſcenus in 3. lib. de fide Orthodoxa cap. 29. Clemens Alexandrinus in 6. Stromatũ. Orig. in 2. lib. cõtra Celſum. Ambr. in 4. cap. ep. ad Ephes. Oecumenius in 3. cap. prioris Epiſtolæ Petri, quod caput magnopere tueri uidetur hanc ſuperiorum Doctorum ſententiam.*

* διὰ τούτων διδάσκει αὐτὸν τὸ μέσον αὐτοῦ καὶ ἐκείνου.

[b] *Idem abſque interrogatione legi poteſt.*

abeant, indica mihi. Quòd ſi harum rerum uias noſſe te dixeris, item dic te tunc extitiſſe, cum his ipſis rebus fines aſsignarentur. Quod ſi hæc noſti, illud item cognoſce; multos te annos natum eſſe, qui ex eo tempote extiteris. Ex quo docet humanæ uitæ breuitatem haud multarum rerum notitiā homini permittere. Chrysost. Sed quid ego? Ea, quæ tibi propinquiora ſunt primordia profer. Quādo natus es ipſe? neq; enim noſti: quandoquidē ab alijs didiciſti: quantū tuū eſt uitæ ſpatium? Quæ igitur cognata, & propinqua tibi ſunt, ignoras; eorum, quæ ab initio fuerunt, tibi ſcientiam arrogaris? Termini autem lucis, ac tenebrarum, Dei eſt imperium, quod ipſum eſt ijs pro confinio.

Veniſti autem ad theſauros niuis? theſauros autem grandinis uidiſti?

Chrys. Theſauros, dicit, non perinde quaſi harum rerum ſint apothecæ; ſed, quia illas ipſas quaſi e theſauris depromens, ut ipſius tulerit uoluntas, palam facit. Olymp. Noſtin, inquit, qua ratione, a mortalium conſpectu remotam niuem, & grandinem, in eorum conſpectum dem? Aut uero hiſce rebus potes ipſe, quemadmodum ego, contra aduerſarios uti?

Repoſita autem tibi ſunt in tempus inimicorum? in diem belli & pugnæ?

Chrysost. Vide quemadmodum uelit harum rerum oſtendere opportunitatem; quemadmodum non temere eas comparet. Etenim niuem, & grandinem, tum aduerſus hoſtes, tum cum in nonnullos uult animaduertere, ſolitus aſt adhibere. Deinceps de alijs ominibus differit, de pluuia, inquam, pruina, ac uentis.

Vnde autem egreditur pruina? aut diſpergitur Auſter in eam, quæ ſub cœlo? quis autem præparauit largæ pluuiæ fluxum?

Alij uero. Quis præparauit diluuio* aquæ ductum? — * ὑδραγωγόν.

*Viam autem * terrorum?* — * κυδοίμων. terrorū, tumultuū. Auguſtinus.

Aquila & Symmachus ſecus; nam ille, In fragorem uocum; hic uero, Sonitus tonitrus, φόβου βροντῆς interpretatus eſt. Vnde ergo pruina exiſtat; qua ratione Auſter regionem omnem, quæ cœlo ſubiecta eſt, perflet; quo pacto copioſus imber defluat; unde erumpant tonitrua (terroris enim nomine tonitruum ſignificauit) teneſne hæc ipſe? An iſthæc humanę ſunt artis an non reconditæ

Hæc reliqua expoſitio eſt item Iuliani in Cat. Pinelli.

ſapientiæ ſunt opera? in quibus & illud eſt, quòd Auſtri calore nix, quæ iam obduruit, tepefacta ſoluatur: ut uerisſime illud dictum ſit. *Sicut torrentes in Auſtro*. [a] Ventus autem eſt aëris fluxio; locorum unde fluit, commutationibus nomina commutans. Pſ. 125

Vt pluat ſuper terram, ubi non eſt uir; deſertam, ubi non eſt homo in ea; ut ſatiet inuiam & inhabitabilem; & germinet egreſſionem herbæ.

CHRYS. & OLYMP. Vides, non in una re quapiam, ſed in omnibus Deum ui ac poteſtate pollere? Effunditur, inquit, imber in eas etiam terras, quæ non incoluntur. Ex quo plane perſpicitur Deum feris etiam prouidere: Nulla enim humana adhibita induſtria, ipſa ſolitudo herbeſcit, herbasq. progignit.

* *Quis eſt pluuiæ pater? quis eſt, qui peperit glebas roris? de cuius utero procedet glacies? pruinam autem in cælo quis peperit? quæ deſcendit ſicut aqua fluens.*

OLYMP. Vtrum pluuiæ patrem habes dicere? Vtrum roris glebas hoc eſt, concretiones? utrum quemadmodum glacies, pruinaue concreſcat, dicere queas? quæ quidem cum cogatur in firmamento, (cęlum enim, quod eſt elatius, nunc aërem appellat,) ueluti aqua decidit; & quidem cadens non ſecus quàm coagulum lac, cogit fluuios, atque cōglaciat. An non Dei ſapientiæ hæc ſunt opera? CHRYS. De uentre dixit, non ideo quòd ex eius uentre pruina, & glacies egrediatur, abſit. Quid ergo ſibi uult hoc loco partus & uenter? Sicut, cum de mari loquitur, a matre illud gigni confirmat; quamuis nullam eſſe maris matrem dicat; ſic & hic non illud ſignificare uult, uentrem ullum eſſe, unde res huiuſmodi excludantur: uerum earum dumtaxat conformationem, & cauſſam indicat. Sed quid tandem fuit, cur tam ſæpe in his uocabulum partus uſurparet? Nimirum, quantum ipſe opinione aſſequi poſſum, ut harum rerum primus, ac ſolus auctor declararetur; rerumq. opificia, antequam ipſæ ſecernerentur, extitiſſe demonſtraret. Quamuis autem hęc ipſa nomina de Filio dicantur; inaniter nihilominus, atque ſuperuacanee ad ſuam cauſſam nonnulli transferunt. Quandoquidem, cum illa in Filium accommodantur, & nomen Filij additur, & genui, & Vnigenitus, & quę in eodem genere reperiuntur, quorum hic quidem certe nihil apparet. SEVERI. Vt dubitationem Iobo adferret, illiusq. multarum rerum

[a] *Hanc ipſam de natura uenti opinionē tribuit Anaximandro Galenus in lib. 1. di hiſt. Philoſophica, & Hippocrati Alexander. Aphrodis. in primo lib. meteor. com. 40. quam ipſam ſunt Stoici complexi: quamuis ſecus Ariſtoteli in 3. meteorologico uideatur.*

* Quis eſt pater pluuiæ? his uerbis impudenter abutebantur Ariani aduerſus Catholicos homouſianos: quibus Athanaſius, alijq. Patres fortisſime reſtiterunt, diuinam hanc orationem diuinitus explanantes.

rerum inſcitiam coargueret, hoc dixit; non tanquam hæc Dei eſſet oratio. Hęc egomet genui, aut gigno: ſed ea re maxime, quòd, cum mortales ſoleant certis temporum interuallis, & aliquo ſuſcepto labore gignere, is * abſque ulla membrorum diuiſione, ſtatim atque collibitum ei fuerit, illa profert in lucem. * Quamquam & nominum notitia ad rerum ſubiectarum naturam eſt exigenda, nec ueritatem decet ad uocabuli minime proprii normam dirigere. Aliter enim Deum pluuię patrem appellarit, atque Filij, & huius quidem unigeniti, id quod Filiū a Patre generatum eſſe perſuadet: neque rerum omnium, quę nominibus copulantur, eadem ſolet eſſe natura.

* ἄνευ μελισμοῦ τινός.

* πλὴν καὶ τὰ ὀνόματα προσήκει νοεῖν πρὸς τὴν τῶν ὑποκειμένων πραγμάτων ποιότητα, καὶ οὐ πρὸς τὴν κατάχρησιν τῶν λέξεων τ' ἀληθῆ κανονίζειν.

Faciem autem impij quis tabefecit?

Olymp. Si uerba ſpectes, de quolibet impio intelligenda hæc ſunt: ſi uero intelligentiam, ad Diabolum, quem Vnigenitus exterminauit, referenda hęc ſunt.

Intellexiſti autem nexum Pleiados.

Chrys. Symmachus autem ſi coniunges partes Pleiadis? idest quę neceſsitas, qui nexus aſtra illa perpetua ſocietate, coniunxit? Olymp. Illud quaſi uinculum, illaq. ſtellarum, quæ Pleiades efficiunt coagmentatio, an tuę ſapientię atque intelligentię eſt opus? An uero cauſſam tenes, cur eędem ſtellę ſic inter ſe aptę cohęreāt?

Et ſeptum Orionis aperuiſti?

Olymp. Cum ſtatis temporibus ſeſe Orion oſtendat, utrum tua perfectum eſt opera, ut is quodam quaſi ſepto occultaretur? rurſumq. appareret. Basilii in Eſaiam. Certum illud, Orionem a diuina ſcriptura uocari duarum & uiginti ſtellarum coitionem, cui Bootes eſt nomen. Sic enim harum ſapientes artifices partiuntur. Ex his enim ſtellis quattuor tertię magnitudinis, nouem quartę, nouem reliquas quinctę eſſe confirmant. Et quidem in Aquilonari parte eſt illa ſiderum ſita congeries, quæ a diuina ſcriptura, quaſi corpus eſſet unum, Orion eſt nuncupata. Hæc uero nō ſtellas, ſed aſtra nominat; quòd aſtra ſtellarum multitudinem indicent: ſtella autem unaquęq; & ſingillatim dicatur.

An aperies Mazuroth in tempore ſuo?

Olymp. Siderū cętus, atq; cōplexiones, quę ſigna Zodiaci uocare ſoliti ſunt, nuncupantur. Quo igitur hęc, inquit, pacto, cum ſint obſtructa, ſuis temporibus oſtenduntur? Alij uero, *Mazuroth*, hebraicam uocem eſſe contendunt, qua canis cęleſtis ſignificetur.

Ergo tu ne, inquit, ſingula, quę occulta ſunt aſtra, ſuis temporibus reteges?

Et Heſperum in coma ſua duces eum?

OLYMP. Comam, inſignem claritatem, ac uenuſtatem dicit. Tu igitur, inquit, Heſperi ſtellam lucidiſsimam, atque clariſsimam, tantoq. ſplendore micantem deduces, illiq. itineris duxeris?

Scis autem conuerſiones cæli? aut quæ ſub cælo ſimul fiunt? vocabis autem nubem voce? & tremorem aquæ validæ obediet tibi?

OLYMP. Nunquid cœli conuerſiones, aërisq. commutationes, aut omnia, quæcumque ſub cœlo contingunt, quemadmodum fiant, ipſe noſti? uel etiam potes nubibus imperare? aut illæ imbutæ aqua quaſi tremore perculſæ, dicto audientes erunt? aut uero aquarum impetus, ac pluuia, quaſi animatæ res eſſent, tibi obtemperabunt?

Mittes autem fulmina, & ibunt? dicent autem tibi, Quid eſt?

OLYMP. Vtrum quaſi ſeruis quibuſdam ſic fulminibus mandata ipſe dederis? ut hos, illoſue inuadant? aut tuo præſtolabuntur imperio, hanc ferme uocem mittentia: En ipſa præſto ſumus: quidnam eſt, quod optas facere? Nempe hoc ipſum nos iube. CHRYS. Vide quemadmodum fulmina quoque reſpondeant, non quòd ſic loquantur fulmina, Quid eſt? ſed, quia tamquam animo prædita eſſent, ita Deo parent uniuerſa.

Quis autem dedit mulieribus texturæ ſapientiam, aut varitgatricem ſcientiam?

a Seueri in epi. ad Anaſtaſiã. in Cat. Pinelli.

[a] SEVERI OLYMP. CHRYS. GREGORII THEOLOG. Dum quæ in cœlo terriſq. fiunt, dum maris repagula, ſiderumq. diſpoſitionem, & fluxionem imbris, atque alia, quibus hominum uita gubernatur, enumerat, attexuit. Ecquis mulieres, genus ceteroqui infirmum, texendi artificio inſtruxit? atque ad opificij uarietatem, infectas lanas, coloreſq. ut adhiberent, oſtendit? Miſcet autem parua magnis diuina ſcriptura, mulierumq. ſapientiam in texendo admiratur, dum ait, *Quis dedit mulieribus texturæ ſapientiam? variegatricem ſcientiam?* Id enim eius animalis eſt, quod ratione & ſapientia præſtat, ipſaq. cæleſtia æmulatur. Hoc enim uariandi artificium neque uulgare eſt, neque illius exiguus uſus. Ac uide, cuinam generi con-

ri conceſſum ſit. Ergo textricis artis ſtudium, neque contemptum, neque ſuperuacaneum eſt; in quo diuinæ item ſapientiæ extent impreſſa ueſtigia; quam ipſam artem nec Deum puduit, ut ſibi propriam, ac ſuam adſciſcere; cum non alium, ac ſeipſum, eius auctorem eſſe confirmauit.

[1] *Quis autem eſt, qui numeret nubes ſapientia?*

1 Theod. ex Catena Pinelli organa cœli quis componet?

Olymp. Symmachus autem, Quis dedit futurorum intelligentiam? Quis, inquit, in numerum & non in menſuram incertam nubes redegit? verum ad mortalium utilitates earum coitionem molitur?

Cœlum autem in terram declinauit?

Olymp. Vides enim, ut terram ipſam contingat. Hoc enim eſt, *Declinauit*.

[2] *Diffuſum autem eſt ſicut terræ cinis.*

2 Amb. fuſum eſt ſicut in terra puluis.

Iſaiæ c. 51. Olymp. Illius tenuitatem declarat, quod etiam ipſum Iſaias fumi eſſe ſimile, dixit. Cęlo enim terra, quæ nigrorem habet, ob illius ſplendorem ueluti puluere circumfuſa eſt.

Agglutinaui autem illud, ſicut lapidi cubum.

Chrys. Firmitatem, cōſtantiam, figuramq; poſuit in cōſpectu, cum dixit, *Sicut cubum*. Olymp. Cubus quadrati habet baſim. Is uero a deſinit in acutum. Tenuiſsimam igitur cœli naturam, ſic inquit ſolidam ipſe effeci, tamquā cum lapide quis cubum coaptaſſet. Quamquam ſcyphi in cœlum figuram nonnulli conferant.

a Ideſt, extrema habet acuta.

Capies autem leonibus eſcam? animas autem draconum replebis? timent enim in cubilibus ſuis, ſedent autem in ſiluis inſidiantes.

Olymp. Quis leoni captandæ prædæ naturalem uim tribuit? quis eſca dracones explet? quis inſidiandi rationem, & in quædam inuadendi cibi cauſſa belluas docuit? Chrys. Quamobrem hæc dicit? nempe eam ob cauſſam; quia, ſi eorum, inquit, quæ ſuperuacanea ſunt, tantam prouidentiæ rationem duco, quæ nec uobis ad ſeruitutem ullam præſtant utilitatem; (quid enim commodi ab his animantibus ad hominum genus dimanat?) quanto magis ueſtris conſulam rationibus?

Quis autem præparauit coruo eſcam? pulli enim eius ad Dominum clamauerunt errantes, cibos quærentes.

Olymp. Sed uolucribus etiam Deus, inquit, prouidet. Etenim a parte totum ſignificauit. Chrysost. Dicitur coruus propter ingluuiem ſuos non alere filios, uerum illorũ curam, educationemq. deſerere. Illos uero penuria cibi oppreſſos, naturali quadam apud Deum uoce uti, & paruis quibuſdam, quæ intra nidum procreantur, beſtiolis nutriri. Quis igitur illis ſuppeditat alimenta? an non Dei Verbum? Pulli coruorum poſt magnam errationem quærentes cibum uociferati ſunt apud Deum. Is uero non pullis dumtaxat Coruorum, ſed ijs, quæ non uerbo, ſed neceſsitate, naturaliq. conatu illum inclamant, quod neceſſarium eſt, elargitur.

ADDITIONES IN CAP. XXXVIII.

A *Dixit Dominius per procellam, & nubes.*

IVLIANI.

IAM ſuis Iobus amicis, Iobo autem Eliũs ſilentium impoſuerat. Ad exitum, iudiciumq. diſputationem adduci oportebat. Itaque e turbine, ac nube ſe Iobo Deus oſtendit, ſicut olim Iſraeli in uocum ſonitu; Moyſi autem in columna nubis.

B *Accinge ſicut vir lumbum tuum.*

Methodii. Sicut te Diabolo generoſum probaſti: ſic tamquam uir lumbos tuos accinge; & interrogabo te. An non credis me tibi ſapientia præſtare? ſed mentem tantum magnam me exiſtimas? Hoc uocabulo ab Iſaia ſignificatus eſt Dæmon. *Inuehet in mentem magnum principem Aſſyriorum.* Dicit igitur illi. *Accinge ſicut vir lumbum tuum:* quamquam minime Iobus accingitur. *Interrogabo te: tu vero reſpondeto.* Is uero reſpondere nequit. *Quis enim nouit mentem Domini? aut quis conſiliarius eius fuit.* *Iſaiæ c. 9.*

C *Vbi eras tum fundarem ego terram?*

Methodii. Mecum ipſe contendis? aduerſum me ſtare audes? ubi nam eras ipſe, cum ego terram fabricabam? quis tunc eras ipſe? uel hic ſuccumbis. Etenim cum primum ſatus eſt mundus, tenebræ erant ſuper abyſſum: non hæ quidem certe; quæ conditæ non ſunt; ſed ex tenebræ, quæ ſuæ uoluntatis uitio orbatæ luce, tenebræ iam eſſe cœperunt.

INTERPRETIS ADMONITIO.

Tenebras, quæ illi horridæ, atque incomptæ rerum omnium moli

moli in prima, atque inchoata mundi inſtitutione erant obductæ, noſtrates haſce tenebras eſſe negat magnus Methodius: quoniã hæ e lucis receſſu efficiũtur. At eę, de quibus eſt in Geneſeos libro, nõdum diurnas, nocturnasq. conuerſiones, & reuerſiones Sole conficiente, faciem occuparant Abyſsi. Ideo uero negat has ipſas tenebras conditas eſſe, quòd cum earum natura in luminis priuatione ſita ſit, proprie effectorem Deum habere non potuerunt; cum ipſe non priuationum, ſed rerum quæ uere exiſtunt, auctor ſit. Abyſſo igitur Methodius eas tenebras inſediſſe ſuſpicatur, quę liberæ uolũtatis peruerſitate a cœleſti luce ad tartaream noctem demigrarunt. Quę quidem tenebræ adſpectabilis huius lucis conditionem e græcorum Patrum ſententia anteceſſerunt.

D *Laudauerunt me voce magna omnes Angeli mei.*

METHODII. Hoc eſt uoce loquente magnalia; e quo genere eſt *Gal.6.* illud Apoſtoli. *Videte qualibus literis nobis ſcripſerim,* ideſt res tales ſignificantibus.

E *Quando fluctuabat ex ventre matris ſuæ.*

GREGORII Theologi *fluctuabat*, ideſt diuellebatur, æſtuabat, ipſumq. paratum erat. CHRYSOST. Cur dixit, *quando fluctuabat*? ut oſtendat paullatim mare conſtitiſſe, nec ſimul uniuerſum procreatum eſſe. Reijcit autem auditorem ad Moyſis hiſtoriam: quemadmodum enim ipſum non quieſcit: ita a primo diffuſum eſt, deinde formatum, atque collectum.

F *In veſtigijs Abyſsi ambulaſti.*

IVLIANI. Tamquam per patris perſonam hæc dicta ſunt. Magnum quid o Iobe putas te eſſe perpeſſum: Atqui meus Filius dilectus morti haud obnoxius, mortem oppetijt: & abyſsi ueſtigia perambulauit: ut eos, qui morti erant adiudicati, liberaret,

CAPVT XXXIX.

1 Amb. capræ ſylueſtris in petra.
2 Dolores autem partus ceruarum idem Ambr.

Si cognouiſti tempus partus [1] Tragelaphorum in petra? obſeruaſti autem [2] dolores ceruarum? numeraſti autem menſes plures partus earum? dolores autem ſoluiſti? nutriuiſti autem earum filios extra metum? dolores ipſarum dimittes?

OLYMPIODORI.

SED nimirum nec ea, quæ ſunt minutiſsima, tibi cognita ſunt. Qua, inquã, ratione ceruæ, & [a] Tragelaphus, hoc eſt, capra ſilueſtris in petris atque ſpeluncis ſua ſponte contectis concipiant; qua ratione ſolutis doloribus, conceptum edant ac pariant. Qua ratione recentibus natis lac præbeant: Qua ratione ſine metu alantur. CHRYSOST. Rectè videlicet dixit, *Vtrum ceruarum dolores obſeruaſti?* Quandoquidem eæ ſemper ſunt in metu, ac fuga, ſemper imbecillæ, perpetuo circumſiliunt. Quonam igitur pacto non partum abigunt, ſed integrum edunt? Illud vero; *Dolores earum ſoluiſti?* ad rem magis demonſtrandam valet; ſiquidem ſua ſponte pariunt, nec opera obſtetricis egent vlla. Illud quoque, *Filios earum nutriuiſti abſque metu*, planius Theodotio his verbis expreſsit, Si dederint filios ſuos, ſeruabis eos? Illud autem, *Dimittes dolores*, duplicem ſententiam adfert. Nam, ſi *Dolores*, cruciatum ipſum interpretere, *Dimittes*, pro ſedabis, ac profligabis, vt non ſemper in dolore ſint, vſurpatum fuerit. Quòd ſi pro doloribus, ea, quæ cum dolore edita ſunt, atque ſuſcepta ſumantur, Illud, *Dimittes*, hoc alterum ſonat, Emittes. Idquod ſua interpretatione Symmachus indicauit; ſic enim ille, Quæ cũ dolore pepererunt, dimittunt. [b] Nam, poſtquam recentem prolem educauerint, quo maluerit, abire permittunt. Sententiam hanc is, qui mox ſequitur, verſus perſuadet.

a Tragelaphum ad ſpeciem ceruorũ pertinere docet Plinius lib. 8. natur. hiſt. c. 33. eſt, inquit, eadẽ ſpecie barba tantũ & armorum villo diſtans, quẽ Tragelaphon vocant, non alibi quàm iuxta Phaſire amnem naſcens.

b De ceruarũ, ceruorumq; moribus vide Ariſt. lib. 6. de hiſt. anim. c. 29. & lib. 9. c. 5. & c. 50. & alibi: a quo quidam Ariſt. ſumpſit Plinius quæ de Ceruis ſcriptis tradidit in lib. 8. c. 32.

Audient filios ſuos ab ſe, multiplicabuntur in genimine, egredientur, & non reuertentur eis.

OLYMP. Quomodo matres, inquit, naturalis caritatis immemores filios ſuos, vbi ſe corroborauerunt, relinquunt? Hi vero, poſtquam a matribus digreſsi fuerint, paſcuntur in agris & propagantur, nec ad matres amplius reuertuntur?

Quis

Quis autem eſt, qui dimiſit aſinum agreſtem liberum? vincula autem eius quis ſoluit? poſuit autem commorationem eius deſertum, & tabernacula eius ſalſuginem? irridens multitudinem ciuitatis? querelam autem exactoris non audiens?

CHRYSOST. Quis hoc, inquit, conſtituit? quis naturæ leges ſanciuit? quæ tum perpetuæ ſunt; tum etiam nunquam obliterantur? quibus animal hoc etiam parere cogitur, quod robuſtum eſt, & intractatum; quod nec, ſi millies conatus fueris, condocefactum poteris in poteſtatem redigere. OLYMP. Si, quid ſonent voces, ſpectemus, hoc ait.[a] Cur onager libertate viuẽdi, ſuisq. vtitur legibus? Cur hominum iuſsis nequaquam obtemperat? cur in ſolitudine degit, atque in deſertis, ſalſiſq. locis commoratur? Verum, ſi ad intelligentiam, hæc ipſa traducamus, ſolitaria hic vita deſcribitur; quæ ab rebus mundanis, ſenſusq. permulcentibus ſit ſegregata. Eiuſmodi vero inductam eſſe orationem, quæ ad allegoriam nos ipſos reijciat, hinc perſpici poteſt. Neque tam onager, quàm qui ſpiritu viuit homo, querelam non audit exactoris. Hic enim eius exactoris, qui animo dumtaxat uideri poteſt, qui quaſi quoddã vectigal exigit; qui illos, qui in eius ſunt imperio, ferre cogit onera; quos flagitij iugo premit, & voluptatum ſeruitio addicit; huius, inquam, exactoris audire uocem omnino recuſat.

[a] De onagro eſt apud Varronẽ in 2. de re ruſt. c. 6. Aſinorum duo ſunt genera: vnum ferum, quos vocãt onagros: in Phrygia & Lycaonia ſunt greges multi. Alterum manſuetum, vt ſunt in Italia omnes.

31 *Conſiderabit montes, paſcuum ſuum, & poſt omne viride quærit.*

OLYMP. Si hiſtoriæ tantummodo ratio habeatur; agreſtis aſinus montes errando obit, atque herbas ad paſtum perueſtigat. Quòd ſi theoria ſpectetur; qui ſpiritu viuit homo, cœleſtes politias perquirit, & in diuinis oraculis, in floridis, uirentibusq. Scripturis, atque in egregio pabulo conquieſcit. Atque hinc ad uitam omni errore, & culpa uacuam, cibum, uoluptatemq. eodem tempore percepturus deducitur. NILI. Mihi illud quærendum videtur, quo pacto agreſtis aſinus in ſolitudine relictus, cui eſt in ſolitudine commoratio, & in ſalſugine tabernaculum, omnem viriditatem perſequatur; præſertim cum ad herbas gignendas ferme haud apta ſit ſolitudo. Niſi quiſpiam dixerit, eum, qui in ſolitudine degit, perturbationum experte, ad diuinarum collocutionum cõtemplationem idoneum eſſe, poſtquam affectuum humorem ſale condiuerit.

Volet autem tibi Monoceros ſeruire? aut dormire in præſepi tuo? ligabis autem in loris iugum eius? aut [1] *trahet ſulcos tuos in campo? confidis autem in eo, quia multum eſt robur illi? dimittes autem ei opera tua? credes autem quod reddet tibi ſementem?* [2] *inferet autem tibi in aream?*

1 Trahet &c. Symm. æquabit valles, te ſequẽs.

2 Inferet &c. Theod. cõgregabit: Sym. colliget ex Cat. Pinelli.

Basilii. Monoceros animal eſt uiribus inexpugnabile, hominum recuſans imperium: Nec enim eum, inquit, loris alligabis: neque in præſepi dormiet: nec tibi obſequens, altiorem terram æquabit: neque rem illi ruſticam credes: nec tibi ſementem reddet: nec ea, quæ elaborata ſunt, in area colliget, & comportabit. At pleraq; alia de huius beſtiæ licentia & contumacia, quòd humanum contemnit imperium, in hac ipſa uaticinij parte dicta ſunt. Illud autem eſt animaduerſum, huius animantis ſimilitudinem a diuina ſcriptura in utramque partem uſurpari: & nonnunquam ad laudem, interdum ad uitium uituperationemq. transferri. [a] Huius ergo uis animalis ultrix, atque concertatoria in earum rerum, quæ deteriores ſunt, ſignificationem ſæpenumero accommodatur. Eiuſdem uero erectum cornu atque libertas ad rerum meliorum traducitur ſimilitudinem. Itaque Monoceros, quem Aquila (quòd in medio capite cornu gerit) Rhinocerota appellauit, ſi ad unã hiſtoriam intendas animum, animal cum ſit ualentiſsimum, cornu ipſius mucrone atque acie fretum ſubigi haudquaquam poteſt; neque enim patitur, inquit, ad præſepe ſe alligari; nequeaut glebas ſcindere, aut arare, aut in agro exerceri, aut in aream uult terræ fruges comportare. Attamen, ſi intelligentia ſpectetur, Monoceros homo eſt ſanctus, qui Deum unum intuetur; eiq. ſoli fidit, cunctarum rerum, quæ humi iacent, cupiditate contempta.

a *Plinius de hac bellua ſic in 8. lib. nat. hiſt. c. 21. Aſperrimam autem feram Monocerotẽ reliquo corpore equo ſimilẽ, capite ceruo, pedibus elephanto, cauda apro, mugitu graui, uno cornu nigro media fronte cubitorum duum eminentem.*

[3] *Penna oblectantium, Neelaſſa.*

Symmachus, Penna nitoris adnaſcitur.

3 Auguſt. penna ſtruthionũ miſta eſt alis Herodionis, & Accipitris. Amb. autem ala eorũ, quę delectantur, glorioſa. ſi comprehenderit Ciconia, & Accipiter.

Si conceperit aſida, & neeſſa: quia dimittet in terram oua ſua, & in puluere fouebit, & oblita eſt, quòd pes diſsipabit, & beſtia agri conculcabunt.

Olymp. Quarundam auium vult perſequi differentias, ac docere eſſe quaſdam, docente ac magiſtro Deo, prudentes, alias imprudentes. Dicit igitur neelaſſam pulchram eſſe ad adſpectum; aſidam autem, atque neeſſam, ea, quæ nullum habent cum ſapientia

tia commercium, ſuſcipere: ſiquidem, vbi conceperint, atque pepererint, in terram oua abdunt, illicq. fouent; haud eius rei excitata memoria, fore; ut uel hominum pedibus diſpergantur, uel a beſtijs ac feris proculcentur. Aſida Erodius eſt, ut Aquilæ placuit, ſeu Ciconia, ut aiunt nonnulli: in quo tamen ipſo opinione falluntur; neque enim fetum ciconia edit in terra, uerum in arboribus, quæ ſint in altum editæ, parit. Atque teſtes ſunt ij, qui auium hiſtoriam ſcriptis tradiderunt, non idem genus eſſe auium, Aſidam, atque Ciconiam. Sed & illud rationem habet, cur Domini prouidentia ſenſum, atq; prudentiam Aſidæ ademerit: cum enim adeo immani robuſtoq. ſit corpore, ut equitem etiam facile deſpiciat; ſane decebat, ut robori ſapientiam parem minime haberet; ne, ſi eius cuncti eſſent pulli ſeruati, nimia illorum eſſet multitudo. Sed idem uerſus hanc quoque admittit interpretationem. In auium genere, quæ oblectare animum poſsint, cum primis eſt Neelaſſa, quæ ſpecioſum præbet adſpectum; eſt item Aſida auis maxima, ſed tamē plena ſtultitiæ, quam ipſam eſt Aquila, Erodium, Accipitremq. interpretatus; cum hæc item animalia in terra poſitis incubent ouis. Cui ſane ſententiæ aduerſari Dauid uidetur, qui de paſſeribus canit, in altiſsimis arboribus nidos eos cōſtruere; & quam mox idem
Pſal. uates attexit, *Erodij domus dux eſt eorum*; tamquam hæc item auis
103. in altiſsimarum arborum frondibus domicilium collocarit. Alij Aſidam auem eſſe dixerunt, quæ in Meſopotamia reperitur.

Obdurvit contra filios ſuos, quaſi non ſit ipſa.

OLYMP. Hæc auis, inquit, poſtquam ouum elaborauit, labore pullos ſuos confici ſinit; vt ne a ſe ipſa alantur, contra ſuſceptæ prolis educationem naturali caritate obdureſcente.

In vanum laborauit abſque timore.

OLYMP. Dum pullorum ſuorum amiſsionem non timet, nec curam ullam ſuſcipit, operam perdit, quamquam non omnem; præſertim cum ſalutem filij fuerint adepti. Sed nimirum illa ſic agit; quia ſapientiam illi ipſi Deus occultauit.

Et non partitus eſt ipſi in intelligentia.

OLYMP. Hoc uero ideo huic accidit aui, quia Deus eam ſapientia ſpoliauit; illamq. cohibuit, nec illi menſus eſt, nec iniecit prudentiam. Sic enim Symmachus. Et non diſtribuit ei prudentiam.

Cum tempus fuerit, in altum ſe tollet; & irridebit equum, & adſcenſorem.

Aſida,

Aſida, inquit, poſitam ſpem habens in uolatu, uolans equum, equitemq. contemnit; ideo, quòd, ut ferunt, robuſto ſit, grandiq. corpore.

Aut tu circumdediſti virtutem equo? inſeruiſti autem collo eius metum?

Theodotio autem, Hinnitum; Symmachus uero, Clamorem, interpretatus eſt. CHRYS. Ad ea, quæ ſummam præbent utilitatem, orationem deducit: dum nec equi mentionem intermittit; illiusq. alacritatem, geſtientemq. audaciam narrat; ac multa de hoc animali diſputat: id quod in agreſti aſino fecit. Verum hic homini nequaquam ſe ſubijci ſinit; equus autem hominem rectorem ſuum minime aſpernatur. Scilicet tu equum, inquit, robore præſtantem, & erectis ceruicibus progredientem, proiectioneq. ceruicum terrorem inferentem, aut etiam hinnitu e ceruicibus erumpente territantem effeciſti?

Impoſuiſti autem ei omnem armaturam; gloria autem pectoris eius audacia.

Quaſi abs te ſit armis inſtructus, exultat audacia. Cor enim fiduciæ plenum ſub pectore gerit.

Effodiens pede ſuperbit.

OLYMP. Qui pede, inquit, terram feriens, ſuperbit, ac fremit.

Progreditur autem in campum in fortitudine, occurrens autem ſagittæ irridet; nec auertetur a ferro.

Per campum incedit ad bellum; uel, ut alijs placet, ad armorum occurſum, armatorumq. militum; nec ſagittæ, nec ferri quidquam aciem reformidans. Vt autem eſt quorumdam aliorum codicum lectio: *Cum Regi occurrit, illudit.* Neque enim dignitatis, atque ſplendoris rationem ducit.

Super ipſum autem gloriatur arcus, & gladius: & iracundia euertet terram.

Symmachus autem, In ira, & æſtu, quaſi abſorbens. Eo, inquit, affectus eſt animo; vt terram ſit euerſurus: nempe inſidientis opera, arcum geſtantis, & enſem; atque iracundiæ æſtu hoſtilem regionem depopulantis. Deinceps, quàm nihil ſine ordine moliatur, docet.

Et

Et non credet, quouſque ſignum dederit tuba, ſignum autem dante tuba, dicit, Euge. Procul autem odoratur bellum ſaltu, & clamore.

CHRYS. Audit, inquit, tubæ uocem, ac pugnæ committendæ ſignum nouit; atque e longinquo clamore ad pugnam incitatur. OLYMP. Quamdiu, inquit, non fuerit pugnandi ſignum datum, hoc quidem animal totum commouetur; haud tamen ſaltu ſe proripit. Huc enim pertinet illud, *Non credit*, ab ijs ſumpta tranſlatione, qui ob nimiam cupiditatem non credunt. Buccina uero terribilius perſonante, inſtare pręliũ ſentit; datoq. ſigno lætatur. Id enim ſignificat illud, *Dicit Euge*: necnon exercitus clamore excitatus exilit; atque in medios hoſtes irruit. Quòd ſi quiſpiam dicat, haud iſthæc in natura ineſſe equi, verum in hominis diſciplina: hic ipſe intelligat, haud iſta homines docere potuiſſe, niſi ad percipiendam diſciplinam huius animantis eſſet ingenium accommodatum. Quando nec ipſi, qui homines ſumus, haurire ab alijs doctrinæ rationem poſſumus, niſi ad eam rem idonei, aptiq. fuerimus. Docet igitur Deus ex his paruis, exilibusq. rebus ſuam inenodabilem ſapientiam: ut ea, quę magna ſunt, atque recondita diſcamus haud curioſius perueſtigare.

Ex tua autem ſcientia ſtetit Accipiter, expandens alas[1] *immotas, reſpiciens, quæ ſunt ad Auſtrum?*

[1] Immotus habet Ambr. impreſsi, & Cat. Pinel. & Vaticana.

OLYMP. Vtrum tua, inquit, ſapientia atque ſcientia explicare alas Accipitrem docuit? ut, ijs immotis, per aëra ferretur? Dicitur autem Accipiter uerſus Auſtrum explicatis alis, ferme erectum in aëre conſiſtere, prædamq. contemplari, atque hac demum ratione in illam ipſam inuolare. CHRYS. Qua tandem ratione factum eſt, ut ſuſpenſus in aëre Accipiter teneretur? quo pacto alimēta ſunt eidem ſubminiſtrata? uide, quàm paucis multa complectatur. Cur nec bouis, nec reliqui pecoris mentionem fecit? Verum eorum, quæ nullum fructum adferunt utilitatis, fruſtraq. uidentur eſſe, meminit? Nempe, ut doceat, ſi tanta erga hoc animantium genus ſapientia utitur, atque prouidentia, multo maiore erga illud genus, quod utilius eſt hominibus, uti.

In tuo autem præcepto exaltatur Aquila?

CHRYSOST. Scilicet tu eam iuſsiſti ſublimem uolatum habere?

Vultur

[1] Sym. in petra quieſcens morabitur. ex Cat. Pinel.

Vultur autem[1] *in nidis ſuis ſedens moratur in celſitudine petræ & in abſcondito? Illic manens quærit eſcas? e longinquo oculi eius ſpeculantur? pulli autem eius miſcentur in ſanguine? Vbicunque fuerint mortui, confeſtim reperiuntur?*

[a] *Si græcis his uerbis ſignificare Chryſoſtomus uoluit editionem illam, quæ κοινή appellabatur, potius κατὰ κοινὴν, ſeu κατὰ κοινῆς, quàm κατὰ κοινοῦ ſcribendum videbatur.*

Chrysost. Vt habet communis.[a] In tuo autem præcepto in rupe alta Vultur ſedens. Cum integris ſit ſenſibus præditus, ubi nam cadauera iaceant, ut ſibi paret uictum, ſenſu cognoſcit. An uero tu Vulturum pullos docuiſti, vt paruuli ueſcerentur carnibus? & ſanguinem adamarent? & in locis, ubi ſauciorum, confectorumq. cadauera eſſent, uerſarentur? necnon cruorem lamberent, atque exorberent? Hoc igitur indicant uerba. Vultur homo eſt impurus, & carnis illecebris mancipatus, in uirtutis ſtudio ſegnis. In petra, inquit, quieſcens habitabit. Qui, inſtantis tēporis ratione neglecta, ad ea, quæ longius diſtant, intenta acie, ſic ſecū loquitur ipſe, Nunc ſane uoluptatibus fruar, poſtea reſipiſcam. Cuius conſilia, atque cogitationes in mortuis operibus, & rebus uſque reſident.

Et reſpondit Dominus Iob, & dixit; Nunquid iudicium cum Sufficiente iudicabis? redarguens Deum reſpondebit illud.

Olymp. Symmachus autem, Numquid, qui iudicio cum Sufficiente contendit, ſuperior erit? redarguens, Deo aliquid contra reſpondebit? Superiores quidem ſermones Dei poteſtatem, & uim Iobo poſuerunt in conſpectu. Nunc autem ad eumdem orationem conuertit; eiq. ſpatium reſpondendi concedit. Verum, cum nullum a Iobo reſponſum auferat; iterum Deus ſermonem uſurpat: qui quidem ſermo eſt huiuſmodi, Itane uero iſthæc mecum ipſe ex iure diſceptabis? Eorumne, quemadmodum effecta ſint, tenes rationem? eorumne habes cauſſas explicatas? An me, quaſi minus idoneam, atque probabilem orationem attulerim, a te refelli poſſe arbitraris? Iudicio, quod de te antea feci, reſponde, ideſt, quid iudicij, quid rationis adferas, ipſe exſpecto. Neque uero hæc eo dicit, quòd de Iobi religioſa mente quidquam dubitet; uerum, ut amici ex ijs, quæ reſpondet cuiuſmodi Iobus ſit, intelligant.

PRO.

PROTHEORIA CAP. VIGESIMISEPTIMI.

IOBVS, qui Deo carus eſſet, ac ſuæ facultatis neruos minime ignoraret; cum diuinam vocem eum ad loquendum, atque ad ea, quæ diſputata erant, reprehendenda laceſſentem de repente audiuiſſet; gaudio, vt par erat, exilijt: ſed tamen initio ſuam fatetur imbecillitatem; Deoq́; ipſi victoria largitur inſignia. Nec enim Dei ſapientiæ aliud quidpiam conuenit reſpondere, niſi illius admirabilitatem ſilentio præſeferre; atque id, quod noſtram præteruolat intelligentiam, arcanò ſuſpicere.

Suſcipiens autem Iob dicit Domino: Quid ego adhuc iudicor commonitus, redarguens Dominum, audiens talia, cum nihil ſim?

CHRYSOST. Siatim ab initio Deo tribuit principatum: nimirum Abs te uictus ſum: quid ergo longius animaduerſionem producis? Ecquid ego tibi tandem reſpondeam? quæ ratio demum fuerit in huiuſmodi Domino defigendi obtutus? [a] Scilicet ego acceptæ plagæ rationem exquirebam, opificium ipſum nullo pacto ſum criminatus. Quamobrem igitur, Domine, iudicor? quamobrem iſthæc audio, & admoneor, perinde quaſi a me Deum redargui, rectum ſit, qui nullius pretij, ac plane nihil ſim?

a Scilicet ego &c. eſt item Iuliani hæc reliqua explicatio in Cat. Pinelli.

Ego autem quam reſponſionem dedero ad hæc? manum ponam ſuper os meum. Semel locutus ſum; ſecundo autem non adijciam.

OLYMP. [b] Quid ego, inquit, ad ea, quæ dicta ſunt, adferam? Satius eſſe duco tuam, quæ nobis haud percepta poteſt eſſe, ſapientiam ſilentio admirari. Non mihi verba deerant, quando cum hominibus ſermo habebatur; quando quaſi peccatorum meorum pœnas luerem, condemnabar. Verum hæc prima fuerunt. Ad hæc autem, quæ ſecunda ſunt, hoc eſt, ad ea, quæ tuam poteſtatem, atque ſapientiam attingunt, quidquam uel addere, uel loqui, uel contradicere, nefas eſt. Præclara autem, atque ad diſciplinam vtilia nobis hæc eſſe debent; ut, quæ a Deo dicuntur, curioſe a nobis ne inueſtigentur.

b Hanc Olympiod. explanationem eſſe quoque Iuliani, docet ead. Cat. Pinel. nã Iuliano tribuit.

IN

IN CAPVT XL EX EDITIONE LATINA, XXVIII EX GRAECA.

Protheoria ex Catena Vincentij Pinelli reſtituta.

Olympiodori.

PERQVAM eximia hoc item loco Dei erga homines caritas declaratur. Etenim cum Iobus, qua par erat, ſanctitate, diſputationem cum Deo recuſaſſet: ac ſe nihil eſſe confeſſus eſſet: hominum, & æquitatis iuris amans Deus illum blande, & amice compellat. Noli, inquit, ſilentio vti, loquere. Equidem idcirco tibi ex oraculo reſpondi: ideo tecum verba feci; vt tuam iuſtitiam euulgarem. Hac etiam ſua Deus cum Iobo collocutione nos quanta ipſius uis, & præſtantia ſit, docet: nec non in ijs, quæ de beſtijs dicere inſtituerat, ſermonem de Dracone intexit: quem nonnulli ad hiſtoricam veritatem animal eſſe exiſtimarunt, magno illud quidem robore, immaniq́; corpore præditum. Alijs placet Draconem hunc eſſe Leuiathan, qui iam inde a principio Diabolo operam nauauit: Euamq́; in fraudem impulit. Leuiathan vero hebræi Cetos magnos nuncupant. At maior pars eorum, qui Eccleſiæ luxerunt, in ſuis Commentariis, & ſcriptionibus, quæ ſcripta ſunt, ad Diabolum per allegoriam tranſtulerunt. Ego quidem ſit ne animal vllum eiuſmodi nequeo dicere: quod nec ipſe vidi: nec vero a quoquam hiſtoriæ ſcriptore accepi. Illud ſane aſſentior magnopere: eorum Theoriam, qui ad Draconem apoſtatam ſatanam, magnamq́; mentem, quæ hic ſcribuntur, referunt, eſſe diuinarum litterarum auctoritati conſentaneam. Cui enim alij, niſi Deo conueniebat improbitatis principem deſcribere? Cuius nequitiam, & feritatem idcirco in corporis formam contulit, vt belluæ terrore concuſſi, atque ab ea cum comprehenſi fuerimus, ad Dominum confugiamus. Quod autem ſæpenumero ſacra ſcriptura corporum

aſſimulatione nobiſcum loquatur; vt noſtros animos ad ea, quæ intelligentia dumtaxat percipi poſſunt, traducantur, myſteriaq; nobis non perſpicue, ſed obſcure enuncientur, haud is dubitarit, qui paullulum in eo ſcripturarum genere, quæ ſunt allatæ diuinitus, animum peruoluerit. Nam & in Canticis Canticorum omnia corporum notis effinguntur: Cum tamen liber ſit myſticus, totusq; ad allegoriam referatur; quare ſit ne a vero hiſtoriæ ſenſu tale quodpiam animal, nondum eſt mihi conſtitutum. Eo autem in ſacris litteris diabolum indicari multis Sanctis viris in Eccleſia claris viſum eſt, quam ipſi notionem complexi verborũ explanationem facere conabimur.

CAPVT XL.

Adhuc ſuſcipiens Dominus dixit Iob de nube, Minime: ſed accinge ſicut vir lumbum tuum. Interrogabo te; tu autem mihi reſponde.

OLYMPIOD.

ET INCREDIBILIS [a] hoc loco Dei erga homines perſpicitur beneuolẽtia. Quia enim Iobus ea, quæ ſe digna erat, ſanctitate, diſputare cum Deo recuſarat; ac ſe nihil eſſe confeſſus erat; ideo illũ rurſus Deus blande, amiceq. compellat. Noli, inquit, ſilentio uti; loquere; te ipſe collige; uir eſto; ægritudinem pelle; animoq. complexus, quid te reſpondere oporteat, uiro dignam da reſponſionem. CHRYS. Qui cauſſæ ſuæ bonitati magnopere confidunt, nec tergiuerſantur; licentiam uidelicet aduerſarijs permittunt; ut ſua ipſorum ſit maior uictoria. ORIGEN. Nimirum ijs, quorum in ſummis certaminibus probata eſt; & ſpectata uirtus, poſt hanc uitam ſunt præmia reſeruata. * Sed tamen, quæ Dei eſt beneficentia, in hac etiam uita Deus mercedem ſuis athletis, poſtea perſoluendam, arrhabone confirmat. Ita, poſtquam pugnas acerrimas Iobus pugnauit; poſteaquã fortunis euerſus, Deo, qui illas fuerat dilargitus, gloriam detulit; poſteaquam orbatus liberis Deo, a quo illos acceperat; gratias egit; poſtquam fęda corporis lue confectus, ut iam uermium imbres e corporis artubus defluerent, manus minime dedit; neque eſt doloribns ſuperatus; primordium illi quoddam Deus, & conſequentium præ-

a In Codice Card. Caraffæ primi hi verſus ex Olympiodori Protheoria defectos eſſe conſtat, et cum eiuſdem interpretatione conglutinatos.

* οὐδὲν δὲ ἧττον καὶ ἤδη ἡ χάρις τοῦ θεοῦ ἀῤῥαβωνίζεται τοὺς ἀθλητάς.

miorum pignus elargitur. Nam diuina illi oracula edit e nube, ac turbine. Quamquam, ubi priores Dei ſermones Iobus accepiſſet; cumq. reſpondere oportuiſſet, ſilendum ſibi eſſe ſtatuit; quòd apud Deum haud tantopere auderet; necdum illud eſſet ei cognitum, Moyſem eſſe cum Deo locutum, Deumq. Moyſi reſponſa dediſſe. Ergo Deus Iobum ad fidenter loquendum erigit. Etenim tanta Dei eſt benignitas; vt non iudicis, ſed eius, qui in iudicium uocatur, perſonam ſuſcipiat; quod ipſum diuini teſtimonij multifariam confirmat auctoritas. Nam ex hoc genere eſt illud, *Venite & diſceptemus:* necnon illud alterum, *Populè mi, quid feci tibi?* Ecce tibi, Deus Iobum præmio afficit, cum interrogat hominem, cum audit, cum ei poteſtatem facit reſpondendi. Ac niſi uictor extitiſſet Iobus, nequaquam illum Deus complexus eſſet. Niſi conſtanter toleraſſet, numquam uidelicet, audiſſet, *Accinge ſicut vir lumbos tuos:* & ne ſile, ſed in reſponſionibus uir eſto. Nec enim quiſquam, qua par eſt dignitate, cũ Deo loquatur, niſi lumbis cinctis, atque compreſsis. Non igitur Deo quiſquam prius reſpondeat, quàm uir abſolutus exiiterit, hoc eſt, ad ſpiritalem ætatem peruenerit; lumboſq. conſtrinxerit.

Eſa. c. 1. ex edit. 70.

An repellis iudicium meum?

Olymp. Duplex eſt huius loci ſententia. Aut enim, quia Iobus, diuini iudicij æquitate confiſus, cauſſam ſuam integram Deo reſeruabat, (ſiquidem amicis dixerat, Scio me, Deo iudicium inſtituente, iuſtum uiſum iri) hoc nunc ei Deus in mentem reuocat, dũ ait: Ne meum iudicium recuſes; apud me experire. Method. Aut etiam ſic, quando res huiuſmodi ipſe es paſſus, noli exiſtimare, earum me haud rectum informaſſe iudicium. Origen. Horum uerborum ipſi memoriam uſurpemus; cum ſuo iudicio ſtatuerit Deus, quidquam nobis eſſe mali perferendum, ſiue amittendi ſint liberi, ſiue dominatus, principatuſq. abijciendus; ſiue corpore ægrotandum, ſiue quoduis aliud malũ deuorandum; cum certum ſit, iudicium faciente Deo, cuncta nobis mala euenire. Itaque, cum nihil horum abſque Dei contingat arbitrio, atque iudicio: ei, qui ærumnis conflictatur, dicitur; Ne meum repelle iudicium, id eſt, quæ de te egomet iudicando ſtatui, noli repudiare.

Putas autem, me aliter tibi reſpondiſſe, quàm vt appareas iuſtus?*

* κεχρηματικέναι. decreuiſſe, uel reſpondiſſe.

Chrysost. Præſens hoc reſponſum indicatur, Non, quo te condemnem, hæc loquor, inquit, uerum, ut Iuſtum eſſe palam doceam.

ceam. Seu etiam ad ipſammet tentationem decretum hoc, ac reſponſum refert, ut ſuum illum permiſſum reſponſum appellet. Noli putare, inquit, aliam ob rem mihi conſtitutum eſſe, ut illa tibi acciderent, niſi, ut cunctis mortalibus tua iuſtitia promulgaretur, & tibi quidem ornamento, ac gloriæ, orbi autem terræ eſſet emolumento. Ac uide quemadmodum non dixerit, Vt iuſtus euaderes; (iam enim ſe ad uirtutem perfectè exercuerat) uerum, ut id, quod eras, uidereris, ut alios erudires; mea te reſponſione tueor. Iuſtus tu quidem eras: ſed tamen in operto eras. Patientia eras inſtructus; uerum ſeges præbenda erat, ubi patientia illa tua eniteret. Animi uirtute, ac robore præſtabas; ſed nimirum tanta uirtus iacuiſſet, niſi illam, quæ in te incurſarunt ærumnæ, inſignem feciſſent. GREGORII THEOL. Vides, quemadmodum poſt certaminum exitus, illuſtri Deus præconio athletam declaret, & plagæ quoque arcanam rationem aperiat, cum ait, *Putas me aliter tibi reſpondiſſe, niſi vt iuſtus appareres?* Hęc uidelicet uulnerum eſt medicina; hæc patientiæ remuneratio. Nam illa, deinceps duplicata recuperabit, quamuis ampla nonnullis uideri poſsint, parua tamen fuerint, leuioribus de cauſsis procurata. ORIGEN. Horum nobis ueniat in mentem, cum in calamitoſa tempora inciderimus; eaque præſentis, loquentiſq. Dei uox nobis occurrat: Putaſne aliter me tibi reſpondiſſe, ideſt alia de cauſſa meo permiſſu tentationem tibi obtigiſſe? niſi ut ignaris tua eſſet inſignis, minimeq. ignorata iuſtitia?

An brachium tibi eſt contra Dominum?

CHRYSOST. Eſſe mihi curę homines, hinc planum eſt, atque perſpicuum; quòd Deus interrogatione earum rerum Iobum urſit, quæ ad temporum, ad eorum quæ giguntur in aëre, ad animantium rationem, prouidentiamq. referuntur. Nunc ipſe, cur tentatio a me tibi ſit importata, cauſſam perſpexiſti. Dilectionis enim fuit, uirtutis tuæ declaratio; ut illius ceteris daretur documentum. Hic uero tu meam uim diſce. Nec enim bellum inferens te ſauciari permiſi. Quæ enim tua fortitudo eſt, ac robur, ut prælio ſis mihi ipſe laceſſendus? Num tibi brachium eſt aduerſus Domini brachium? aut uero parem habes uirtutem?

Aut voce, ſicut ipſe, tonabis?

CHRYSOST. Non igitur tonitrus, reliquaq. omnia ad oſtentationem, ſed ad Dei notitiam ualent. Ac vide, quàm uarie naturę, qua is conſtabat, abiectam condicionem coarguat. Nec illud di-

cit, Humilis es ipſe; uerum quid? Magnus ego; nec ea potes ipſe, quę egomet poſſum.

A *Aſſume iam ſublimitatem, & poteſtatem: gloriam & honorem induere: mitte autem Angelos cum ira: omnem autem contumelioſum humilia: ſuperbum autem extingue: impios autem ſtatim abſconde: putrefac autem in terram extra: facies autem eorum ignominia imple: abſconde autem in terram extra. Simul confitebor utique, quòd poteſt dextera tua ſaluare.*

Olymp. Hæc, inquit, tibi ſume, quæ natura Deo conueniunt. Indue gloriam: indue honorem: utere, ſi potes, Angelis ad ulciſcendum contumelioſos, atque ſuperbos: dele impios: eos longe amanda: atque in eos animaduertens, tabe, atque putredine conſume; idq. ſubito, ideſt, omni remoto impedimento, ac tibi quotieſcumque collibitum fuerit. Hæc ſi tu uiribus amplecti uolueris, facile me tuæ poteſtatis teſtem, & comprobatorem habebis. Origen. Huc item ducere nos poſſunt hi uerſus. Aduerſarium, qui tibi mala intentauit, ſuperaſti. Reuoca igitur tuam illam mentis celſitudinem; reuoca * uirtutem, lauream accipe; ſplendorem, ac dignitatem indue. Is, qui per iniuriam agit omnia, tecum manum, ferrumq. contulit. Tu uero arrogantis faſtum obtriuiſti; eumq. cum ſua cohorte, longius proieciſti; ut ea res ignominiæ ſit illi, atque dedecori.

* δύναμιν.

Sed iam ecce beſtiæ apud te fænum ſicut boues comedunt.

Ivlian. Quidam beſtias hoc loco, ipſos uermes e putredine procreatos, Iobiq. artus depaſcentes intellexerunt. Olymp. Manum, inquit, meam a te amoui; & ecce caro tua quaſi fænum abſumitur. Alij vero aduerſarias poteſtates beſtiarum nomine ſignificari dixerunt; ut hoc appoſite dicatur ad illud; *Ne tradas beſtijs animam confitentem tibi*. Apud te igitur, inquit, & apud omnem, qui eſt patientia inſtructus, hæ belluæ manſueſiunt, atque ſubijciuntur. Affectus quidem ipſi, ſi comprimantur diſciplina, mites fiunt; & boum more fæno ueſcuntur. Contra, domitoris & condocefacientis ſocordia, agreſtes euadunt, & belluarum immanitate utuntur. Chrys. Licet etiam eúdem uerſum ad eas beſtias, quæ ſub ſenſus Pſ. 73

ſubiectę

ſubiectæ ſunt, referre. Eæ namque ſæpenumero diuino conſilio, cum ſanguine minime paſcantur, boum alimentis contentæ ſunt. Quoniã igitur eſt hoc ipſum admirabile, a Iobo perconiatur Deus, utrum huius rei ſit ipſe auctor; vt beſtiæ paſcantur fæno, non carnibus. De duplici animalium genere pergit deinceps dicere, de terreno, inquam, & de eo, quod degit in aquis & mari. Nec illud nos fugit in Diabolum dicta hæc eſſe, nonnullos exiſtimaſſe. Verumenim primum hiſtoriæ danda eſt opera, deinde utilitati ſuccurrendum auditoris, nec contemnenda anagogia.

Ecce robur eius in lumbo, virtus autem eius in vmbilico ventris.

OLYMP. Si de bellua, quæ obiecta eſt ſenſibus, hæc interpretari uelimus, ſane diuinus ſermo tum beſtiæ robur teſtatur; tum locũ, in quo reſideat robur, oſtendit. Locus autem eſt lumbus; ſiue, ut Aquila conuertit, dorſum; ſiue, ut Symmachus, uenter. Verum, cum Satanæ diuina ſcriptura corpus affingat, illum ex ſuis actionibus deſcribit: & quoniam in lumbis uaſa ſeminis cõtinentur, uim illius in lumbis ſitam eſſe confirmat; ideſt, hæc eius prima uis, primuſq. conatus, ut libidini hominem dedat. Ab hoc enim initio huius belluæ uis proficiſcitur: longius autem progreſſa, ad umbilicum arrepit. Virtus, inquit, eius in umbilico uentris. Quod ipſum huc pertinet, aut quia uentris luxu, atque intemperantia incitatus bacchatur, cum uentris uitio, atque cupiditate affectus, qui uentri parent, comitentur: Ventris enim ſatietas obſcenæ libidinis radix eſt, & fons: Atque ob id ipſum, obſcena libido, & quæuis fœda uoluptas eſt umbilici nomine modeſte, & grauiter declarata: uel, quia eſt umbilico in corpore locus medius attributus, dixit, robur eſſe ipſi beſtiæ infixum; nec uſquequaque poſſe moueri, & inclinari, quandoquidem tantummodo eſt improba, nec ferri poteſt aliquando in bonum. Re autem ipſa e dorſi ſpina ducti nerui umbilicum deuinciunt; ut merito huius animantis uis poſita ſit in umbilico, perinde quaſi in dorſo collocata eſſet. Fortaſſe etiam eadem pars corporis in uiro lumbi nomen obtinuit. [a] Verum ne diuinus ſermo feminam in prȩteritis relinqueret, [b] umbilici nomẽ attulit, quo doceret infeſto exercitu Satanam non ſolum adoriri eos, qui ſemina gerunt, uerum etiam mulierum genus. Summa autem cum dignitate verborum, & in mare lumbi, & in femina umbilici nomine eſt uſa diuina ſcriptura; ſiquidem & parem dignitatem, atque modeſtiam ad mulieres adferri oportebat.

a Verum ne &c. hæc ſumpta eſſe ab Origine demonſtrat liber Pinelli.

b Locum de vmbelico huius beſtia ad mulieres, de lumbis ad viros pertinere nõ ſolum Origenes, & Olympiodorus ſentiunt, uerum etiã magnus Gregorius tum hic, tum Hom. 23. in euang.

Statuit caudam, ſicut cypariſſum.

OLYMP. Cauda eſt finis. Cypreſſus autem arbor robuſta ac rigida. Mentem, inquit, obfirmatam, atque inexorabilem, vſque ad extremum ſeruat. Et quoniam cypreſſo iuſtus comparatur, quòd & iucunda ſit ea arbor; & ſuauem exhalet odorem; & firma conſiſtat: miniſtri autem Satanæ transfigurant ſe in angelos lucis: idcirco hoc loco diuinus ſermo confirmat, huius belluæ caudam, hoc eſt, eius comites, atque affectatores, cypariſſos, ideſt, iuſtos ſe eſſe ſolitos ſimulare. Ex hoc genere exiſtet Antichriſtus, qui cauda eſt Diaboli, in fine ſęculi uenturus.

Nerui autem eius impliciti ſunt.

OLYMP. *Nerui eius*, hoc eſt, calliditas eius inuolucris eſt plena, ac nodis, qui diſſolui non poſſunt. Et uero genus quoddam eſt hominum, qui prope membra ſunt Satanæ, atque horum impliciti nerui; quorum qui potuit nodos diſſoluere, illud Iſaiæ perficit, *Iſai.*
Solue omnem nexum iniuſtitiæ. *c.18.*

Latera eius latera ænea.

OLYMP. Coſtæ ſunt doli, callida artificia, machinæ, & illæ quidem prauę, atque diſtortæ. Eiuſmodi enim communis aduerſarij ſunt cogitationes. Ideo autē æneæ, uel quòd is ueritati obſtinate
reſiſtit; vel quia, ſicut æs fulgens aurum imitatur, ſic & *Satanas* *2.Co-*
transfigurat ſe in angelum lucis. Vel aliter, quemadmodum ex Adæ *rin.c.*
latere conformata eſt mulier, eamq. rem ille ſacrorum Antiſtes ad *11.*
CHRISTVM, atq; Eccleſiā pertinere animaduertit: ſic Satanę late- *Geneſ.*
ra cōuenticula hęreticorū intelliguntur; quæ nec CHRISTI ſenten- *c.2.*
tiam habent, & fallaci ementitiq. nominis doctrina decipiunt. *Ad*
GREGOR. THEOLOG. Vide, quænam de hoſte improbo narret, *Ephe.*
quàm terribilia, quàmq. horrifica. Cuius & latera ænea ſunt; ac re- *c.5.*
liqua omnia talia, qualia diuinus ſermo deſcribit.

Dorſum eius ferrum fuſum.

* Vel ſic e ferri ramentis colliquefactis arma fabricātur inuicta.

OLYMP. Symmachus autem, Sicut peſſuli ferri.* E ferro expolito arma fabricantur inuicta. Eſt autem dorſum membrorum omnium nexus. Hinc ergo id, quod caput, & fons eſt affectionum, perturbationumq. omnium intelligitur. Vel aliter, quoniam animalia dorſo impoſita geſtant onera, eo nomine illius robur ſignificauit.

[1] Didymi in prou. ex Catena Pincilli.

DIDYMI.[1] Sane quoddam eſt ferrum, quandoquidem nec obedientia flectitur, & incus eſt quædam indomita ἄκμων ἀνήλατος.

OLYMP. Quemadmodum qui membra ſunt CHRISTI, uaria in Eccleſia

cleſia nomina inuenerunt, nam alius oculus eſt, alius pes, alij cetera; ſic qui Satanæ ſtudia, atque facinora imitantur; propter ſuam ipſorum improbitatem, Draconis membra proportione quadam intelliguntur.

Hoc eſt [1] *principatus formationis Domini.*

Alij uero, Caput uiarum Fortis. Quidam aiunt hunc primum a Deo creatum eſſe. Alij * uero, cum dicere reformident primam a Deo conditam naturam, mutationem paſſam eſſe; illum primum ortum eſſe negant. Eidem tamen Angelorum principatum delatum eſſe concedunt; qui unus e primis principibus eſſet; a quo nec
Pſal. 81. illud diſſidet: *Et ſicut vnus de principibus, caditis*. Verumtamen eſt principatu deiectus, quòd manus contra Deum ſuſtulerit. Quidam alij formationem Dei hominem eſſe interpretantur. Luciferum autem a Deo in homines obtinuiſſe imperium. Illum autem poteſtate abuſum fuiſſe; quandoquidem & a Deo diſceſsit ipſe; & ut idem faceret, homini perſuaſit. Apoſtolumq. ſuæ ſententiæ comitē adſciſcunt his uerbis loquentem, *Secundum Principem* [a] *ſæculi huius*. Sed nimirum alij inficiantur fuiſſe aliquando, cum ille diuina uoluntate imperio præeſſet hominibus: uerum homines ſua ſponte, atque iudicio, cum ſuis perturbationibus, uoluptatibusq. morigerantur, ſub iugum miſi Diaboli. Imperat igitur, inquit, formationi Domini, ideſt, hominibus, hancijs ſeruitutem uoluntate ſua deligentibus. Qui uero hæc ipſa ad hiſtoriæ leges exigunt, animal hoc draconē eſſe affirmant; cuius ortus ceteris omnibus marinis belluis anteceſſerit; atque ea re principatum formationis Domini dici; quòd ante ea animalia, quæ degunt in mari, fuerit procreatus.

1 Aquila caput. Symmachus, & Theodotio viarum Fortis.

* Non fuiſſe lapſum primū Angelum credit Damaſcenus ī 2. lib. de fide orthodoxa cap. 4 & D. Auguſtinus in 3. lib. de Geneſi c. 10. non damnat hāc opinionem D. Tho. quamuis cōtrariam ſequatur in p.p. quæſt. 63. art. 7. quę ipſa eſt Gregorij homil 34. de centū ouibus; & Hier. lib. 2. aduerſus Iouinianum c. 3. & Iſidori lib. 1. c. 12. & Gloſſæ in Pſal. 103.

a Eph. c. 2. vbi pro ſæculi huius, eſt poteſtatis aeris huius.

Factus, vt illudatur ab Angelis eius.

Symmachus, *Factus*, ut eius gladio adigatur. Quoniam a Deo diſceſsit, illud conſecutum eſt, ut & ſanctis Dei Angelis, &, qui cum Angelis æquantur, hominibus ludibrio ſit, atque deſpectui. EVSEBII. [b] Dubitationem hoc loco diuinus ſermo remouet, dum docet, ideo uitam illi conceſſam eſſe, ut Sanctis Dei, qui cum eo pugnas exercent, eſſet ludificationi, hamos ei nonnunquam, interdum uero naribus eius fibulam inijcientibus.

b Euſebij Cæſarea ex com. in Iſaiam. in Cat. Pinelli.

Accedens autem ad montem præruptum, fecit lætitiam quadrupedibus in Tartaro.

OLYMP. *Præruptum montem* cum dicit, incarnati Verbi poteſtatem enunciat; quando ad illud acceſsit Diabolus, eiusq. perfe-

ctum eſt opera,ut illud cruci ſuffigeretur.Etenim ex ea re tum Dæmones,tum homines digni Tartaro,lętitię uoluptatem cepere;ideo, quòd hominum ratione carentium,& pecudum more crucis rationem ignorarent. Fortaſſe etiam ijs, qui Inferni cuſtodia capti tenebantur,lætitia facta eſt,cum eos Saluatoris illuc deſcenſus exhilarauit. Quòd ſi ijs, qui uitam a ratione ſeiunctam traduxerunt, ea res uoluptati fuit; quanto magis Sanctis?

B *Sub qualibet arbore dormit.*

Olymp.In iis,qui non in eadem ſententia perſiſtunt,acquieſcit; in quos ſcriptum eſt illud, *Arbores autumnales infructuoſæ.* *In epiſto. Iudæ.*

*Iuxta papyrum, & calamum & * butomon.*

Severi. [a] Hæc omnia materies ſunt atq; pabulum ignis. Itaque Dæmon in fluidis, effeminatis, & fructum non ferentibus animis, qui igni materiem præbent, commoratur: fluidis inquam, atque humore redundantibus animis delectatur,qui ſuauitate conditam, & uoluptariam,& fluxam uitam perſequuntur. Quare in aquas deſcendit Dominus,ut illic contereret aduerſarium. Athan. Sed forſitam papyrum, & calamum uſurpauit Scriptura ad Dæmonis egeſtatem, humilemq. condicionem declarandam.

*Obumbrabunt autem ei arbores magnæ cũ * ſurculis.*

Olymp. Symmachus autem, * Cum adnatis. Aut hoc dicit, Illius frui conuictu ac conſuetudine magnos quoſdam Dæmones, qui pari improbitati ſuccubuere. Aut illud ſignificat,tam in paruorum,quàm in magnorum hominum ſeſe familiaritatem inſinuare; atque id conari,ut in ſuam ipſius illos redigat poteſtatem.

*Et rami * amerinæ.*

Olymp. Aquila, Salices torrentis. Sæpe enim,qui uirginitatem coluerunt,ſunt illius partes ſecuti,uti fatuæ uirgines,uti ij, qui nuptias criminati ſunt. Sed fortaſſe hoc loco Scriptura amerinam, ſeu ſalicem torrentis non ad ſymbolum uirginitatis ullum tranſtulit; ſed tantummodo ad ſuperfluentem humorem ſignificandum adhibuit.

Si facta fuerit inundatio, non ſentiat.

Olymp. Ideſt, quamuis colluuionis inſtar, maria omnia contegentis,notitia complecatur Vniuerſum; is nihilominus in improbitate perſeuerabit. Doctrinaq. euangelica quaſi fluuiorum aqua, orbem terrarum omnem lætificante; (huc enim pertinet illud, *Iſaiæ c. 66.* *Et declinabo ſuper eos,ſicut fluuius pacis purgans, & uiuificans terram)*

* Genus eſt herbæ paluſtris,quæ aciem acutam, ſecantemq. habet:de qua Theophraſt.lib. 1. c. 8. hiſt. plant. apud quem etiam butamon reperitur.

a In decimo Apologetico.

* ὀροδάμνους.

* σὺν ταῖς παραφυάσι.

* ἄγνου: Amerinæ ſeu uiticis. interprete Gaza. Legendatũ herbarũ plebei artifices Agnum caſtum appellant.

ram)haudquaquam is reſipiſcet, neque ſeipſo melior fiet; ſeu, quemadmodum Symmachus extulit, minime obſtupeſcet.

Fiduciam habet, quòd irruet Iordanis in os eius; in oculo ſuo excipiet illum; intortus perforabit naſum.

OLYMP. Symmachus, In fibula perforabit nares. Sua, inquit, calumniandi licentia fretus, diuinam gratiam petulanter inſectatur; eamq. uerbis irridet, atque contemnit. Idq. molitur facinus per Græcos, Iudæos, Manichæos; qui redemptionem eam, quæ e Iordane extitit, non admittunt. Excipit autem Iordanem oculo, hoc eſt, contemplatur; uidetq. eos, qui ad gratiam accedunt; & contra eos bacchatur. Sauciatur autem Draco; atque adeo eiuſdem nares perforantur; atque nefarij in Deum maledicti naſum dimittit, ubi ad crucem admouerit. Vel etiam illud ipſum, *Perforabit nares*, hanc habet ſententiam ſubiectam. Seipſe ſubijciet, a bobus ſumpta tranſlatione; quorum nares perfodiuntur; ut ita ducantur facilius. Quaſi diceret. Et naſus & dentes & facies eſt Draconis omnis obtrita. Attamen, ſi hæc eadem de quopiam animali, cetoue dicta ſint, ſcilicet, hic fuerit illius magnitudo corporis, & uis declarata. Sic enim de eo uerbis teſtatur. Si forte contingat, ut bellua hęc ui quapiam abrepta, in continentem deferatur; ceteras, quę in Tartaro, & aquis uitam agunt animantes, quibus ipſis immanis illa bellua hoſtiliter inſidiatur, efferri lętitia. Quòd ſi hęc ipſa beſtia in montem aliquem, ſaxoſumue locum eijciatur, corporis ſui granditate non humiliores tantum plantas, ſed maximas etiam protegere. Tantaq. eſt eius corporis magnitudo, ut, quamuis multa ſit aqua perfuſum, minime ſentiat; quamuis aquis tegatur, & obruatur. Nam Iordanem ferme omnem ſuo corpore complexa fuerit; ac diducto oculo, aquam comprehenderit. Cuius tamen adminiculo ſi feratur ad terram, atque ad ſaxum allidatur; quamuis corpore ſit tanto, faciem comminuat uniuerſam.

Duces autem Draconem in hamo.

Euagrio tradit explicationem hanc Cat. Pinelli, poteſt eſſe utriuſque Doctoris

SEVERI. Ceteri, Leuiatham. Et ſuperiorem cetum, & hunc, cuius meminit hoc loco, Draconem, rem unam atque eamdem eſſe arbitror: quandoquidem Leuiatham, uox hebraica eſt, eadem utrobique adhibita; qua quidem ratione haud ſoliti ſunt Hebręi ceteros Dracones nuncupare: ſuo enim uocabulo genus eorum appellant unumquodque. Certo autem ac proprio nomine is draco, qui aduerſariarũ poteſtatum princeps eſt, Leuiatham eſt nuncupatus; qui tamquam ſuum ac proprium id ſit nomen adeptus.

Num

Num igitur, ô Iobe, effeceris ipſe, quod Vnigenitus poſtea effecit? OLYMPIOD. Is enim, carne ſua quaſi quadam eſca, obiecta, clauis ſuis, quaſi hamis piſcem captauit.

Circumdabis autem anulum nari eius? aut ligabis circulum in naribus eius? [a] armilla autem perforabis labium eius?

> *a Armilla perforabis &c. Methodius, ut ne Sibilare ſtriderent amplius poſſit? ex Cat. Pinelli.*
>
> *b Auguſtinus Steuchus in ſuis enarrationibus in Iob ſummam per incuriam affingit Septuaginta Theodotionis interpretationẽ; quã etiam, dum græcam recitat, adulterat. Nam apud Steuchũ eſt huiuſmodi: καὶ χαλινῷ τρίψεις σιαγόνα αὐτοῦ. At vera lectio non τρίψεις, ſed τρήσεις habet. Verum enim huic homini ſollẽne fuit, pleraq; in Septuaginta interpretatione reprehendere; quæ nec apud ipſos uſquam reperiuntur: & quamuis reperirentur, omni culpa reprehenſionis uacarent.*
>
> * περιοχή.

OLYMP. Theodotio, [b] Et freno perforabis maxillam eius? Armillam dixit pro * ſepto. Armilla igitur & ſepto, eius labra conſuit CHRISTVS; ne inſolenter glorietur. Nec aliter in eius nares anulum inſeruit, atque is facere ſolet, qui taurum domat; eumq. ferocientem, atque exultantem comprimit: clauus autem adactus, ac circumactus, circulus euadit. Sic autem illum anulo & capiſtro deuinxit; ut facile poſſet eſſe ludibrio. Adhęc armilla ad manus adhibetur ornatum; eiuſmodi bonum eſt opus. Hãc ergo armillam qui habet, Draconis labrum perforabit. Ac Diabolus pudore impeditus, hominem frugi reuerebitur; nec contra eum hiſcere audebit.

Loquetur autem tibi orationes ſupplices molliter? Feriet autem tecum pactum?

OLYMP. Hæc ideo dicit; uel, quia ſupplicibus a Domino uerbis Dęmones petebant; ut ne eos compelleret in abyſſum; uel quia Domino dixit diabolus. *Hæc omnia tibi dabo.* Num igitur, inquit, **Luc. 8**
te quoque blanda oratione compellabit? num tecum feriet fœ- **Matt.**
dus, ut non amplius tecum armis decertet? **4.**

Capies autem eum ſeruum ſempiternum?

OLYMP. Aut uoluntate ſua quis ſeruus efficitur, ut is, qui Deo ſeruire ſua ſponte uult; aut etiam neceſsitate, ut is, qui comprehenditur, atque uincitur; quod genus ſeruitutis ſuſtinet diabolus.

[1] *Illudes autem ei ſicut aui? vel ligabis eum, ſicut paſſerem puero?*

> 1 Pinelli Cat. & impreſsi ludes autẽ in eo ſicut in aue ſic Vat. Symmachus nũ illudes.

OLYMP. Vinxit hoſtem Dominus noſter, eumq. uinclis constrictum iis, qui conuerſi ſunt, & effecti ſicut paruuli, uti paſſerem quempiam illudendum obiecit. ORIGEN. Magni & corroborati animi perfectionem declarat: quandoquidem ei perinde Draco traditus eſt, ut paſſer puerulo, a quo paruulus lædi non poſſit. Paſſer autem, quo pueri uoluntas tulerit, circumfertur. Nimirum hoc pacto Domini benignitate, ac munere uinctus Satanas,

tanas, infantibus, & lactentibus, (e quorum ore laudem perfeciſti, Deus,) ſubiectus eſt.

Paſcuntur autem eo gentes, diuidunt autem ipſum Phœnicum gentes.

Aquila autem, Dimidiabunt illum inter Chananæos. ORIG. Quemadmodum fidelium cibus eſt Dominus, ſic cibus impiorum eſt Draco: *dediſti enim eum eſcam populis Aethiopum*, id eſt, filijs tenebrarum, quorum mentes occupauit inſcitia. Quemcumque enim ipſi ſermonem complectimur, aut eum tamquam cibum ſumimus a Dracone traditum; ſi futiles, uanasq. aures admouerimus; aut accipimus a CHRISTO; ſi ædificantem, iuuantemq. ſermonem amplexi fuerimus. Iam [a] uero ipſa Phœnice, Chananæa prius eſt appellata: ſiquidem Syrophœniſſam illam Chananæam Euangelia uocant: Chananæi autem Idolis cultum adhibebant. Dicit igitur ab idolatris Draconem diuidi, ab ijs, inquam qui cruore polluuntur aris impoſito; quorum alij aliud nefarium ſcelus admittunt; ac ſinguli Draconis partem ſibi ſumunt. Hæc idcirco dicta ſunt, quia Chananæi, atque Phœnices flagitioſa flagrant infamia. Quòd ſi de Dracone, qui ſenſibus eſt obiectus, ſermo habeatur, eius uidelicet magnitudo, & uis ſit hoc loco perſpicua: illudq. ſimul cognoſcitur, uinciri eũ, tradiq. puero ut in eum tãquã in paſſerẽ illudat, minime poſſe. CHRYS. adeo immani magnitudine illius eſt corpus, ut uni toti nationi ſatis eſſe poſsit. Nec uero hæc eo dicuntur, quo futura ſint aliquando. Phœnicum etiam mentio propter mercaturam, nundinationemq. facta eſt.

Pſ. 63 (margin)

a Eadem mulier a Matt. c. 15. Chananæa a Mar. c. 7. Syrophœniſſa nuncupatur.

Omne autem nauigabile conueniens non ferat corium unum caudæ eius: & in nauigijs piſcatorum caput eius.

OLYMP. Aut ſcrotum ualet, quod hic poſitum eſt, *Corium*, aut uero ſquamam, ut hæc tamquam in Draconem dicta conueniant. Ergo hoc dicit. Si cuncti una conueniant homines, qui uitam hanc, quæ mare dicitur, nauigant, nec leuem quidem infirmarum, poſtremarumq. Poteſtatum iniuriam per ſeipſos eſſe prohibituros. Sed tamen Dominus confregit caput Draconis. ORIGEN. Vt autem dicamus apertius. Homines, qui corporibus, uti nauigijs utuntur, ima, extremaq. Draconis perimere per ſe ipſi non poſſunt; diuina tamen ui, ac poteſtate circumſepti, & illum totum exportare, & necare poſſumus. Hac enim ratione unuſquiſque quantum in ipſo eſt, necem adfert diabolo. Nam huc illud

etiam adoritur. Vel etiam &c. ſecundam interpretationem habes in noſtra.

Diuidunt eum Phœnicum populi.

ORIGENIS. Quoniam Chananæi, qui Phœnices ijdem ſunt, nequitia ſunt inſigni pręditi, idcirco dixit. *Diuidunt eum Phœnicum populi*: nam quoad Chananæorum, Phœnicumq. natio ſuperſtes erit, particulam aliquam ſemper de Dracone eorum unuſquiſque ſumet.

C *Impones a tem ei manus? recordatus bellum factum in corpore eius, & non amplius fiat?*

THEOD. Ecce principatus eius mentitus eſt. Symmachus uero, & Deus eius ſpeciem deijciet. OLYMP. Potes, inquit, eum per te ipſe colligare? aut etiam recordando, cogitandoue conſequi quantum futurum ſit bellum, quod in eius corpore fiet? Corpus uero illius Dæmones dicit, quorum caput eſt ipſe Diabolus: ob crucis autem trophæum bellum hoc contra Diabolum feliciter geſtum eſt, atque confectum. Illud autem, non amplius fiat: ideo dictum eſt; quia ſemel cruci CHRISTVS ſuffixus fuit. *Qui enim mortuus eſt*, inquit, *peccato mortuus eſt ſemel.* Rom. 6.

CAPVT XLI.

Non vidiſti eum? nec in ijs, quæ dicta ſunt, es admiratus? Non timuiſti, qui præparatus eſt mihi? Quis enim eſt, qui mihi reſiſtat? aut quis reſiſtet mihi, & ſuſtinebit?

HVIVS loci planiorem interpretationem inſtituentes, tale quidpiam a Domino Iobo ſuggeri affirmamus. An tu acie contra Satanam inſtructa, manum tuã dextrã illi inijcies? præſertim cũ pugnarum memoriam repetieris, quæ cum eo ſunt a uiris iuſtis pugnatæ? utrum belluæ necuides, nec attendis ferocitatem? An non te ſtupore percellunt ea, quæ de huiuſmodi bellua dicta ſunt? illa, inquam, Vt cypreſſus ſublata cauda? impliciti nerui? coſtæ ęneæ? dorſum ferro ualentius? cuiuſuis generis arbores umbra corporis ſui opacatę? fluuius totus abſorptus? cuncta nauigia, & quæ nauigationi ſunt apta, haud eſſe idonea, quæ minimam ab eo partem poſsint auferre? Hæc omnia

nia

nia cum audis, non horres? nec beſtiam expugnari non poſſe intelligis? Quamquam haud erit poſt hęc hæc ipſa fera formidoloſa; neque eiuſmodi, quæ ſuperari non poſsit. Nam eius uinciendæ mea eſt omnis poteſtas: nullus eſt enim, qui mihi queat obſiſtere: nullus, qui meam poſsit iram ſuſtinere.

Si omnis, quæ ſub cælo eſt, mea eſt; non tacebo propter ipſum.

Olymp. Quandoquidem rerum omnium opifex ſum, & Dominus; eum, qui regionem, quæ cœlo ſubiecta eſt, populatus eſt uniuerſam, non feram amplius: ſed eum perſequar, atque ulciſcar. Atque horum uerborum a nobis explicatam ſententiam cæterorum interpretum conſentiens explanatio confirmat. Nam pro illo, *Ne fiat amplius*, Theodotio, Principatus eius mentitus eſt, reddidit; Symmachus uero pro illo, *Non vidiſti eum?* Deus ſpeciem eius deſtruet, interpretatus eſt. Ex quo planum fit principatum, ac dominationem diaboli, quam is per tyrannidem occupauit, fore mendacem, & inanem, ac Christi uirtute fore delendam; fore etiam, ut illius ſplendor adulterinus defluat, & occidat. Amittet enim, quos habebat, captiuos, plane nudatus. Nec enim illum, inquit, feram amplius; neque ceteris, cum eum ſuſcitaro, miſericordiæ claudam uiſcera: quam ipſam ſententiam reliqui expreſſerunt.

* δυνάμεως.

*Et verbo * virtutis miſerabitur æqualem ſibi.*

Et quid, inquit, mirum eſt, ſi pretioſiſsimum, & maxime proprium, atque meum peculium hominem, diaboli dominatione oppreſſum, haud ipſe deſpexero? quando nec æqualem ſuum homo contemnit; ſed, quoad eius facere poteſt, illi ipſi opitulatur? ſed nimirum eiuſdem loci hæc a quibuſdam alijs adfertur interpretatio. Eiuſmodi, inquit, de diabolo ſupplicium ſumam, cum meæ potentiæ uerbo fuero uſus; ut is, qui cum eo exæquabitur, Antichriſtus, miſerandus uideatur; quippe fit pari ſupplicio conſtringendus. Mihi uero hæc ipſa uerba, ad proxime ſuperiora attexenti hanc nulla ui extortam habere uidentur conſecutionem; præſertim ſi ad hunc modum hæc omnis connectatur oratio. Numquid manum impones ei? aut belli, quod cum eo geſtum eſt, recordabere? Verum enim adeſto animo, poneq. metum: cum hæc de illo audis dici mentem erige; ac te fiducia ſuſtenta. Neque enim id eueniet amplius. Ipſa enim bellua eſt mihi ad necem propoſita;

ta; nec eius cauſſa ego qui ſum terrarũ omnium Dominus, tacebo. Quis autem mihi reſiſtet? Quis ſuorum æqualium dæmonum miſericordiam tribuet illi? non eam miſericordiam loquor, quæ nuda eſt, atque operis expers; ſed illam, quæ eſt poteſtatis uerbo corroborata. Nec enim eorum eſt quiſquam, qui huius miſericordiæ & potentię uerbo, aut Satanæ ferre ſuppetias, aut Domino queat obſiſtere. Quamobrem aut hoc dicit; aut uero illud, neminem hominem ceteris eiuſdem naturæ conſortibus miſericordiam impertiri potuiſſe, niſi ſolum Christvm, Deum hominem. Non enim Angelus, non homo, ſed ipſe Dominus ſalutem nobis dedit.

Quis reuelabit faciem indumenti eius?

Olymp. Ideſt, nemo, me uno excepto. Faciem autem indumenti dicit diuerſas, quas uiciſsim perſonas, quaſi hiſtrio ſuſcipit.
2.Cor. c.11. Quis enim naturam, fingendo imitatur, cum lupus exiſtat; *nec non in Angelum lucis transfiguratur*, cum ſit tenebræ. Nili. Tanta eum, qui magiſter & doctor eſt, ſcientia præſtare oportet, ut occultas luctandi rationes, quibus aduerſarius utitur, ijs, qui in ipſius fide ſunt, ac tutela, poſsit oſtendere; atque etiam ut eiuſdem aduerſarij prædicat inſidias; quo ſine labore diſciplinæ ſuæ alumnis uictoriam comparet; atque e certamine corona ornatos ſuos deducat: ſcilicet rarus ſit hic doctor; nec facile reperiatur.
2.Cor. c.2. Hoc demum magnus de ſeipſo his uerbis teſtatur Paulus, *Non enim ipſius cogitationes ignoramus*. Et hic quidem ſcriptum eſt, *Quis reuelabit faciem indumenti eius?* Quibus uerbis eiuſmodi eſt expreſſa ſententia. Non ea, inquit, quæ apparet, illius eſt perſona: Etenim multiplici amictu ſuam tegit improbitatem: quandoquidem ea, quæ eſt in conſpectu perſona, captioſe alliciat; illa uero, quæ eſt in operto, interitum, exitiumq. inſidioſe machinetur. Origen. Quamobrem non dixit, Quis reuelabit faciem eius? ſed addidit, *Indumenti?* Quid hoc loco uox ſonat, *Indumenti?* Vt id, quod dicitur, planius percipi poſsit, a laruis & perſonis, quæ imponi ſolent hominibus, exemplum petemus. Sumunt igitur ij, qui in ſcenis uerſantur hiſtriones, perſonas nonnunquam Præfectorum, interdum Regum, aliquando etiam mulierum. Et quidem, quę illorum eſt propria perſona, latet, & quod ſunt, id non uidentur: exiſtimantium enim iudicium fallunt. Talis eſt Draco; numquam perſonam ſuam palam oſtendit; uerum eiuſmodi perſonam gerit, qua fallere queat homines.

Et

Et hic quidem hoſtis uarias tuetur, ſuſtinetq. perſonas, & ad ſingula uitia aptas ſingulas. Ergo quis demonſtrare, quis retegere, quis in lucem, adſpectumq. proferre poſsit intus latitantem Draconem? SEVERI. Ad cuius impudens uarium, tectumq. declarandum ingenium, atque ad uariam earum, quas extrinſecus aſſumit, perſonarum cõmutationem ſignificandam, corporatam quandam diuinus ſermo, expreſsit effigiem; cum dixit, *Quis reuelabit faciem indumenti eius?* Et quoniam huiuſce belluę, quæ extrinſecus apparet, uarietas, ueluti ex imo occultę improbitatis eius loco exiſtit; ideo ad ea, quæ dixit, hæc item adiungit.

1 Rugam Ambr.

[1] *Implicaturam autem pectoris eius, quis ingrediatur?*

* φολίδος. Squamæ, corticis, pellis.

OLYMP. Symmachus autem, In duplicationem * ſquamæ eius quis ſubingrediatur? Multiplex, inquit, eſt illi pectus, & inuolutum. Nihil habet aperti, ſed clauſa occultaq. omnia. Quis ergo in cordis eius conſilia intret? ſunt enim abdita. Quamquam CHRISTI qui cupidi ſunt, dicunt, *Non enim eius conſilia ignoramus*. 2.Cor. c.2. ORIGEN. In thorace, ac pectore eſt animi principatus. Verum haud nudum, & ſimplex eius eſt pectus; ſed multiplex, ac fraudis plenum: ſed eiuſmodi, ut in illud inferre oculos Sancti, & penitus introſpicere poſsint. Quamuis enim ſit illud ipſum complicatum, homini tamen Sancto haud eſt inuolutum.

Portas faciei eius quis aperiet?

SEVERI. Oris impudenter mentientium haud unum eſt, ſed multa ſunt oſtia; & e ianua quidem una promere uidentur ſermonem; ſed tamen multas intus continent clauſas: Vt, cum abditarum cogitationum improbum artificium ſuaſerint, quam maluerint, pro arbitrio referent; idq. ut ad perniciem, atque interitum quempiam aucupentur. OLYMP. Quis igitur, inquit, conſiliorum eius receſſus, ac latebras peragrabit? facietq. illuſtres? Sunt enim faciei eius aditus intercluſi; ut illius conſilia cerni plane non poſſint. Cum enim ueterator ſit, ſpecie quoque boni oblata, lædere ſolet. Ita Iudam intemperanter pœnitentia uſum, in aliam quamdam uoraginem præcipitem egit: eum a crimine proditionis ad ſeipſum ſtrangulandum eumdem adduxit. Ergo ea occulit, quæ in animo habet. Quis igitur talis uir fuerit, ut ipſa illa queat in lucẽ, adſpectumq. proferre? palamq. oſtendere, quantam is fraudem, quantum uirus, quantum ſcelus conceptum contineat? Quis, inquam, pateſecerit? plane, præter me unum, nemo.

In

In circuitu dentium eius timor.

Olymp. Theodotio, Circa dentes: de quibus ſcriptum eſt il-
Pſ. 3. lud, *Dentes peccatorum contriuiſti:* & illud, *Dominus conteret mo-*
Pſ. 57. *las leonum*. Nequaquam talis eſt Dei timor. *Et timor*, inquit, *in circuitu dentium eius*. Verumenim, ſi Christvm in te ipſo habueris, nulla te cura huius terror anget: Dominum enim tuum timebis; & extra illum, neminem præterea metues. Olymp Dentes Draconis uerba ſunt facinoroſa, falſi prophetæ, mendaces doctores, qui toto ore mordent. Eſt ijs etiam horribilis, qui haud ſciunt, quidquam per minas, & metum ſine Dei permiſſu fieri ab illo non poſſe.

Viſcera eius ſcuta ænea.

Olymp. Aquila autem, Corpus eius ſuperfuſio clypeorum: Symmachus uero, Superbit procedés in clypeis. *Viſcera eius*, hoc eſt, conſilia eius ueneno imbuta ſunt; nec mollia ſunt, & quæ flecti poſſunt; ſed obſtinata, præfracta, ac dura. [a] Dogmata, ſenſa, & quæ ſunt abdita, clypeorum iacula ſunt. Nempe eius cuncta præcordia clypei ſunt, non molles, ſed duri. Athanas. Olim quidem Diabolus acer, ac uehemens extitit aduerſarius, multa contra homines aſtute & ſcelerate agens: ac multos ſuis falſis uiſis implicabat errore; neque cognitio, & animaduerſio facilis erat erroris. Vt iam de eo Spiritus Sanctus dixerit, *Quis reuelabit faciem indumenti eius?* & quæ ſequuntur. Neque enim, quod erat, hoc item apparebat; uerum ad illud ipſum, quod callide, ac nefarie machinabatur, nullo ſe negotio fingebat; & mendacibus ſpectris accommodabat. Verumtamen, ubi Saluator aduenit, tum demum omnis eſt eius falſa uiſio, ac ſpecies patefacta. Quæ enim illius facinora fuerunt, antea ignorata, nunc (quod ipſum Christo acceptū eſt referendum) minime ſunt obſcura: & in quibus rebus quondam fallebat homines, in ijſdem nunc ipſemet proculcatur. Quouis enim diabolico impetu, quouis dæmonum furore eſt fides ualentior. Nili. Ac, ne ſe ipſe, dum hæc ait, in eorum ſe numerum adſcriberet, qui Draconem ignorant, certa exponit ſigna, ac notas, quibus uniuerſam ſe Draconis portentoſam conformationem teneretestatur. Nam, inquit, interiora eius clipei ærei.

[a] *Dogmata &c. ſumpſit Olymp. ab Origene: liquet ex Cat. Pin.*

Nexus autem eius, ſicut ſmerites lapis, unus cum alio conglutinatus eſt.

Olymp. Ita eſt eius corpus connexum, & coagmentatum: ut

una pars ſit apta ex altera; cuiuſmodi ſmeritæ lapidis fertur eſſe natura, *Vnus enim cum altero cohæret*. Dicitur hic lapis ſolidiſsimus eſſe; ut ad adamantem proxime accedat: & ferrum ad ſe rapere, & ſumma aſperitate, atque aculeata duritie; ut etiam ad inſculpendum in uitro adhibeatur. Nequitiæ quoque diabolicæ idoneæ ſunt, quæ duros, etiam atque rigidos ad ſeſe alliciant; quæ ipſæ hactenus, ut nequitiæ ſunt, inter ſe cohærent; quamuis ratione quadam contrariæ uideantur. Ex his diaboli pertinacia, ac dura barbaries demonſtrata eſt.

Spiritus non pertranſijt ipſum.

Ideſt, nec una quidem anima eum uitet, eiuſq. effugiat improbitatem; cunctis ſtruit inſidias: nec ullum eum ſpiraculum latet. * Nã & infantes a parentibus traditũ trahunt peccatum. ORIG. Illud uero, *Non pertranſit*, non ideo dictum eſt, quod non tranſeat, atque prætererat; ſed quia nihil eum prǣterit; per eum tranſire uniuerſos eſt neceſſe. Danda igitur nobis eſt opera; ut non in eius poteſtatem ueniamus.

* Viden' peccatum originis? ac natiuum cõmiſſum quemadmodum permanat ad unũquemque?

Vir fratri ſuo agglutinabitur: coniungantur, & non auellantur.

OLYMP. Si uehementer nonnulli, inquit, conſpirarint, atque conſenſerint, ut pœne nullum inter eos diſsidium poſsit exiſtere; tamen hos ipſos adoritur. Ac uide, ne forte de flagitijs & de flagitiorum auctoribus Dæmonibus id dicat. Nam, ſicut homines naturæ ſimilitudine & cognatione inter ſe ipſi ſociãtur, atque conglutinantur; ſic etiam Dæmones ſocietate iunguntur, tametſi actionibus, & facinoribus contrarijs operam nauant. Etenim hic fortaſſe ad meretriciam libidinem & fœditatem; ille uero ad ſuperbiam impellat: unus eſt enim ijs omnibus finis propoſitus, hominis exitium, atque pernicies.

In ſternutatione eius elucet ſplendor.

CHRYS. & OLYMP. Poſtquam, inquit, ſternuit, lumen efficitur. [a] Sternutamentum autem bonæ habitudinis eſt ſignum. Malis ergo delectatur, atque inter eos ſplendeſcit. Sternutamentum purgandi cerebri uim obtinet. Quoniam igitur is *transfigurat ſe in angelum lucis*, ſimulat ſe poſſe purgare. Statim ergo græci, & præſtigiatores quaſdam ſibi parant luſtrationes, & rationem quandam lucis ſimulant: uerum ſordibus pleni ſunt, ac referti. Mihi uero ſplendor ille ignis, qui in ſternutamento micat, hoc ſignificare ui- 2. Cor. c. 11.

a De bonis, & cõmodis ſternutamenti vide Galenum in 35. aphoriſmum libri.5. Quid ſit, cur, & qua ratione fiat vide apud Ariſtot. in 10. ſect. problem: problemate 53. & in tota ſectione 33. Hippocrates lib.5. aphoriſmo 35. ad hunc modum definit.

πταρμὸς γίνεται ἐκ τῆς κεφαλῆς, διαθερμαινομένου τοῦ ἐγκεφάλου, ἢ διυγραινομένου τοῦ ἐν τῇ κεφαλῇ κενοῦ. ὑπερχεῖται γὰρ ὁ ἀὴρ ὁ ἐνεὼν ἔξω: ψοφεῖ δὲ ὅτι διὰ στενοῦ ἡ διέξοδος αὐτῷ ἐστί.

re uidetur: belluam illam eſſe horrificam; quippe adeo eſt agreſtis, adeo ualida, adeo nil reformidans.

Oculi autem eius ſpecies Luciferi.

Olymp. Verum id opinionis errore, atque mendacio, neque enim ueram lucem eius oculi habent, ſed Draconis ſunt oculi. Vt ij, qui inſignem ſibi uendicant eruditionem, atque ſcientiam, & hæreſibus corrupti ſunt; qui nec Luciferi ſunt; nec diei lumen habent; ſed Luciferi uanam dumtaxat ſpeciem præſeferunt; ſcilicet ut eo artificio ſimulationis decipiant. Origen. Oculi quidem eius Luciferi non ſunt, ſed *Luciferi ſpecies*. Transformatur enim in angelum lucis; in ſimulatam cęleſtis ſideris formam ſeſe induit; atque diei notam, inſigneq. ementitur. Nili. Hæc dicit, ut nefarium eius ſimulandi artificium ante oculos ponat. Etenim, dum Luciferi formam ſuſcipit, intuētium ad ſe oculos conatur allicere: interioribus autem illis clypeis, ijs, qui propius acceſſerint, interitum machinatur.

De ore eius egrediuntur [1] *lampades accenſæ, & proijciuntur carbones ignis.*

Olymp. Ideſt, conuicia, atque ſermones impiorum, atque eorum, qui athei ſunt, doctorum. Ad eorum ſceleris amplificationē ſermonem geminauit. Origen. Equidem exiſtimo omnes impios ſacrilegorum dogmatum interpretes os eſſe Draconis; ut aliquam etiam ex his tectam metaphora ſententiam eruamus. Necnon huc ij ſpectant ſermones, qui interimunt. Quocirca, ſi quando ſermonem auribus acceperis, Chriſtianæ pietatis ſpecie tectum, ſed Opifici calumniam inferentem, uerbi cauſſa Marcionis, Valentini, Baſilidis ſententias impias, ac nefarias iactantem; ſiquando ab his cœli, terrarumq. parentem maledictis, & conuicijs uerberari animaduerteris; ſi quando eiuſmodi quidpiam uideris: ſane tunc etiam cernes ex ore horum carbones, torresq. foras erumpere. Quo maior etiam nobis cautio adhibenda erit; ne illæ nos quoque faces amburant; ne forte illæ nos candentes craticulæ, titione ſuę attingant.

1 ἐσχάραι Carbones ab igne relicti, craticulę, conceptacula ignis. Ambr. craticulæ ignis.

De naribus eius egreditur fumus fornacis [2] *accenſæ igni carborum.*

Olymp. Lędit oculos fumus: peccatum autem atque mendacium intelligentes animi oculos obcæcat. Et quoniam eius Draconis, quē animo dumtaxat cernere poſſumus, uiſcera fornax ſunt; impura cū

2 Accenſæ igni carbonum Euagrij. e qua egrediuntur ſagittæ ignitæ uel iacula ignita ex Catena Pinelli.

neceſſe eſt uti reſpiratione a: Illud item ſcito, nares eius eſſe hæreticos. Quamobrem uidendum id nobis eſt; nequid a Dracone efflatū ipſi hauriamus; ut ne nobis ipſi ignem admoueamus, ſpiritum ducamus, non fumum, quo facile, intercluſa anima, ſuffocaremur.

Anima eius carbones, flamma autem de ore eius egreditur.

OLYMP. Videtur animam eius dicere arrogantiam intolerandā. Glorioſa enim, contumelioſaq. uerba, quæ illius ore egrediuntur, nil aliud ſunt, niſi quædam flammæ; quibus illi ipſi, qui uſurpant, exuruntur.

* ἀυλίζεται.

*In collo eius * diuerſatur fortitudo.*

OLYMP. *Collo*, ideſt, mentis elatione. *Diuerſatur*, autem, quia nunquam quieſcit, ſemper ſuperba meditatur. Et quæ erecto collo progrediuntur, ut inquit, Iſaias, collum eius ſunt, uim tantum ad fallendum habentes. a Ad hæc eſt poteſtas, & fortitudo quædam improba. Sed tamen infirmitas, quam mea cauſſa Saluator meus & Dominus ſuſcepit, quæ Dei infirmitas dicitur, illius uim potentiamq. debellauit. *Quod enim infirmum eſt Dei*, inquit Apoſtolus, *fortius eſt hominibus*; ego uero dixerim, Draconis poteſtate fortius.

Iſa. c. 3. *1. Corin. 1.*

a *Ad hæc &c. ſumpſit ab Origene: conſtat ex Cat. Pinelli.*

Ante eum currit Perditio.

OLYMP. Primum quidem labes animi quis concipit, ideſt, voluptates, atque uitia; quæ quidem eum præcurrunt; deinde domum inuitat, accipitq. Diabolum. ORIGEN. Quaſi enim quidam eius eſt prodromus, & ſatelles ipſa Perditio. Quocumque enim is iter conuerterit, præcurrit illum Perditio: deinde ſeſe ille inſinuat. Ac, niſi quis prius Perditionem exceperit, Draconem minime excipit. Quādo enim prolapſus quis fuerit, tunc ubi uoluptate aures titillatę fuerint, ubi perijt, magiſtros quærit; Draconem inuenit; atque illum tantis malis oneratum ſua complectitur anima.

Carnes autem corporis eius conglutinatæ ſunt.

OLYMP. Illius corpus ſunt peccatores, & qui peccati architecti ſunt, Dæmones; ſicut & Eccleſia corpus eſt Domini. Nec uero dixit, * Vnitæ ſunt; uerum, *Conglutinatæ ſunt*.* Nec enim quid unum eſt penes Diabolum. Neque enim eorum, qui dogmatum impiorum ſunt principes, congruentes ſunt uoces, coniunctæue ſententiæ; licet ſimilia dicere uideantur; nempe affectuum, & perturbationum glutine copulātur. Eius Eccleſia haudquaquam eſt una: ſecum enim

Ephe. c. 1.

* ἥνωνται:
* κεκόλληνται.

ipſa pugnat. Quippe tale eſt uitium, quod non ſolum uirtuti, ſed ſibi quoque eſt ipſum contrarium.

Effundit ſuper eum; non commouebitur.

Olymp. Symmachus, Carnes eius circumfuſæ ſunt, ipſi immobiles. Cuius interpretatio hanc ſententiam indicat, eſſe illi carnes ex omni parte offuſas; nec uim eius flecti poſſe ad bonum, quæ plane inexorabilis ſit, atque immutabilis. Septuaginta uero hoc docent. Quacumque utatur aliquis infuſione; quocunque utatur obſequio; quodcumque ei tandem adhibeat, fore tamen, ut nihil is ſentiat; curationem nullam admittat. Itaq. ut eum & obfirmaſſe animum, & obdutuiſſe ad improbitatem oſtendat, ſubiungit;

Cor eius concretum eſt, ſicut lapis: ſtetit autem ſicut incus indomita.

Cyrilli: Duræ atque implacabiles admodum ſunt, quæ a Deo ad Satanam Poteſtates defecere. Sero etiam quodammodo opus aggrediuntur; & uix quidem diuinæ iræ moderationi obſequuntur. Satan uero ea feritate eſt, cui haud par ſit oratio ulla; necnon ſumma eſt animi obſtinatione, atque ſententiæ. Severi. His peruicax nequitia Dæmonis, quæ flecti non poteſt, & impudentiæ, quæ ex improbitate oritur, uis quaſi certis quibuſdam coloribus deſcribitur. Olymp. Inſtar lapidis, inquit, concretum eſt cor eius, atque compactum; nec molliri poteſt; non rationi morigeratur; non flectitur; ſed plane obfirmatus eſt, & pertinax; non ducitur; non impellitur; non rationem ſequitur; durus, atque inexorabilis. Et tamen, ſi quis a Diabolo uim, poteſtatemue acceperit, hic quoque cor habeat implacabile, atque indomitum; quod dictum impellentis minime ſequatur. Verum, ſi quis imitans aurum, auream orationem, rationemq. ſequatur, hic demum cedit, & obſecundat; quoad aurea euadat bractea; diuinarumq. litterarum notas ſuſcipiat.

a Interpretatio hæc eſt Origenis in Catena Pinelli; quam in ſuum Commentarium tranſtuliſſe Olympiodorum credibile eſt.

Cum autem ille conuerſus fuerit, terror beſtijs quadrupedibus ſuper terram ſaltantibus.

Olymp. Symmachus autem: A motione eius uerebuntur fortes. Cum is, inquit, uel in eos etiam, qui ſibi parent, quorum ſunt mores efferati; qui more quadrupedum deſipiunt; qui terrena ſapiunt, conuerſus fuerit; ab eo perterrefacti, ſaltant, & contremiſcunt. Accidit enim ſæpenumero; ut nec ſuis parcat Diabolus: ſed illos ipſos pulſet; &, quia genus odit hominum uniuerſum, affligat ærumnis;

Si obuiauerint ei lanceæ, nihil [1] *faciant haſtam ſublatam, & thoracem.*

Hoc magis enucleate expreſsit Symmachus; Cum apprehenderit eum gladius, nõ ſubſiſtet, neque lanceæ ſublatio, & thoracis: ex quibus belluæ peruicacia, duritasq. oſtenditur. Illudq. ſimul indicauit, omnibus, quas illi ſancti adhibent, ſpiritualibus, hoſtilibusq. machinis, nil commoueri ſenſu, ſed eumdem manere.

Reputauit quidem ferrum paleas; æs autem, ſicut lignum putridum.

Spiritualia, inquit, arma imbecilla ad ſuum interitum exiſtimat eſſe. Vt paleas, putridumue lignum, quæ luculentam plagam infligere nequeant, illa ipſa ducit.

Non vulnerabit eum arcus æneus.

Evagrii. * Plane nihil Satanam ſauciat. Temperantia autem & caritas eum interficit.

[2] *Petrobolum reputauit fœnum; ſicut ſtipula reputati ſunt mallei.*

Olymp. Petrobulum funda eſt: quamobrem ceteri pro petrobolo, lapides fundæ, dixerunt. Mallei uero, hoc eſt, plagarum ictus quaſi inanes, ac leues pro nihilo ab eo putantur.

Deridet autem [2] *iactationem vibrantem.*

Evagrii. Alius uero, Vibrantẽ clypeum. Sane uita Deo cara, & quæ ſpiritu ſerueat; uibrans, & ignifera fuerit. Hoc igitur dicit. Si quis, eiuſmodi uiuendi ratione, quæ ſanctum hominem deceat, illum commouerit, nihilominus contemnat: licet uibrantis ſcuti iactatione perturbare quis eum adoriatur; huic etiam illudat.

Lectus eius, ſicut obeliſci acuti.

Theodotio autem, Sicut ferrea inſtrumenta artificis. In luctuoſis namq. rebus & aſperis quietem capit. Ac, ſi de animante dici hæc uolumus, duro & aſpero corpore illud eſſe, ut in obeliſcis etiam dormire, & nihil ex ea re lædi, vulnerisue accipere poſsit, diuini teſtimonij auctoritate intelligimus.

Omne aurum maris ſuper eum, ſicut lutum indicibile Maris.

Evagrii. Maris pro mundo poſitũ eſt. Ac licet Dominus dicat, *Meum eſt argentum, & meum eſt aurum*; nihilominus hic mentitur, Agg. c. 2.

ac ſua

* Faciant ποιήσωσι ſic in Catena Card. Caraffę, ſic in Catena Pinelli, ſic in Vaticanis Biblijs, ſed in impreſsis πτοήσωσι idest terreant.

* οὐδὲν μὲν τιτρώσκει τὸν σατανᾶν: Ἐγκράτεια δὲ, καὶ ἀγάπη ἀναιρεῖ αὐτόν.

Eſt proprie machina bellica ad lapides excutiendos: ſed Olymp. ſumit pro funda.

2 Ambr. concuſſionem igniferã.

ac ſua illa eſſe confirmat. Ita Saluatori, quaſi totius orbis terræ auro
Mat. onuſtus, dixit, *Hæc omnia tibi dabo*. Et quidem animal, quaſi lutum
3. aurum ducit, quia eius minime indiget.

Feruere facit abyſſum, ſicut ferrarij officinam.

Evagrii. Aquila autem, Feruore concitabit: ſiquidem animus illius ignis eſt, æſtu omnem uitam commouens, atque perturbans. * καχλάσει.

Reputauit autem mare ſicut vas¹ vnctuarium. ¹ Amb. ſpongiã

ἐξάλειπτρον.

Aquila autem; uas unguentarium μυρεψητήριον: Symmachus uero; condimentum ebulliens. ἀναζεματομένην ἄρτυσιν eſt interpretatus.

Tartarum autem Abyßi ſicut captiuum reputauit: Abyſſum ſicut ambulationem.

Evagrii. Inſolenter ſe iactans hæc omnia putauit ſe poſſe, &
maria delere, & Tartari imperium tenere. Idquod per eius perſo-
Iſaias nam Iſaias his uerbis ſignificauit, *Orbem terrarum vniuerſum manu*
10. *ex comprehendam, ſicut nidum*. Sed nimirum ex omnibus eſt locis
edit. eiectus; quæ ſtultus ſe occupaturum putauit. Et e cœlo quidem ab
70. initio, e terra uero atque ex Inferno per ipſam Domini incarnatio-
nẽ. Itaque præter tenebras, quæ illi paratæ ſunt, nullus eſt ipſi locus
præterea relictus. Exalipteron autem unguenti eſt trulla: ut huius uitæ perturbationes, atque acerbitates uoluptati, ac iucunditati illi eſſe oſtendat. Vel etiam unguentarium uas pro re quapiam uili poſitum eſt.

Nihil eſt ſuper terram ſimile ei.

Symmachus autem, Non eſt ſuper terram poteſtas eius.

Factus, vt illudatur ab angelis meis.

Olymp. Recte dixit, *Super terram*; quandoquidem de cœli fornicibus deiectus eſt. *Simile* uero intelligitur tum poteſtate, tum nequitia. Ei tamen tantum, inquit, ac tale monſtrum ab angelis meis atque ab ijs, quorum par angelis eſt condicio, ac uirtus, illuditur. At Symmachi interpretatio aut hoc docet, nullam in terris poteſtatem exiſtere, quę cum illius conferri poſſit; aut uero poſt Saluatoris aduentum eſſe illum foras eiectum, nec eius ullam eſſe amplius poteſtatem.

Omne excelſum videt.

Olymp. Theodotio autem, Omnem ſuperbum intuebitur.

Totus enim ſuperbia eſt, nihil humile mente pertractat.

Ipſe autem eſt rex omnium commorantium in aquis.

OLYMP. Ideſt, eorum qui mollem, fluxam, ac uoluptariam uitam traducunt. Pro quo Symmachus, Omnis * uirulenti, extulit, Theodotio, Filiorum * ſordidi artificij, & quæſtus. Quare orandus nobis eſt Deus: ut ne peccatum nobis dominetur. Quandoquidem hæc demum cauſſa fuit, cur ad deſcribendam Dæmonis nequitiam & peruicaciam fictas corporum ſimilitudines, atque imagines diuinus ſermo adhiberet. Id enim ſtuduit; ut, metu perculſi, ad illum qui ſeruitutis iugum capto Draconi impoſuit, confugeremus. Et hæc quidem adumbrauimus, ſummatimq. perſtrinximus. Is uero, qui deſcriptum Draconem Cetum eſſe quemdam, qui in ſenſuum iudicium incurrat, aiunt, hac ipſi ratione ſatisfacimus. Si reipſa Cetus aliquis reperiatur eiuſmodi: tamen dubitandum non eſſe, quin ſæpenumero tum diaboli, tum flagitioſorum callidorumq. hominum mores, a belluis ducta ſimilitudine, declaremus. Ac de dæmonibus quidem his uerbis teſtatus eſt Dominus. *Ecce dedi vobis poteſtatem calcandi ſuper ſerpentes, & ſcorpiones*. Herodis autem fraudulentum, & rapax ingenium ſignificare cum uellet, dixit, *Dicite vulpi illi*. Quòd ſi nuſquam bellua huiuſmodi inuenitur; non amplius propter ſimilitudinem ullam, ſed uere, ac proprie de perſona diaboli dicta hæc eſſe intelligemus.

* βρωμώδους.
* βαναυσίας.

Luc. c.10.
Luc. c.13.

CAPVT VIGESIMVMNONVM.

CAPVT XLII.

Suſcipiens autem Iob, ait Domino.

IOBVM antea dicere audiuimus, *Semel loquar; ſecundo autem non adijciam*. Illud igitur dignam quæſtionem habet, quamobrem is ſecundo ſermonem vſurpet, quo ſe haud uſurum eſſe promiſerat. Sed tamen huius ipſius quæſtionis perfacilis eſt, & perexpedita explicatio. Quia enim poſt illam ſilentij pollicitationem Dominum audiuit, cum diceret, *Nequaquam: ſed accinge ſicut vir lumbum tuum*; ſcilicet diuinum iuſſum ſuo promiſſo anteponendum putauit. Præſtat enim diuinis parere mandatis, quàm ſua promiſſa exſoluere. Nec verborum noſtrorum ſunt pondera examinanda, ubi diuina ijs uoluntas fuerit aduerſata. Ita recte feciſſet Herodes, ſi, iureiurandi impietate contem-

pta,

pta, Præcurſoris caput minime abſcidiſſet: & Petrus quidem præclare, qui, cum dixiſſet, *Non meos lauabis pedes*; mutata deinde
Ioan. c. 13. ſententia, dixit, *Non pedes ſolum, verum etiam caput*. Iobus etiam præclare; qui, quòd diuinæ naturæ præſtantiam uerebatur, promiſſo ſilentio, tamen rurſus loquitur, promiſſi ſilentij religione illum Deo liberante.

Scio quia omnia potes, nihil autem eſt tibi impoſſibile. Quis enim eſt cælans te conſilium? parcens autem verbis te putat cælare?

OLYMP. Ceteri autem, Et non auferetur a te cogitatio. Haud ſe nunc primum hæc didiciſſe profitetur. Eius enimuero inuictam eſſe potentiam, in omnium conſilia cum ſeſe penitus inſinuare, nec quemquam eſſe, qui illius cuncta contuentem oculum poſsit effugere, antea ſe habere perceptum. Quis, inquit, parcit uerbis? & mentis arcana, tamquam non euocata cælare ſe poſſe ſe credit?

Quis autem annunciabit mihi, quæ non cognoſcebam? magna & admirabilia, quæ non ſciebam?

OLYMP. Quaſi dicat, Præter te nemo. Tu enim & uexationis mihi meæ cauſſam indicaſti; & Diaboli pertinaciam, inhumanitatemq. docuiſti; necnon ipſe diuino tuo lumine illuſtratus, prouidentiæ tuæ notitiam ſum ampliorem adeptus. Hæc demum erant mihi antea ignorata.

Audi autem me, Domine, ut & ego loquar: interrogabo autem te: tu vero me doce.

OLYMP. Merito hoc loco quærendum uidetur. Quamobrem, cum quæſiturum ſe eſſe receperit, is tamen nec a Deo quidpiam fuerit percontatus; nec ullum ab eo reſponſum abſtulerit; uerum nihil interrogans, nihil audiens, dicendi finem fecerit. Hæc ergo mihi huius loci uidetur eſſe ſententia. Quoniam me, inquit, ea, quæ mihi erant ignota docuiſti, audi me, Domine, ac, ſi quidpiam eorum, quæ me fugiunt, te rogaro, docere me ne grauere; ut & mihi eadem enunciandi poteſtas ſit, atque earum rerum ſim ceteris magiſter, ac doctor. Vel etiam dici poteſt, ea, quæ mox ſequuntur, interrogationis rationem obtinere.

Auditionem auris tuæ audiui antea.

Reliqui, Audiui te.

Nunc

Nunc autem oculus meus vidit te.

CHRYSOST. Non quia oculus uiderit, ſed quia clarius audierit. OLYMP. Tanto de te nunc, inquit, ampliora cognoui, quanto maior eſt oculorum, quàm aurium notitia. Fortaſsis etiam hæc ad Incarnationis myſterium retulerit, quod ipſum cum illi fuiſſet antea obſcurius traditum; nunc demum eius rei ſplendore Sancti Spiritus circumfuſus, abſolutiorem ſit notitiam conſecutus.

1 Sym. condemnaui me ipſum Ambr. pro extabui habet liquefactus ſum.

[1] *Ideo deſpexi meipſum, & extabui, reputaui autem meipſum puluerem & cinerem.*

Idcirco, inquit, me ipſe condemno, quòd ſcire me aliquid ſum arbitratus. Nunc uero, cum perceperim ea, quo ipſe meis uiribus niti non poſſum; condicionis meæ indignitatem, ſordesq. perſpexi. CHRYS. Hæc ſuperiorum omnium dictorum eſt defenſio. Atque hæc eadem cum Iobus loquebatur, nondum eius ęrumna profligata erat. Verum, cum in malis etiam uerſaretur; palinodia eſt uſus. Nihili me, inquit, facio: priora dumtaxat defendo; & his quidem prorſus eram indignus. Quid igitur Deus? nempe tum Iuſtum abſoluit, cum ſeipſe condemnauit. OLYMP. Quænam ſit Sanctorum hominum ratio, cognoſce: quemadmodum, cum maioribus ipſi honoribus, amplioribusq. ornamentis cumulantur, de ſe tamen modeſtius ſentiant, & loquantur. Ita Abrahamus, poſtquam Dominum uidit, dixit, *Ego ſum puluis, & cinis.* Gen. c. 18.

IN CAPVT XLII
EX EDITIONE LATINA, XXX AVTEM EX GRAECA.

Protheoria Olympiodori ex Codice Pinelli.

MAGNOS Deus ijs, a quibus colitur, tribuit honores. Siquidem Eliphazo, eiusq. aſſectatoribus, qui ſupplicio digni videbantur, quòd Iuſtum condemnaſſent, iram Deus remiſit, ſuppliciumq. idcirco condonauit: quia pœnæ conceſsionem Iuſto largiebatur. Quod ſi quis diſcendi ſtudio quærat. Quamobrem Mariam Moyſi obtrectantem Deus lepra percuſſerit, tametſi eius poſtea corpus ſit valetu-

din

dini reſtitutum, vt ea re rurſum ſuum ſamulum honeſtaret: Eliphazo autem, atque ijs, qui illius partes ſequebantur, nulla pœna perſoluta, ignouerit. Huic ipſi dicimus, a Maria quidem pœnam Deum petijſſe, & exegiſſe: quoniam obtrectans Moyſi, ipſi Deo, a quo ille antea tamquam ſacrorum interpres, & Antiſtes honorifice appellatus fuerat, conuicium impium fecit. Amici vero Iobi, quibus Dei eſſent partes ſuſceptæ, apud Iuſtum tantummodo offenderunt. Cum illius ergæ Deum pietatem indignis ſermonibus exagitarunt. Quod ſi quærendo pergas. Cur Aaron nihil mali ſuſtinuerit? Reſpondemus; Sacerdotio a Deo honorem habitum eſſe. Duo igitur quædam hinc ipſi diſcimus: Vnum eſt, minime uacare culpa, qui hominem frugi criminatur: Alterum, ob honorem, quo Deus ſuos afficit, ab eo peccata condonari.

CAPVT TRIGESIMVM.

Factum eſt autem, poſtquàm locutus eſt Dominus omnia verba hæc Iob, dixit Dominus Eliphaz Thæmanitæ; Peccaſti tu, & duo amici tui: non enim locuti eſtis coram me rectum aliquid, quemadmodum ſeruus
A ***meus Iob.***

OLYMPIODORI.

THEODOTIO uero, Excanduit ira mea in te, & in duos amicos tuos: non enim locuti eſtis rectitudinem; ſiue, ut [a] Symmachus; Recte. Diuinæ ſententiæ abſolutam rationem conſidera. Nãque hominum opinione præclare fecerunt amici; qui Dei ſint cauſſæ patrocinati; Iobus contra haud recte; qui de iure cum Deo diſceptare voluerit. Nec his temporibus deſunt aliqui; qui Iobi ſermonibus, perinde ut illius amici, offendantur: præſertim cum in uerborum tantum ſonitu conquieſcant. Verumtamen diuino, incorruptoq. iudicio ſecus eſt uiſum. Atque ideo dixit, *Coram me.* Apud me, inquit iudicem nihil, quod uerum eſſet, iuſte locuti eſtis; cum contra Iuſtum ſuffragia ueſtra ferretis.

a Quod noſtra Catena attribuit Theodotioni Symmacho tradit Caten. Pinelli forſitan eodẽ modo vterque verterunt.

At

At Iobus ſeruus meus ueritatis cupidus, cuncta eſt uere locutus. Neque is peccati ullius pœnas perſoluit: ſed ideo eſt paſſus ærumnam; ut eius innocentia eſſet illuſtris, atque perſpicua. Ecquis igitur cum uerbo accuſarit, quem Deus iudicio ſuo atque ſententia laudarit? Ac uide quemadmodum Iobum ſeruum ſuum appellet, quo ſane nomine Iuſtum ornauit; neque id ſemel, ſed iterum, & ſæpius. Videbatur autem Eliphazus dignitate reliquis anteire: quare & primas ſermonis, qui cum Iobo eſt habitus, partes ſuſcepit: & Deus etiam nunc ad ipſum præcipue orationem conuertit; ſed eam, quæ tribus amicis omnibus apte communicari poſſit. Eſt item illud animaduerſione dignum; quemadmodum benigne Deus, nec ſuorum preces repudians, locutus ſit; quo Iobi uirtus Dei teſtimonio ad omnium oculos, aureſq. manaret. Vera is, inquit, eſt locutus, cũ ſua præclara facinora, honeſtaq. uirtutis officia commemoraret. Vos autem ipſi, cum illum ueſtris ſententijs condemnaſtis, haud uera dixiſtis. Verum, quid eſt, quòd, cum Maria Moyſi obtrectaſſet, lepra infecta eſt? Iobi uero amici nihil mali ſunt paſsi? Nimirum, *Nu.*
quia illa non tantum Moyſem, ſed Deum etiam Moyſis laudato- *c.* 12.
rem uoce uiolauit. Hi uero, cum Dei dignitatem, & laudem extuliſſent, hominem tantummodo in uituperationem adduxerunt. Hinc autem duo quædam diſcimus: unum eſt, iuſtos accuſare, eſſe nefas; alterum, ob honorem, qui iuſtis defertur hominibus, peccata condonari. Idquod ea, quæ ſtatim conſequuntur uerba, non obſcure declarant.

B *Nunc autem ſumite ſeptem uitulos, & ſeptem arietes; & ite ad ſeruum meum Iob; & faciet* * *ſacrificium pro uobis.*

* κάρπωσιν.

OLYMP. Pro, *Sacrificium*, Aquila, & Theodotio, * Holocauſtum; Symmachus, * Oblationem dixit. Numerus ſeptem perfectus, atque honore dignus a diuina ſcriptura habetur. Ergo perfectas uictimas iubetur offerre; ut qui magnopere peccauiſſent. Iubetq. Iobum ſacerdotis munere fungi debere, atque hoſtias immolare. Vſque enim eo, inquit, Iuſtus eſt; ut in aliena etiam cauſſa queat eſſe deprecator. Et quidem ante legem homines per ſe ipſi ſacrificia factitarunt, ut Abel, ut Noë, ut Abrahamus. CHRYS. Si Lex tunc uiguiſſet, nequaquam id Deus imperaſſet. Fit igitur Iobus ſacerdos, amicis uictimam adducẽtibus. Et illud attende; ut is, qui pro ſuis liberis ſacrificiũ facere ſolitus erat, nũc etiã pro amicis faciat. Viden, quemadmodum Deus, dum iniuriarum, quas illi Iobo impoſuerant, obliuio-

* ὁλοκαύτωσιν.
* ἀναφοράν.

obliuionem facit inſignem, ipſos illos hominis uirtutis teſtes efficiat? Victimę autem magnitudine, illorum quoq; peccati magnitudinem demonſtrat. Neque enim tantis erat ijs opus ſacrificijs, niſi etiam crimina, quibus liberandi erant, grauia extitiſsent. Illud etiam docet, haud illa ſatis futura eſſe ſacrificia ad expiationem, niſi Iobi quoque merita acceſsiſsent. Illius, inquit, cauſſa uobis ignoui. Ex quo perſpicuum eſt, propter Iobum ignotum illis fuiſſe.

Iobus autem ſeruus meus orabit pro vobis; quia ſi non accepero faciem eius. Alij autem, Suſcepero.

Si enim non propter eum, perdidiſſem vos. Non enim locuti eſtis verum contra ſeruum meum Iob.

OLYMP. Quantum denium honoris Sanctis Dominus impartitur? Nam & illud capitale eſſe pronunciat, iuſtis detrahere, & honoris, quem ſuis Deus tribuit, cauſſa, necis condonare ſupplicium. Necnon illud attende. Quamuis ij pietatis erga Deum ſtudio ad loquendum adducti eſſe uideantur, eſſe tamen reprehenſos, tamquã nihil ueri dixiſſent; tametſi religione erga Deũ incitati, oratione ſunt uſi: nã profecto ueniã illis Deus nõ tribuiſſet. Quocirca Iobus, eos accuſans, merito eſt de illis ipſis cõqueſtus. Hinc ergo intelligimus, haud leuiter peccare eũ; qui iuſtorũ hominum nomini crimen infert, illoſue accuſat; necnon errati ueniam ab ijs peti debere.

CAPVT TRIGESIMVMPRIMVM

Abijt autem Eliphaz Themanites, & Baldad[1] Sauchites, & Sophar Minæus, & fecerunt quemadmodum cõſtituit ſibi Dominus, & ſoluit peccatũ ipſis propter Iob.

[1] *Symmachus Baldad Soites ex Cat. Pinelli.*

OLYMPIODORI.

SYMMACHVS autem: Et ſuſcepit Deus faciem Iob. Simulatq; Deum cum Iobo colloquentem viderunt, eidem cœperunt inſignia dare uictorię. Diuino enim congreſſu, doctrina, ac teſtimonio dignatum eſſe, prima uidelicet fuit Iobi laurea. Nũc autẽ ornamẽta & pręmia accipit ſecũda uictorię: dũ pro amicis deprecatoris partes amplectitur. Certaminum porro munus, ac trophæũ reportat, cũ amicis veniã impetrat. Etenim dãno ea res Iobo fuiſſet; ſi amici, qui conſolationis adhibendæ cauſſa ad ipſum commearant, pœnas interitu perſoluiſſent. Omnino perinſignis honor, ac dignitas, precibus placatũ Deũ peccata cõcedere;

tum

tum uero maxime, cũ dixerit Iuſtus, *Et ne ſtatuas illis hoc peccatum.* *Act.*

Dominus autem auxit Iob. Cum etiam ille oraſſet 7.
pro amicis ſuis, dimiſit eis peccatum.

Olymp. Is, qui exulceratus erat; qui conflictabatur inopia; qui ſtratus humi iacebat, iniuriarum obliterata memoria, pro ijs, qui integra ſunt ualetudine, pro locupletibus deprecatur. Quare, ſi nos ipſi in his quoque temporibus egentem quempiam hominẽ, ægrotantemq́. uiderimus; eumdẽq. pro ceteris ſupplicãtẽ, atq; eius ſupplicationẽ euentu cõprobatã, diuitẽ Domini gratiã admiremur. Et, ſi forte acciderit; ut nos ijſdẽ malis urgeamur, ne moleſte feramus: fortaſsis enim nos quoque eximia Dei beneficentia complectetur.

Dedit autem Dominus duplicia, quæcunque erant antea Iob in duplicationem.

Chrys. Permiſit hoc Deus Diabolo, ut uires ſuas experiretur uniuerſas, ut cunctas ſagittas exhauriret. Poſtquam autem illas omnes excuſsit, nec ullum inſidiandi locum ſibi reliquum fecit; tunc demũ e cauea Athletã Deus eduxit, quo illius aperta, atque illuſtris uictoria fieret. Basil. Tentationũ duo ſunt genera. Nõnulli enim egeſtate tẽtãtur; alij autẽ exercẽtur diuitijs. Prioris generis exemplũ in Iobo inuicto duce eſt nobis propoſitũ; qui, cũ uim omnẽ Diaboli, quaſi torrẽtis impetũ, magno, erectoq́. animo excepiſſet, tãto eſt illius virtus, & gloria tẽtationibus magis exaggerata, quãto petitiones in eũ, quę uitari uix poſſe uidebãtur, uehemẽtiores cõiecit. Orig. Qui igitur tentationẽ eſt omnẽ perpeſſus, altero tãto maiora ijs, quę ante poſſederat, ſuę uidelicet tolerãtiæ prĕmia adipiſcitur. Nec vero Deus ſuis binis, ſed centenis etiã partibus ampliora prĕmia dilargitur. Chrys. Nec uero duabus partibus poſteriores opes prioribus anteceſsiſſent, niſi Iobus quoque uirtutem duplicatã præſetuliſſet.

IN CAPVT XXXII

INTEGRA PROTHEORIA, E LIBRO PINELLI

græce, manuq́. exarato, ac ſane uetuſto.

HIc opum partem, quæ primæ dupla fuit, diuinæq́. beneficentiæ munera, quæ ad corpus pertinent, recenſet. Etenim priſcis illis temporibus liberum procreatio, diuitiarumq́. amplificatio in parte benedictionis numerabatur:

batur: ſicut ad execrationem res hiſce contrariæ referebantur. Quoniam igitur Iobus, cuius eſt ætas legis tempora antegreſſa, tum e lege, tum ex Euangelio vitam ſuam, moresq́; expreſſit; nimirum & legis benedictiones eſt conſecutus: atque ipſa illa bona, quæ viris Sanctis promiſſa ſunt, reſeruantur. Quæ ſane bona hominum orationem, ac cogitationem facile vincunt. Illa vero, quæ ab ijs verbis: Scriptum eſt autem illum reſurrecturum &c. vſque ad calcem libri pertexuntur, inficiantur nonnulli partẽ eſſe aliquam diuinæ ſcripturæ; verum in codicẽ extrinſecus fuiſſe coniecta. Sed nimirũ ipſi cũ in omnibus græcis exemplaribus eadem illa inueniamus, totum librum perinde conſcriptum amplectimur, vt eum à Patribus, accepimus.

CAPVT TRIGESIMVMSECVNDVM.

Audiuerunt autem omnes fratres eius, & ſorores [a] eius omnia, quæ acciderunt ei, & venerunt ad ipſum.

SCRIPTVRAE diuinæ ſuſcepit conſuetudo; ut cognatos omnes atque propinquos. fratres, ſororesq́. appellet. Illud uero, *Audierunt, quæ Iobo acciderunt*, non ideo dictum eſt, quòd calamitatis eſſent ignari; ſed quia unuſquiſque cum altero de tentatione illa, diuinaq́. uiſitatione colloquebatur: eratq́. cũctis iucũdũ, atq; utile de Iuſto narrare, atq; audire. Fortaſsis etiã propinquorũ inhumanitatem diuinus ſermo perſtringit, qui ſimulatã amicitiæ, propinquitatisq́. ſpeciẽ imitarẽtur; quãdoquidẽ ab eo; cũ premeretur ærũnis, lõgius abſuiſſent; ubi uero eſſet rebus tranquillitas reſtituta, tũc auditione ſuperiora accepiſſent, atq; [b] gratulãdi cauſſa aduolauiſſent. Quẽadmodũ enim illius calamitatẽ tãta eſt derelictio cõſecuta; vt etiã eius uxor, quę Regina erat, mercede cõducta ſeruitutẽ ſeruiret; ita, poſtquã eũ gratia diuina reuiſit, omnia uiguerunt: Ita fit ad eũ propinquorũ cõcurſus. Amici munera deferũt, epulas dant, dantq́. cõuiuia; nec quidquã fuit illi deinceps nõ plenũ ſuauitatis, atque lætitiæ. Illud uero commutati ſtatus erat haud dubiũ argumentum; quòd ei, quem ſic Deus honore affecerat, tamquam Regi homines honorem deferre ſolerẽt; quòd etiã ſuperiora omnia conuerterant illi in bonum, duplicataq́. eſſent uniuerſa.

a Pro amici repoſuimus ſorores ex Codice Ambroſij, ex Cat. Pinelli, ex Vaticanis Biblijs, ex impreſſis atq; adeo ex cõmẽtario græco.

b In exempl. legitur, συνησθησάμενοι. puto legendum, συνησθησόμενοι.

Et omnes, quicumque cognouerunt eum a primo.

Ideſt, antea, prius.

Comedẽtes et bibẽtes apud ipſum, cõſolati ſunt eũ: et mirati ſunt ſuper omnibus, quæ induxit ſuper eũ Dominus.

Symmachus autem, De omni malitia: maliciæ vocabulo malum ipſum, afflictationemq́. declarans. Et ſane res admiratione perquam digna uidebatur, Iuſtum hominem tam multa eſſe perpeſſum, atque adeo miſere diuexatum fuiſſe. OLYMPIOD. Nempe igitur Iobus peramans, atque immemor iniuriarum, neceſſarios, & cognatos aduentantes excipit, & ea, quæ adferuntur ab ijs, minime repudiat; nec fecit, quod multi ſolent; nec tali quapiam oratione uenientes accepit. Quandoquidem nec me ægrotantem inuiſiſtis, nec adiuuiſtis: uos item mihi haudquaquam eſtis complectendi, nec ulla re ueſtra indigeo. Quin etiam & eos, qui conueniebant, comiter amplexus eſt, quaſi nil ab ijs mali accepiſſet; & cum ijſdem conuiuia concelebrauit; atque idi|ſum, quod agebatur, ei pro ſolatio fuit. Cum enim factum eſſet diuinitus; ut ad eum certatim accurrerent; nequaquam illorum aduentum, ideſt, diuinum beneficium, ſibi contemnendum putauit. Immo uero cunctos eſt benignè complexus. In quo auitam Abrahami eſt uirtutem imitatus. Is enim munera a Pharaone data accepit, ratus a diuina beneficentia illa eſſe profecta.

CAPVT TRIGESIMVM TERTIVM.

Dedit autem ei vnuſquiſque agnam vnam, & tetradrachmum aureum non ſi_natum.

OLYMPIODORI.

AGNAM adferunt, tamquã inituri cõuiuiũ. Tetradrachmũ autẽ aureũ, quod numiſmatis eſt genus, ut eo honore afficiãt Iobũ. Aquila, & Theodotio pro tetradrachmo, In aurẽ auream. Symmachus uero,* Nariũ ornamentũ expreſsit, *Non ſignatũ* autẽ, pro illo eſt, cui nulla forma eſt publica? cui nullus character impreſſus.

* ἐνώτιον.

Dominus autem benedixit nou iſsima Iob, quàm antea.

OLYMP. Priores opes, non tãquam præmia uirtutis, Iobo datæ fuerunt; uerũ ut in ijs exerceretur; fueruntq́. illi diuitiæ certaminũ leges. Poſteaquã autem is pugnauit, & magiſter factus eſt omnibus, quẽadmodum eos uti deceat diuitijs: poſteaquã uniuerſis fortunis euerſus cũ egeſtate legitime decertauit; iũ demũ Magnus agonotheta Deus geminatã illi bonorũ poſſeſsionẽ, quaſi legitimũ uirtutis præ-

præmiũ largitur. Neque uero hiſtoria diuina duplicatorũ bonorum numerũ prætermittit, diuinamq́. benedictionem ea, quæ ad corpus referuntur, bona, eſſe cõfirmat. Nimirum liberûm, ceterarumq́. externarũ opũ copia apud priſcos illos in diuinarũ benedictionũ numero habebatur; cõtra in maledictionum ducebatur, his ipſis rebus carere. Quoniã igitur Iobus, qui Legi ętate anteceſsit, tũ ad Legis, tũ ad Euãgelij normã uiuendi rationẽ expreſsit; ſane par erat, ut non ſolũ, quæ bona Lex pollicita eſſet, cõſequeretur, ſed ut eũ illa quoq; manerẽt, quæ Sanctis in eo, quod cõſecuturũ eſt, ęuo promiſſa ſunt, quauis humana ratiocinatione, atque cogitatione longe ſuperiora.

Fuerunt autem pecora eius, ouium quattuordecim millia, camelorum ſex millia, iuga boum mille, aſinæ feminæ pabulantes mille.

Superiora quidẽ probandæ uirtutis materies fuere; hæc autẽ poſteriora remuneratio extitere uictorię; atq; ob id ipsũ duplicata sũt.

Gignuntur autem ei filij ſeptem, & filiæ tres.

Sane nauus, & ſtrenus miles Diabolũ pudore affecit, cũ omnem illius conatũ, impetumq́. non ſolum repreſsit, ſed etiã in eumdem ipſum caute reflexit. BASILII. [a] Quidnã igitur hinc conſecutũ eſt? Nempe morbus, qui in eũ fruſtra inuaſerat, nec quidquã profecit, eſt profligatus. Ad nouam quamdã pubertatem, & iuuentutem caro reuiruit. Vita rebus omnibus, ijsq́. duplicatis rurſus effloruit. Domũ diuitiæ undiq; cõfluebãt; ut iã & nihil amiſiſſe Iuſtus uideretur, atque ei perpeſsionis merces eſſet perſoluta. Sed quamobrẽ equos, mulos, camelos, oues, ſegetes, & quæ ad rẽ ruſticã pertinent, deniq; affluentẽ bonorum omniũ uoluptatẽ, binis partibus, quæ priorẽ ſuperarent ſtatũ, accepit: filiorum autẽ, qui deinde nati ſunt, numerus demortuorum numero par extitit? Nimirum, quòd pecora ratione carẽtia, ac cetera fortunarũ poſſeſsio, quæ ſuapte natura interit, omnino perierat uniuerſa; filij autem, quãuis migraſsent e uita, naturæ tamen pręſtantiſsima parte uiuebant. Ergo, cũ rurſus recẽte filiorũ, filiarũq́. prole ornatur diuinitus, geminatã quoq; liberorũ poſſeſsionẽ aſſequitur. Ipſi enim, qui parentes erant, ad exortos fetus oblectandos, manebant in uita: qui uero antegreſsi fuerant liberi, ei, a quo sati erant, præſtolabantur; tunc illi coram adfuturi, cũ iudex humanæ uitæ cœtum omnẽ collegerit; cũ tuba illa aduentus Domini nuncia, ad corporum exigenda depoſita ipſa ſepulchra ſonitu uehementiore concuſſerit. Tunc enim ij, qui mortui uidentur, celerius quàm uiui, Vniuerſitatis opificem circumſiſtent. Hanc igi-

[a] Huius ipſius quæſtionis eamdem explicationem habes apud August. in epiſt. 120. ad Honoratum de gratia noui Teſtamenti, cap. 10. & apud Greg. Nyſſ. in oratione de morte Pulcheriæ in calce.

tur duco cauſſam, cur altero tãto amplioribus bonis a Deo cumulatus Iobus filiorũ numerũ iuſtitiæ ſuæ indicem, eũdem obtinuerit. Olymp. Muta quidẽ, quod ratione minime uigeant, & quæ ipſa interitum uitare non poſsint, duplicata fuerunt; filiorum autẽ poſterior numerus priorẽ exęquauit: quia, licet ceſsiſſẽt e uita, nequaquã tamẽ perierãt. Ita eos quoq; geminatos recepit, illis quidẽ, qui iã deceſſerãt, etiã uiuentibus; his uero exorientibus, ac ſuccędẽtibus.

Et vocauit primam Diem, ſecundam autem Caſiam, tertiam autem Amalthea cornu.

a Tertiam Amalthea cornu ſic ſeptuaginta. Sed Aquila, & Symmachus Carnaph Phut in Cat. Pin. Hieronymus autem cornu ſtibij.

Olymp. Videtur Iobus nominibus, quæ filiabus impoſuit, bonorũ, quæ ſibi largitus eſt Deus, nõ obſcurã uoluiſſe ſignificationẽ cõficere. Ita primã filiã Diem nominauit: ideo quod ab obſcuriſſima ærumnarũ nocte ad felicitatẽ reſtitutã diuinitus, quaſi ad diei lucẽ adſpiciendã eſſet reuocatus. Secundã Caſiã appellauit: quòd iã is odoris quadã ſuauitate, bonorumq. uoluptate frueretur. Tertiã Amalthęę cornu uocauit: quòd uitam deinde uixerit omni bonorũ genere perfluentẽ. Nã ueteres illi Amalthęę cornu ad bonorũ copiã ſignificandã tranſtulerũt; ſic enim fictis fabulis memorię prodiderunt. Rheã Iouis matrem extitiſſe; Iouẽ filiũ Amaltheæ alendũ tradidiſſe; Amaltheã capræ illũ ſubieciſſe; Iouẽ uero ab ea caprã eripuiſſe; Alterum duntaxat cornu de capra detractũ Amaltheæ dediſſe; ut, quod ſibi tãdẽ collibuiſſet, ipſum illud cornu efficeretur. Nec uero Amaltheæ cornu ob eã rem dictũ, quòd ea cornibus eſſet inſtructa; ſed ea re maxime, quod huius capræ cornu circũferret, e quo vinũ, mel, lac, & quidquid demũ optaſſet illa, manaret, quẽadmodũ eſt in fabulis. Alij uero ad perſuadendũ magis idonee dicũt. Amaltheã caprã fuiſſe, hoc uocatã nomine; cornu terrã effodiſſe; theſaurũ defoſſum retexiſſe; paſtorem uero, illo ipſo adepto, ex inope locupletem repente extitiſſe; atque ita Amaltheæ cornu ad opimũ, & beatũ ſtatũ declarandũ uſurpatũ eſſe. Attamen, cũ Scriptura aut cornu, aut Sirenũ, aut uallis Titanũ, aut gigantũ mẽtionẽ facit, non, quia de his ipſis rebus, Græci etiã quędã falſo comminiſcũtur, ideo nobis quoq; ſunt ſacræ ſcripturæ uerba contemnenda: immo uero illorũ ſunt aniles fabulæ eijciendæ; ueritati autẽ ſemper conſulendum; atque ex ipſa, quę diuinitus eſt afflata ſcriptura, ea, quæ utilitatem animis poſſunt adferre, nobis ipſis adſciſcenda. Tria quoque pręclara uirtutis documenta, quæ tribus tẽporibus Iobus dedit, tribus formoſis filiabus indicantur; ſiquidẽ & in diuitijs, & in paupertate, & in reſtauratione rerũ illius fuit ſpectata uirtus. Ac, ſiquid etiã pręterea Chriſtiano dignũ ſpiritu cõmentandũ hoc loco

ſit,

ſit,dicamus licet. Diē eſſe,cum Lucifer Domini ortus fuerit in cordibus noſtris:nos autē ipſos ſuauem CHRISTI odorē euadere: cū proceſſus efficimus: tunc uero ſpirituāliū chariſmatū nos ubertate cōpleri,cum augemur,atq; ad perfectionē properamus. Quòd ſi alia quædā recōditiora hoc eodē ſcripto continētur, nos ijs, qui cogitatione,atq; intelligētia lōgius progredi poſſunt,libēter relinquimus.

Et non ſunt inuentæ ſicut filiæ Iob, meliores ipſis in ea, quæ ſub cœlo eſt.

OLYMP. Nihil promiſſū a Lege,nō eſt ipſe cōſecutus;qui,etiāſi Legē nō audiuiſſet, in mēte tamen Legē ſcriptā ferebat, Legemq. ſeruauit;quāuis nō a magiſtro acceperit. Itaque,cetera felicitate ſepoſita,filias quoq, liberali ſpecie,atq; egregia forma ſuſcipit;ut earū adſpectu omnis ſuperioris ærumnę memoria funditus interiret. Et uero patrū eſt hęc itē felicitas,liberos eximia facie procreare: quādoquidē & Sarrę, & Ioſephi & Dauidis diuina ſcriptura pręclarū cōmēdat adſpectū. Quāquā aliā quādam pulchritudinē,quę propria animi ſit,mihi conſidera:ut illud, *Meliores*, non magis ad corporis quàm ad animi dignitatē,& pręclarā ſpeciē referatur. Verū hoc ad intelligentiā. Tria quædā eſſe diximus tēpora,quibus innocētię ſuę Iobus ſpecimē dedit ſingulare. In quibus ſane tēporibus qui ei uirtutis gloria par eſſet,nemo eſt repertus in terris; ſiue tēporis, quod tentationem præcucurrit; ſiue eius, quod refertum fuit ærumnis; ſiue eius, quod contentionibus,tentationibusq. ſucceſsit, ratio habeatur. In quibus quidem tribus temporibus,quòd ſtrenue dimicauit, tres formoſas filias habuiſſe dicitur, ſed ita dicitur,ut nec ratione aliqua lædatur hiſtoria, atque ad tria illa tempora traducatur oratio, quibus eſt illi proles exorta uirtutis.

Dedit autem illis pater hæreditatem in fratribus.

OLYMP. Ideſt,una cum fratribus. Vt oſtendat omnes filios a Iobo in ęquales partes hæreditatis uocatos eſſe.

Vixit autē Iob poſt plagam, centumſeptuaginta annos: omnes autē anni, quos vixit, ducenti et quadragintaocto.

OLYMP. Videtur magnus Iobus ipſos ſeptem annos plagę acerbitatē tuliſſe; quorum idcirco eſt numerus prętermiſſus,quia ex ea annorū ſumma, quos uixit Iuſtus,merito excerpendi uidebātur:cū ęrūnoſa uita mors ſit potius,quàm uita exiſtimāda. Etenim,ſi poſt detractā calamitatē Iobo duplicata omnia fuerūt, quin anni quoq; duplicati ſint dubitari nō debet. Vixit igitur poſt depulsā ęrumnā centūſeptuaginta annos. Sūma autē annorū uniuerſa ducentiquin-

quaginta quinque: e qua quidem ſumma detracti ſunt ſeptem, ut arcanam temporis rationem, quo eſt mala perpeſsus, intelligeremus.

Et vidit Iob filios ſuos, & filios filiorum ſuorum, quartam generationem.

Eo uerbo *Vidit*, carā, atque amabilem Iuſti ſobolem Scriptura demonſtrauit. Verbis autem illis, *Quartam generationem*, illius uitę diuturnitatem declarauit.

Et mortuus eſt Iob ſenior, & plenus dierum.

OLYMP. Cum diuina ſcriptura & ſeniorem, & plenum dierum, nec ullius rei, quæ ſeu ad corpus, ſeu ad animum ſpectet, non temporis, non uitæ, non uirtutis Iobum indigentem fuiſſe, ſed uirtutis eum curriculum egregie confeciſſe narrat, ſcilicet illius laudem obſignauit. Sed nimirum ſciendum eſt, uerbis illic quaſi extremis. *Senior, & plenus dierum*, ab Aquila & Symmacho librum eſſe concluſum: quod quidem fecerunt illi codicem ſecuti Hebraicum: Theodotio autem una cum Septuaginta concludit.

ADDITIONES IN CAP. XLII.

Non enim locuti eſtis coram me verum quidpiam, ſicut ſeruus meus Iob. A

CHRYSOSTOMI.

IDENTIDEM Deus Iobum ſeruum ſuum appellat. Vt oſtendat ſuperiora omnia eſſe ſublata: eumq. ſua egregia facinora commemorantem eſſe uera locutum. Vos autem, qui illum condemnaſtis, haud uera dixiſtis.

Explanationem hanc a Chryſoſtomo mutuatus eſt in noſtra Catena Olympiodorus.

Et faciet ſacrificium pro vobis. B

IVLIANI. Antea quidem Iobus ſacerdos ſua uoluntate creatus, Deo pro filijs ſacrificia factitabat: Poſt plagam autem non audebat uictimas Deo præbere, quæ in eum incubuit, calamitate perculſus; merito igitur Deo auctore nunc ſacerdotium init.

a *Scriptum eſt autem ipſum rurſus reſurrecturum, cum quibus Dominus reſurgit.*

Hoc eſt; aut die extrema, aut crucis tempore. Illud autem, *Rurſus*, appoſitum eſt, ut prior ea intelligatur reſurrectio extitiſſe, cum is ab ærumna fuit excitatus. Reſurget autem cum Noë & Daniele, quibuſcum ab Ezechiele numeratur. *Ezec. c. 14.*

a *Hæc quæ ſequuntur in Septuaginta, & Theodotionis interpretatione haberi auctor eſt Origenes in epiſtola ad Iulium Africanum. Ac tamquam hiſtoriæ legitimam partem amplectuntur hi omnes. D. Chryſoſtomus tum alibi, tum hom 52. ad Populum Antioch. Theodoretus quæſtione 92. in Geneſ. Polychronius in hypotheſi in hunc librum Olympiodorus in ſua item hypotheſi, quam huic Commentario præpoſuimus, et in Protheoria cap. 32. ad rationem græcam partiendi, & in Commentario. Iulianus, Seuerus, Euagrius in ſuis explanationibus quibus poſtremam hanc partem illuſtrarūt. Diuus Auguſt. & Ambr. Doctores Eccleſiæ clariſsimi pari religione, & mente hanc ipſam ſcripturæ partem complexi ſunt. Nam Aug. in 18. lib. de Ciuit. c. 47 de temporibus Iobi loquitur his verbis.* Tempora eius, quamuis non inueniamus in chronicis, colligimus tamen ex libro eius, quem pro ſui merito Iſraelitæ in auctoritatem canonicam receperunt, tertia generatione poſteriorem fuiſſe, quam Iſrael. *Atqui tertia generatione poſteriorem fuiſſe ipſo Iacob non poteſt intelligi niſi ex hac genealogia. Ambroſius vero lib. 1. de interpellat. Iob. cap. 8. hoc oraculo:* Scriptum eſt ipſum reſurrecturum cum quibus Dominus reſurgit *tamquam diuinæ ſcripturæ teſtimonio, atque oraculo vtitur ad probandum Iobum cum* CHRISTO *e mortuis excitatum eſſe.*

Hic

Hic interpretatur ex Syriaco libro.

IVLIANI. Linguam, quæ Hebraica eſt nunc, Syriacam uocat, quoniam eſt Syrorum ſermoni finitima. Nam duabus & uiginti litteris, quemadmodum Hebræi utuntur; & Syriam Iudęam, Syros autem Palæſtinos plerique nominant, ut etiam Herodotus; qui his uerbis loquitur. Circumciduntur autem Indi, & Aegyptij, & Arabes, & qui in Palæſtina ſunt, Syri.

In terra quidem habitans Auſitide, in finibus Idumææ, & Arabiæ. Fuit autem illi antea nomen Iobab.

OLYMP. Hinc perſpicuum fit, Auſitidem prouinciam in Idumææ, & Arabiæ ſitam eſſe cõfinijs; & Iuſtũ quidẽ Idumæum fuiſſe, & Iobab antea nominatum. Illud profectò nobis cõpertũ eſt, Sanctorum fuiſſe nomina commutata, ut Abrahæ, ut Iſrael, ut Petri. Quare & nominis prioris, quo uocatus eſt Iuſtus, immutationem ad eius uirtutem ſignificandam pertinere, dubitandum non eſt. a Viſitur ad hãc diem in Arabia ſtrenui Iobi ſepulchrũ, ac ſterquilinij palęſtræ, in qua illuſtres ipſe eſt coronas adeptus. Ab indigenis autẽ anniuerſarijs colitur honoribus, quẽadmodũ qui illinc ad nos cõmeant, narrauerũt. At Auſitidẽ regionẽ nonnullli eamdẽ, quæ ipſius Siõ eſt, tradiderũt; quidã Idumæã eſſe cõfirmãt. Alij quampiam aliã inter Idumæã, & Arabiã mediã interiectã. Alij Arabiã ipſam, in qua eſt Iuſti locatũ monumentũ. Sed tamen ipſum Idumæũ eſſe, ex ijs, quæ in extremo libro perſcripta ſunt, perſpicuum eſt: ubi uero habitauerit, ac decertauerit, ex ijs, quæ etiam nunc cernimus, liquet.

a Viſitur &c. omnem hanc, quæ ſequitur, interpretationem in commentarium tranſtulimus ex Catena Pinelli.

Accipiens igitur uxorem Arabiſſam, gignit filium, cui nomen Ennon.

OLYMP. Quoniã antiqui nominis Iobi mentionem fecit, recte etiã uxoris Arabiſſę meminit; e qua natus eſt illi Ennon, ſiue is vnus aliquis primorũ liberorũ fuerit, ſiue etiã ſecundorum. SEVERI. Forſitan autẽ nec cõſentaneũ, nec rectũ erat; ut ea bonorũ particeps eſſet, quæ certaminũ tẽpore uirũ deſpexiſſet; atq; e ſummo cõſtantiæ, ac patientiæ uertice præcipitem agere Athletam conata eſſet.

Fuit autem hic e patre quidem Zara, Eſau filiorum filius; matre autem Boſora; ut ipſe quinctus ſit ab Abraham.

SEVERI. In Paralipomenis extat genealogia. Nã ab Abrahamo ortus eſt Iſaacus, Ab Iſaaco Eſau, Ab Eſau autẽ Raguel, a Raguele autẽ Zara, qui Iobi pater extitit. Quinctus igitur eſt ab Abrahamo, e nu-

mero

mero Abrahamo detracto. Quocirca cũ ante Legẽ fuiſſe dicimus. Nã & ab Abrahamo numeranti Moyſes ſextus ocurrit ad hũc modũ. Abrahamus Iſaaci pater; Iſaacus Iacob, Iacob Leui, Leui Cath, Cath Moyſis. Licet autẽ daremus cũ Moyſi ſupparem fuiſſe, legis tamen diſcipulus minime fuerit. IVLIANI. Zareth urbs eſt Idumææ, & Boſor Arabiæ, quæ nũc Boſtra uocatur; quæ nimirum gentiles Iobi ſunt, atq; cũ diuini Iobi parentibus nominis ſocietate cõiunctæ. CHRYS. Quo tẽpore fulgebat Iuſtus in terris, uerſabantur in Aegypto Iudæi; unde illis futurus erat aſcenſus. Quare, ſi uoluiſſent, haud paruam pietatis negociationem, lucriue faciendi rationem reperiſſent. Neq; enim probabile eſt, Iuſti uirtutes tũc in operto fuiſſe. Quòd ſi etiamnunc illius demonſtrantur reliquiæ, quanto magis eo tempore ſeſe oſtendebant? quando eorum, qui in Arabia cõmorãtur, nemo eſt omniũ, cui, licet res ipſæ mortuæ iã ſint, nõ ſit Iobi facinorum, atque eorum, quæ ei acciderunt magnitudo perſpecta?

Et hi Reges, qui regnauerunt in Edom, cui etiam regioni ipſe imperauit.

OLYMP. Hæc item in Paralipomenis reperias. Quamobrem, cum de ſe ipſe dicit, *Eram in medio eorum, ſicut Rex inter milites eximio Para-*
cingulo. Aut quia præ regno ob uirtutem colebatur, aut uero illud, *lip. li.*
ſicut, non propter ſimilitudinem adhibetur, ſed, ut reuera eum po- 1.c.1.
teſtate regia uiguiſſe, intelligamus. *Iob.c.*

Primus Balac filius Beor: & nomen ciuitati eius 29.
Ennaba.

OLYMP. Succeſsit quidem Balaco Iobus in regnum; ſed nequaquã illius impietati ſucceſsit. Abrahami enim eſt fidem, uirtutemq. imitatus. Verum illud hoc loco obſerua; non hunc fuiſſe Regem, qui ad fornicandum in Beelphegor Iſraelem impulerit. Ille enim, qui auctor ſceleris fuit, quemadmodum eſt in Numeris, Sepphor eſt dictus; hic autem, filius Beor, ſicut eſt etiam in Geneſi: & ille quidem Moab Rex erat, hic autem, Edom.

Poſt Balac autẽ Iobab, qui uocatus eſt Iob. Poſt autem hunc Aſom; qui princeps fuit de Thamanitide regione. Poſt autem hunc Adad filius Barad; qui concidit Madiam in campo Moab; & nomen ciuitati eius Gethæm.

Regionis principes narrat, eorumq. nomina, urbes, & res geſtas exponit: quo perſonarum dignitas ſit magis inſignis. Gethæm autem urbs eſt Phœnicum.

Qui vero ad eum venerunt amici; Eliphaz filiorum Eſau Thamanorum Rex.

Sed Theodotio, Filius Ioſaphas, interpretatus eſt.

Baldad Sauchæorum Tyrannus.

Theodotio rurſus, Filius Ammon, qui fuit Chobor.

Sophar Minæorum Rex.

EVAG. Eliphaz fuit filius Sophar, & Amalec, ei ex pellice natus. Eliphazus igitur & Sopharus diſcipuli Iacob fuerũt. Amalech autẽ Eſau. OLYMP. Sane præclare de amicis diuina hiſtoria rurſus meminit, ac ſi diceret: perilluſtriũ & minime ignotarũ corruptarumue perſonarũ tẽpora Iobi rebus geſtis, quæq; ei euenerũt, teſtimoniũ dare. Etenim *in ore duorum, vel trium teſtium ſtabit omne verbum*, ut ait diuina ſcriptura. Videtur autem Elius non una cum Iobi amicis ad eũ uiſendi cauſſa ueniſſe; ſed fortuito adfuiſſe; & in Iobum iam laborioſa ægritudine, ærumnaq. multatũ & in amicos propter illũ ſedentes, atq; cũ eo diſputantes incidiſſe; calamitatis uero magnitudine cõmotum, cum illis tamquã eorũ auditorẽ conſediſſe; quos cũ in diſputando hærere, atq; æſtuare uideret, diſputationis certamen iniſſe. Accidere enim ſolet; ut poſt inſtitutã diſputationẽ nonnulli conueniant; atq; in diſputantium cœtu conſiſtant; nec non ea, quæ utrinq; dicũtur, audiant; ſuas etiã ipſi rationes quaſdã, & ſermones obtrudant eiuſmodi, ut ijs deinde ſit diſputandi munus cõplectendũ omnino. Amici igitur fortaſsis tamquã cõmunis calamitatis ſenſu perculſi, ad Iobum uenerunt. Elius uero uiſendi tantũ cauſa adfuit; eaq. re de illius aduẽtu ne uerbũ quidẽ diuina ſcriptura. Sonat autẽ Elius, Deus audiẽs; ſeu filius Deũ enunciãs. Ergo hiſtoriæ Iobi prima atq; extrema ſunt huiuſmodi. Atque ita eſt nobis huius ipſius libri explanatio ad exitũ adducta. Quòd ſi nonnulla cõiectura potius quàm certa cõprehenſione ducti, interpretati ſumus, ſane certe id nec a primis nobis, nec a ſolis eſt factitatũ: Sed hoc ipſum cũ ijs omnibus fuit nobis cõmune, qui huius libri interpretes, & explanatores fuerunt. CHRYS. Vnuſquiſq; autẽ eorum, qui legent, in hunc ſtrenuum athletã, ueluti in primigeniã quamdã formã, atq; exemplar intueatur; fortitudinẽ imitetur; patientiæ æmuletur; ut, cũ eamdẽ fuerit uiã ingreſſus, idemq. iter cõfecerit, eum aduerſus Diaboli artificioſas inſidias in acie ſteterit, genus illud bonorũ, quod Deum diligentibus deſponſum eſt, cõſequi poſsit. Sint Beati huius afflictationes malorũ noſtrorum medicamenta; & turbulenti eius fluctus, ſæuæq. procellæ noſtris calamitatibus portus. In rebus omnibus quæ-

Matt. c. 18. & 2. Cor. c. 13.

quæcunq; euenerint, huius uiri ſpecies nobis obuerſetur. Atq; cum unius hominis corpus, acerbitates omnes, quæ in orbe terrarum reperiuntur, exhauſiſſe uiderimus; nos quoq; exiguam earum partem erecto, conſtantiq. animo perferamus. Ad hunc uero librum, tamquam ad matrem quampiam prolis amantem, & quouis loco manus tendentem, trepidanteſq. natos excipientem, uſque confugiamus. Nam licet in nos miſeranda, & grauiſsima mala incurſent vniuerſa; tamen, omni moleſtia, atque ægritudine extenuata, abire nobis licebit, CHRISTO uero Deo iuuante, quo cum Patri, Sanctoq. Spiritui gloria ſit in omnem æternitatem. Amen.

FINIS.

ERRATA INSIGNIORA.

exiſtimant	pag.5	exiſtiment
qui in ea re	ibid.	ea re
uiſſu	12	iuſſu
patiatur	17	partiatur
indigna cum	17	indigna eum
nimiam calumniandi	17	nimia.
acerum	26	aceruum
permaneret	33	permanaret
nationem	37	notionem
comitatum	38	comitaturum.
explicuit	54	expleuit
ſuſcepit	ibid.	ſuſcipit
fame euectum	56	enectum
progenuit	57	pro genuit
dubitet	57	dubitat.
uidere purgationem	60	uiden' purgationē
uehementeſq.	64	uehementerq.
ipſa confeſſione	ibid.	confeſsione.
Honorum paruulorum	65	horum
aderat	70	adferat
oſtendit	ibid.	oſtendat
hiſtoria	Ibid.	hiſtoriæ.
fere cogitur	80	ferre
ante gratis	109	an te
memoriam reddit	113	redit
uitibus	114	uiribus
ita ex mihi	110	ita es mihi
nt paria	111	ut paria
patientia opus tribuit	118	patientiæ
exitum precatur	142	exitum precatus
geſtarum	145	guſtatum
pane alienatum	153	pæne
interpretatus	158	interpretatur.
occur. anti	159	occurſanti
eiuſdem Didymi	174	eiuſdē tollēdum eſt
perobſcura Inquiſitionis	ibi.	perobſcuræ.
a carex	202	2 Carex
obnixius	pag.226	obnoxius
obtopeſcunt	227	obtorpeſcunt
multilocus	234	multiloquus.
ſubſellio noſtri	236	noſti
peccatumq.	240	pacatumq.
hæc ipſa tecum	241	tecum
monetur ſapientia?	243	morietur.
facite iuſtus	247	tacite iuſtus
& ò tu, o care	253	& tu o care
ſignant	254	ſignificat
Aetati illi ſua	259	illi ſuæ
repoſuiſti in lignea	260	poſuiſti
a tinea conſumpta	261	conſumptæ
loquendi ordine	271	loquendi ordinem
Hæc ipſa prom	284	promi
Tribuet eris	286	tribueretis
animi ideſt	291	animi id eſt
reſtituat ſtatum	296	reſtituat
γυνεῖκα	310	γυναῖκα
ὅτε	324	ὅτι
δυσυνειδήτον	355	δυσυνειδήτου
uidua	362	uiduæ
amictum autem anim	364	animæ
ὁ καθ' ὁμοίωσιν λόγος	380	ὁ καθ' ὁμοίωσιν
mors dixit audiamus	392	audiuimus.
ſolabar	403	ſolabat
ἀνακαινίζει	406	ἀνακαινίζει
quòd eas ſuā Iobus	440	quòd eos
ἐνεχειράσο	455	ἐνεχειράσω
quò iniuſti delentur	457	qua iniuſti
nolite inquit	470	nolito
ſe queat ferre	485	efferre
alijs ominibus	489	omnibus

VERBORVM, AC RERVM, QVAE IN HOC GRAECORVM PATRVM COMMENTARIO PRAECIPVAE SVNT,

INDEX.

A

ABORTVS *quid ſint; & vnde exiſtant. pag.* 145

Abrahamus munera a Pharaone data accepit, ratus a diuina beneficentia illa eſſe profecta. 536

Abſtinens tantum ab omni improbitate non eſt iuſtus. 56

Abſurda omni cautione vitare debemus. 470

Ἀβουλία temeritas, et conſilij inopia. pag. 248

Accipiter conuerſus ad Auſtrum in aëre immotus conſiſtit. 501

Adam, ſi non peccaſſet, fuiſſet immortalis. 146

Adhortationes quemadmodum hominibus adhibendæ. 154

Aduerſæ res Apoſtolis lætitiam, alijs vero qui anteceſſerunt mæſtitiam attulerunt. 138

Aduerſis rebus Deus exercet homines non vlciſcendi, ſed medendi cauſſa. 241

Adulterium grauiter Deum irritat. 422

Multorumq́. malorũ eſt origo. ibi.

Aër cauſſa ſpiritus, & reſpirationis. 374

Aër quid apud Olympiodorum. 375

Aegritudine confectis nulla aptior medicina, quàm quies, & ſilentium. 133

Aegritudines, & moleſtiæ mollioribus hominibus innaſcuntur. 89

Aegrotantes animo, nõ minus, quàm qui ægro ſunt corpore, commoda egent opera. 408

Illis magnũ adferunt dolorem, cũ nõ paret, qui obſequi debent. 333

Aerumnas plerique non ferentes ad impia conuicia conuerſi ſunt. 224
Aerumnoſorum mos eſt, & eorum, qui in malis verſantur, vt nolint ſua mala cælari. 191
Affectus, ſi comprimantur diſciplina, mites fiunt; & boum more fœno paſcuntur: Contra domitoris, & cōdocefacientis ſocordia agreſtes euadunt, & belluarum immanitatem imitantur. 508
Afflictio Iobi non malorum remuneratio, ſed virtutis eius probatio fuit. 333
Ἀκίδες *quid ſint.* 288
Ἀλαλαγμός *clamor militum, quem tollunt, cum prælium eſt ineundum.* 205
Alima herba qualis. 410
Amaltheæ cornu tertia Iobi filia poſt depulſam ærumnam eſt appellata. 538
Amaltheæ cornu rerum copiam ſignificat. ibid. eius fabula origo. ibi.
Amerina quid ſignificet. 512
Amici qui videntur, nec ſunt. 182
Qui nam veri. ibid.
Amici conſtantiam, & perpetuitatem tuentur in eorum, quos diligunt amore. ibid.
Amicorum abſentia triſtibus temporibus per quā ſolet eſſe acerba. ibid.
Amici Iobi, qui ad eum venerunt, Reges fuerunt. 131
Iuſti fuerunt. 45. & 136
Sed tamen in diſputatione, quam cum Iobo habuerunt, ſeptem peccata peccauerunt. 16.17.18
Amici Iobi hac erant opinione imbuti ob ſua flagitia Iobum vexari. pag. 13.24.284.434.479. *aliiſq. locis huius cōmentarij permultis.*
Amici Iobi eius vulnera acerbiora fecerunt. 251. & 252
Amicis tribus illis ſuis tandem perſuaſit Iob ſe iuſtum eſſe. 434
Ἀναίδην *ſine pudore, improbe temere.* 272
Angeli incorporei. 165
Natura mutabiles, quamuis Dei munere non mutentur. 163
Non ſunt immutabiles. 122
Angeli peccare non poſſunt. 66
Angeli ante mundum effecti. 484
Angeli cuſtodes noſtri. 460
Nos tuentur & curant. 65
Cum diabolo contendunt. 68
Angeli qua ratione Deo aſſiſtant. pag. 68. & 100
Angeli noſtris rebus conſulunt. 99
Angeli ſingulis diebus rerum, quæ aguntur, referunt actiones. 99
Angeli mittuntur ſingulis diebus ad rē quampiam adminiſtrandā. ibid.
Angeli Chriſtum carne indutum redeuntem cum cernerent, cohorruerunt. 378
Animæ nihil carne ſua propinquius. pag. 105
Animæ ratione vtentis interitus eſt inſcitia, atque ſupplicium. 469
Animi principatus in Thorace, et pectore. 520
Animus mœrore afflictus nihil poteſt commode audire. 133
Animus Dei amans ob quid maxime excrucietur. 135
Animæ, quæ apud inferos cuſtodia incluſæ erant, CHRISTI *aduentu eductæ.* 375

Anima

Anima non ex ſubiecta materia effecta, expers corporis, ac diuiſionis. 226
Animæ non fuerunt ante corpora. pag. 264
Antichriſtus cauda diaboli. 510
Antichriſtus diabolo adæquatus. pag. 518
Ἀνυπαρξία ſumitur pro fortunarum interitu in hoc commentario. 384
Apoſtoli Terræ columnæ. 210
Quo tempore Chriſtus patiebatur fluctuarunt. ibid.
Aqua vtitur Deus tum ad bene merendum, tum ad lædendum. 475
Aquæ admirabilia quędam perſequitur Olympiodorus. 376
Arcturus deſcriptus a Baſilio. 211.
Armilla boni operis, Draconis Tartarei labrum perforatur. 514
Aſidæ auis natura. 499
Aſida non alit filios. ibid.
Aſinus ſolitarius qui, quid ve ſignificet. 238
Aſinus ſylueſtris non poteſt cicurari. 497
Eius ad ſpiritualem ſenſum traductio. ibid.
Aſpis venenum euomit, quando vult. 325
Aſtrum, & ſtella qua re differant. pag. 491
Athletis Deus ſuis etiam in hac vita, mercedem poſtea perſoluendam arrhabone confirmat. 505
Auditoris laus in eo ſita eſt, quòd cum ſiti & auiditate audit. 407
Auferre veſtem interdum ab diuite licet. 349
Auſitis regio, ex qua erat Iob. 50
Quid ſignificet. 16
Auſitus Prouincia in Idumea, & Arabiæ cõfinio poſita. 50. et 541
Auſtri flatibus profligatur hiems. pag. 476

B

Baldad Sauchæorum Tyrannus. 131. & 543
Baptizantur infantes, vt macula ex Adæ peccato ſuſcepta eluatur. pag. 263
Blaſphemia quàm graue peccatum: pag. 119
Bonitas cauſſæ facit, vt quis aduerſario aliquid de iure ſuo concedat. 505
Bonum, & malum eſt in noſtra poteſtate. 454
Bonum communionem amat. 430

C

Calamitas vera quæ nam ſit. 111
Calamitatis magnitudine oppreſſi a temulentis non differunt. 250
Calamitates non caſu, vel fato, ſed Dei nutu accidunt. 77. & 99
Calamitatem inferenti Deo nefas eſt quidquã præſcribi ab homine. 121
Calamitatum ſex genera. 171
Calamus quid in Satana declaret. 512
Canticorum liber myſticus, totusq. ad allegoriam refertur. 505
Cęlo Scyphi figurã aliqui tribuũt 493
Cælum Dei Thronus. 377
Cælum inſpicit, qui nec mundum, nec ea, quæ in mũdo ſunt, diligit. 458

Cælum fumi ſimile. 493

Ceruarum mores. 496

Chananæi,& Phœnices flagitioſa flagrant infamia. 515

Sunt vna natio. 517

Chriſtus angularis lapis quomodo. pag. 484

Chriſtus cur dicatur vermis. 372

Chriſtus mare infidelitatis,& peccati placauit, & cetum, ideſt Diabolum proſtrauit. 378

Eius uis contra Antichriſtū. ibid.

Chriſtus cepit Diabolum carne ſua, tamquam eſca ei obiecta. 514

Chriſtus ſolus in Inferno liber fuit. pag. 488

Is morti non erat obnoxius. ibid.

Chriſtus prædicauit ſpiritibus, qui erant in inferno. 488

Ex Iobi Vaticinio debellaturus erat Leuiatham. 142

Chriſti incarnatio quā cōueniens. 143

Chriſtus Prophetas eodem tempore antiquauit,& innouauit. 210

Ciconia in editis arboribus fetum parit. 499

Ciconia non eadem auis, atque Aſida, Erodius,& Accipiter. ibid.

Circumciduntur Indi, Aegyptij, & Syri. 541

Clauicula in hominis corpore quid ſit. 425

Cogitationum prauarum quanta pernicies. 60

Cogitationis peccatum facile ſuſcipitur. 62

Conceptus quemadmodum in vtero conformetur. 227

Concubinis uti olim cur licitum. 313

Cōdoleſcēs animus magnū quid. 415

Confesſio peccatorum ſuadetur 354

Confeſsio peccatorum quomodo a Iobo factitata. 430

Conſolantes non debent exprobrare mala ijs, quos conſolantur. 176

Contumelias vereri debemus: quandoquidem ijs fratres noſtri uerberantur. 315

Contumeliam perferre magni eſt viri. 307

Nec quidquam ſic hominis attingit animum. ibid.

Conuiuij tempus Dæmoni eſt ad nocendum opportunum. 84

Cor princeps animæ pars dicitur. pag. 297

E cordis,mentiſq; cogitatis verba ipſa dimittuntur. 202

Corui ingluuies. 494

Eius pulli quo modo ſe alant. ibid.

Creationis rerum in libro Iobi prima eſt facta mentio. 483

Culpas non contrahi voluntate, quid ſit apud Didymum. 163

Cupiditas, & miſericordia affectus grauiſsimi. 124

Cupiditas eſt ab ijs, quæ in hac vita placent, auocanda. 299

Cupiditate capi rerum terrenarum non debemus. 421

D

DÆMON *in effeminatis,& nequam hominibus domicilium habet.* 512

Dæmones inter ſe ad flagitia ſocietate iunguntur. 522

Dæmonibus ſunt varia munera ad hominū exitium diſtributa. ibid.

Dæmonis

Dæmonis nomina, quibus appellatur uaria. 143
Dęmonis natura eſt a materia dirempta. 100
Dæmon nec Angelis, nec hominibus ſapientia antecellit. 122
Dæmonem a ſola Diuinitate haud decebat debellari. 143
Dęmones corpus diaboli. 517. *et* 524
Item eius corpus peccatores. 524
Dæmon cur auis dictus. 395
Dęmon ſæpenumero odoris afflare dicitur fœditatem. 180
Decem nominibus ab Hebræis Deus ſignificatur. 98
Derelictionis diuinæ eſt opus, cum ij, qui viuunt ærumnoſius, a domeſticis, ac neceſſarijs negliguntur. 183
Deſperationis ſunt nonnulli fluctibus obruti, calamitatis impetum nõ ferentes. 232
Deus non more hominum loquitur. pag. 481
Deus cur per turbinem, & nubes loquatur. 503. & 482
Deus ſemper eſt, omniſq́. æternitas ei præſens. 359
Deus eſt vbique. 67. & 360
Deus humanæ voluntati nullam adfert neceſsitatem. 360
Dei vnius imperio mortui reuocantur ad vitam. 375
Deus prouidet rebus: nec quidquam temere, aut fortuito euenit. 386
Deus aliter Filij, aliter reliquarum creaturarum Pater. 491
Deus ſolus ſemel quidpiam facit, non paullatim. 444
Deus quomodo dicatur creaturas fingere. 491
Deus ſua benignitate interdum ad litigatoris, cum iudex ſit, condicionem deſcendit. 506
Deo quis reſpõdere poſſe dicatur ibid.
Deus quid requirat in ijs, quibuſcum loqui vult. 481
Dei cognitio eſt cunctis hominibus inſita. 467
Deus per grandinem, imbres, Terræ ſqualores, frugumq́. exitium hominibus loquitur. 471
Dei verba non ſunt nobis curioſe peruestiganda. 503
Deus ijs, a quibus colitur, magnos tribuit honores. 530
Deus Iuſtis centenis partibus ampliora præmia elargitur. 534
Deus, cum quis partes explet virtutis, ad ſuam putat pertinere vtilitatem. 348
Ab eo longe impiorum abſunt conſilia. 353
Deus conſultatione non eget. 394
Dei ira uitari non poteſt. 214
Deum teſtem dilaudare eſt rectæ mentis, ac conſcientiæ. 291
Deus mutuam a nobis exigit humanitatem, cum parcit. 315
Deus perſonarum diſcrimina reſpuit. 255. & 318
Deus dicitur ſufficiens. 338
Deus ſolus ſuæ Prouidentiæ rationes tenet. 340
Deus cum diabolo non per ſe, ſed per Angelos loquitur. 68
Deus quomodo, & cur interrogationibus vtatur. 71
Deo omnia præſentia. 100
Deus nouit hominum, & Dæmonum cogitationes. 100

Deum præſentem animo cernere a malo arcet. 130
Deus eſt natura incomprehenſibilis. 161 & 162 & 213
Deus eſt incorporeus. 161
Deus ſolus immutabilis. 163 et 276
Dei poteſtas immenſa. 164
Deus flagris admonet; non vt perimat, ſed vt ſeruet. 170
Deus non fuit auctor malorum Iobi, ſed Diabolus. 194
Deus vbi ab quopiam receſſerit, cuncta res in illum miſerum arma conuertunt. 183
Deus a nobis de multis pauca requirit. 225
Deus pro nihilo putat eos, qui hominum opinione maximi habentur. 248
Deus circumueniri non poteſt. 256
Deus ſapientiæ, & potentiæ fons. pag. 246
Deum admirabilem teſtantur maxime, quæ præter exſpectationem contingunt hominibus. 249
Diabolus quot modis cum Deo loquatur. 68
Diabolus eſt truculenta, atque impudens bellua. 64 & 105
Diabolus numquam de noſtra ruina deſperat. 123
Diabolus quomodo intra animam ſuſcipiatur. 524
Diabolus in Iobum certos immiſit homines, qui eius calamitates riderent. 240
Diabolus quot modis Iobum excruciarit. 380
Diabolus quo modo interficiatur. pag. 515
Diaboli tentationes homini iuſto haud nocent. 82
Diabolus fuit Iobi calamitatum auctor, & nuncius. 83
Diabolus interdum homini mentem eripit. 106
Diabolus ſua voluntate peccauit. pag. 66 & 163
Diabolus ceti nomine ſignificatur, & quare. 214
Diabolus architectus peccati. 217
Diabolus ſuperari facile poteſt. ibid.
Diabolus Princeps impiorum cur dicatur. 280
Diabolus eſt Pirata. 288
Diabolus Tortoris munere fungitur. 326
Diabolus ſine Dei permiſſu nihil poteſt agere. 65 & 105
Diabolus quomodo Deo aſsiſtat. pag. 65 68 & 100
Diabolus ab initio non fuit factus eiuſmodi, qualis nunc. 66
Cur diabolus dicatur. ibid.
Eo tãquã Tortore Deus vtitur. 66
A Deo prohiberi ſe ne noceat fidelibus, fatetur. 73
Neſcit futura, neque hominum cogitationes. 75 & 104
Nulla eſt ei poteſtas niſi quam Deus permiſerit. 105
Ignem e Cęlo quomodo demiſerit. 80
Cur homines tentet. 99
Nec ſuis parcit. 525
Eum temperantia, & caritas interficit. 526
Ex omnibus locis eiectus. 527
Diaboli Principatus in homines ob peccatum occupatus Chriſti virtute

tute deletus. 518
Diabolus quam diu terribilis fuerit, et quàm rurſus infirmus poſt Saluatoris aduentum. 521
Diaboli perfectum eſt opera, vt Chriſtus cruci ſuffigeretur. 512
Diaboli aſtutia, & ſimulatio. 520
Diabolus ſpecie boni obiecta decipere ſolet. 520
Tenes diabolū nihil eſt vnū. 524
Flecti nequit ad bonum. 525
Totus ſuperbia eſt. 528
Rex eorum, qui mollem, ac voluptariam vitam traducunt. 528
Dicentis laus eſt, cum efficaces adhibet ſermones. 407
Dies mali cur vocentur. 138
Digitus ori iniectus ſilentij index. pag. 400
Diuitiæ Sanctis ad virtutem impedimento minime fuerunt. 59
Diuitiarum illecebræ perquam leues, & fugaces. 384
Diuitiis minime fidendum. 184
Diuites quibus momentis, ac nominibus ſint pauperibus anteponendi. 350
Doctor vitæ Chriſtianæ quid maxime tenere debeat. 519
Doctorum vultus eorum eſt Doctrina. 407
Dolores ferendi ſunt, vt poßint corporis ferri. 122
Domui pacatæ nil par reperiri poteſt. 173
Draco id eſt Diabolus eſt hiſtrio: ſemper alienam perſonam ſuſcipit. pag. 519
Eius pectus multiplex, & fraudis plenum. 520
Draco impiorum cibus, ſicut Dominus cibus Iuſtorum. 515
A Dracone, & a Chriſto quando cibum ſumamus. ibid.
Quibus nam ſit formidoloſus. 521
Qui nam eius dentes. ibid.
Viſcera eius quæ nam. ibid.
Eius faciem Saluator reuelauit. ibid.
Eum nulla anima uitare poteſt: pag. 522
Oculi eius qui nam. 523
Os cuiuſmodi. ibid.
Draconis anima eſt arrogantia. 524
Colli fortitudo eſt mentis elatio. ibid.
Qui nam eius lectus. 526
Draconem vti paſſerem fidelibus illudendum Deus obiecit. 514
Draconis caput ſuperbia. 516
Δυσωπεῖσθαι *quid ſit.* 254

E

ECCLESIA *Diaboli ſecum ipſa pugnat.* 524
Effectorem ſuum res omnes creatæ agnoſcunt. 245
Et ſicut guttur habemus omnes ad eſculenta diiudicanda, ſic mentem ad vniuerſitatis Deum agnoſcendum. 246
Egentes inuadere, atque ex eorum bonis lucrum facere crudelitatis eſt. 305
Ἐγκάθετοι *inſidiatores.* 312
Eliphaz cuius filius. 543
Themanorum Rex. 131. & 543
Elius amicus Iobi qui, & vnde fuerit. 435. & 436.
Elius cum tribus amicis Iobi videndi

di cauſſa non eſt profectus: ſed fortuito adfuit: & in diſputationem, quæ ab Iobo cum amicis habebatur, caſu incidit. 543
Elius diſputationis certamen inijt; cum amicos in diſputando hærere vidiſſet. 543
Elius ſonat Deum audiens; vel filius Deum enuncians. 543
Elij ſermo haud diſplicuit Iobo. 482
Elium, qui in libro Iobi loquitur, falſo tradunt Hebræi Balaam fuiſſe; qui in libro Numerorum dicitur Iſraeli male precatus eſſe. 435
Elius non aſſequebatur ſcopum verborum Iobi. 435 440. 443. 449. 450. 480
Elius credebat, hanc Iobo eſſe opinionem: iniuſte ſe vexari a Deo, ac fortuito agitari humana. 480
Episcopi nomen Deo tributum. 331
Eius munus. ibid.
Episcopi vita qualis. ibid.
Equi vis, & audacia narratur. pagina. 500 & 501
Belli ſigno dato lætatur. 501
Ἐχάρω *quid.* 523
Exactor tributi cur dicatur Diabolus. 142. & 152
Exaliptron vnguenti trulla vel vas vnguentarium. 527
Execrationes, quibus Iobus diem natalem ſuum, conceptuſq. noctem proſequitur, ſanctas eſſe: illaq. verba, quæ ab eo dicta videntur eſſe aſperius, caritatis, & religionis erga Deum plena eſſe. 137
Nec non toto cap. octauo prolegomenon.
Exſulum qui nam mos ſit. 281

Facetiae non ſunt admittendæ. 420
Fames maxime intolerabilis. 177
Fatis mala noſtra tribuenda non ſunt, ſed infirmitati, libero arbitrio, & diuinæ Prouidentiæ. 244
Fato nemo, nec fortuito, ſed Dei decreto in vita moratur. 263. & 264.
Femina eſt miſera, ac deſpecta conditio. 369
Feminarum adſpectus fugiendus. 418
Fides ſine gratia Dei haberi non poteſt. 186
Fides quouis Diaboli impetu valentior. 521
Filius Dei dicitur Altiſsimus. 371
Eius incarnatio a Iobo prænunciata. 365
Filius Dei non eſt factura, & creatura; etiam ſi a Deo factus dicatur. pag 58
Filius eſt ſapientia, & Conſilium æterni Patris. 246
Filius in patrem iniurius, parricida. pag. 102
Filij cur ante reſurrectionis fidem expeterentur. 115
Filios Iobi ſi aut legentes, aut precantes Diabolus offendiſſet, minime interemiſſet. 84
Fortitudinis eſt in aduerſis animum non deijcere. 186
Fratres, & ſorores in ſacra ſcriptura omnes qui cognatione iuncti ſunt. pag. 535
Fraus haud eſt impunita. 245
Fulgur vnde exiſtat. 379
Fundamenta terræ hominibus ignorata. 483

Φύσις

γένεσις pro conceptu. 227
Et pro generatione. 267

G

Gravis quid ſit. 392. & 396
Genealogiam Iobi, quæ a ſeptuaginta, & Theodotione ponitur in extremo libro, agnoſcunt viri grauiſsimi. 540
Gratiæ Dei vel ipſum intelligere referri debet acceptum. 347
Grati animi teſtificatio ſecundę beneficentię cauſſa eſt, ac materies. 96

H

Haereſiarcharum ſententiæ non congruunt. 524
Hæreſiarchæ ſunt os Draconis. 523
Hæretici ſunt nares Draconis. 524
Hæreticorum Cetus latera ſunt Satanæ. 510
Hæretici oratio reputatur in peccatum. 323
Hæretici metu carent: Deum non timent: Deitatem aſpernantur: excolunt Sodomam, Gomorrham, Aegyptum. 344
Eorum mores, & inſtituta proſequitur Origenes. ibid. & 345
Hebraica lingua eadem Syriaca appellata: quoniam eſt Syriacæ finitima. 543
Heſperus cuiuſmodi ſtella. 212. & 492.
Hiſtoria Iobi nulla in orbe terrarum antiquior. 127
Hiſtoria Iobi ad omnem ſolandam ægritudinē eſt medicamentū. 479
Hiſtoriæ ſacræ primum danda eſt opera, deinde Anagogię. 509
Hiſtorię Iobi ſcriptor Moyſes, aut Salomon. 316
Vide caput 2. prolegomenon.
Homo quid ſit phyſice, quid a diuinę ſcripturæ ſenſu. 51
Homo mortuus non abit in nihilum, ſed animo viuit. 267
Homo cur præ ceteris rebus ærumnis exerceatur. 168
Hominis excellentia qua in re maxime oſtendatur. 195. & 196
Homo animal prædicandum. 487
Hominis in calamitate verſantis qualis debeat eſſe precatio. 506. & 507.
Homo abſque Dei ope Diabolum nequit debellare. 515
Homines paria requirunt. 225
Homines ſcelerati, qui in Inferno erant, e Christi deſcenſu voluptatem ceperunt. 212
Hominis ſolitarij, & onagri allegorica comparatio. 497
Homicidij pœna eſt conſtituta in eos, qui ſibi necem conſciſcunt. 414
Honor perinſignis eſt ac dignitas precibus placatum Deum peccata concedere. 533
Hortanti qui finis debeat eſſe propoſitus. 184
Humanæ naturæ imbecillitas quibus collationibus declaretur. 262
Humanis in rebus nil graue præter peccatum. 111
Humanis in rebus minime gloriandum. 145. & 146
Hypocritæ, qui ſpecie dumtaxat pietatem oſtentant, contra ſe ipſos

diuinam iram opponunt. 464
Hypotheſis, ſeu argumentum in Iob e Polychronij ſcriptis. 35. & 36
Hypotheſis in eumdẽ librũ, ex Olympiodori Commentario. 39. 40. 41

I

IESVS *Chriſtus aduenit, vt quæ ſanari non poterant, ſanaret.* 459.
Ieſus dumtaxat ambulauit in Abyſſo. 488
Ignis, qui non ſuccenditur eſt inferorum ignis, & conſcientiæ. 329. & 332.
Illacrymari ijs decet, in quos Deus animaduertit, non in eoſdem inſultare. 319
Imperium omni facilitate, atque humanitate temperandum. 429
Impij ſunt dogmatum peruerſitate corrupti. 357
Impij ſua felicitate fiunt deteriores. pag. 337
Impij pęnis a Deo tandem afficientur. 339
Impij iuſtis diuitias parant. 383
Impij exitus varijs collationibus deſcribitur. 384
Impij in potentiorum poſſeßionem rediguntur. 385
Impius ad extremum feliciter non peruenit. 205
Impius mala, quæ eum manent, vitare non poteſt. 302
Impius in hac vita non ſemper, ſed in altera pęnam perſoluit. 306
Impiorum diuitiæ ſomnium. 384
Impiorum ſpes rebus, quæ nuſquam ſunt; quæq; firmitatem non habent, eſt ſubnixa. 202
Impios punire eſt diuinæ potentiæ. pag. 487
Improbi non ſunt homines veri, ſed picti. 51
Improbi piorum uirtutes calumniantur. 72
– *Vitijs virtutum nomina imponunt.* 73
Improbi cur non dant ſuorum ſcelerum pęnas in Terris. 157
Improbi in rebus afflictis amicorum palam cernuntur amicitiæ larua detracta. 182
Improbitas a ſe ipſa vulneratur. pagina. 71
Improbitatis auctori certum eſt cõſtitutum ſupplicium. 284
Improbitate abſtinere quando in laude ponendum. 103
Improborum actio telam aranearum imitatur. 202. & 203
Incarnationis myſterium Iobus enunciat. 143
Infantibus non parcere crudelitatis maximæ eſt. 365
Infidelis cur ne obolum quidem habeat. 277
Infidelis nullum Deo honorem tribuit. 280
Inimicorum pernicie minime lætandum. 429
Iniuria qui pauperes violant, eorum ad Deum clamorem perferunt. pag. 445
Iniuriam facere, & beneficio non afficere par eſt. 424
Iniuriam qui in alium iacit, caret libertate loquendi. 382

Iniuſtus

Iniuſtus homo nequit iuſto eſſe prudentior. 121
Innocens quis. 52
Innocens cur mala perpetiatur. 201
Innocens nullus apud Deum. 221
Inopia nec mutis eſt tolerabilis. 177
Inſidiatores qui ſint. 312
Interficere ſe ipſum nefas. 414
Inuehi in afflictos nefas. 308
Iobus vere fuiſſe homo, & in rerum natura extitiſſe aduerſus Iudæos probatur. 9. & 10
Iobo quod nomen fuerit. 10
Iobus Idumæus, & Arabs. 11
Ex Eſau familia procreatus. pagina. 11. & 12
Iobus ſacerdos, & Propheta, Rex, & martyr fuit. 12. & 13
Iobus quot annos natus vexatoris Satanę ſit crudelitatē pernitiemq́. expertus. 30
Iobus quot annos plagæ acerbitatem tulerit. 31. 32. 33
Quot annos poſt plagam vixerit. pag. 34
Iobus in omni concertatione, quę inter ipſum, & amicos verſata eſt, nihil peccauit. 15. 16
Iobi virtutem cur Deus tot ęrumnarum machinis tentari voluerit. pag. 25. 70. & 534
Iobus cum Diabolo cœpit ante meridiem prælio decertare. 76
Iobus triplici vulnere aduerſarium ſauciauit. 129
Iobi verba omnia defenduntur. 130
Iobus Rex. 160
Iobus cur optarit interitum. 231
Iobus ſuarum tentationum cauſſas ignorabat. ibid. & 480
Iobus haud vir fortis fuiſſet, niſi illata mala ſenſiſſet. 231
Iobum latebat, cur Diabolo a Deo in eum facta poteſtas eſſet. 225
Iobus præcipuo augebatur dolore, quòd nullius facinoris conſcientia oppreſſus, tamquam impius ad pœnitentiam ab amicis incitaretur. pag. 241
Iobus tamquam Propheta de Mundi interitu, & Reſurrectione vaticinabatur. 243
Iobi libri vtilitas. 45. 543
Iobi nomen quid ſignificet. 51
Quomodo iuſtus fuerit. 53
Omnia tentationum genera perpeſſus eſt. 90
Alienas ęrumnas ſolabatur. 156
Aliis doctor erat. 156
Iobi voluntas religioſa, quamuis ſermones eius obſcuriores. 198
Iobum Catenę Auctor inuocat. 343
Regnauit in Edom. 542
Quinctus fuit ab Abrahamo. 541
Iobus fuit ante legem. 42
Vitam ad legis, atque Euangelij rationem expreſſit. 533. & 537
Ei cur non duplicati fuerint filij poſt plagam. 537
Iobus cur omnes legis benedictiones fuerit adeptus. 536. 537
Iobi filiæ quibus nominibus appellatæ, & nominum ratio. 538
Iobus filios ſuos in æquales partes hęreditatis vocauit. 539
Iobus poſt plagam ſacerdotium iure non eſt auſus, niſi Deo auctore. pag. 540
Iobus cum CHRISTO *reſurrexit. pag.* 540

Iobus in ſterquilinio poſitus CHRISTI *typus*. 112

Iobus immemor iniuriarum. 536

Priores opes ei datę, nō tamquam præmia virtutis, ſed illius exercendæ materies. ibid.

Iobus non uidit Deum, ſed audiuit. pag. 530

Is in collocutione Dei illuſtriorem eſt futuræ incarnationis notitiam conſecutus. ibid.

Iobus patientiæ ſimulacrum vniuerſo hominum generi ad animi mærentis ſolatium propoſitum. 479

Iobus cur Diaboli poteſtati permiſſus. 479

Iobus diuino iudicio, atque ſententia laudatus. 532

Iracundia iracundo adfert interitum. pag. 166

Iridis procreatio mirabilis. 468

Iudas eſt intemperanter pœnitentiæ vſus. 520

Iudicamus non ex factis, ſed ex animi conſilijs. 102

Iunioris interdum prudentia canitiem habet : contra accidit ; vt nonnumquam, qui eſt ętate prouectior, ſit intelligentia iunior. 437

Iuſti cur in manus impiorum ſępenumero tradantur. 217

Iuſti Cypreſſo comparantur. 510

Iuſtus non poteſt quis eſſe, niſi ei propoſitus ſit aduerſarius. 372

Iuſtis detrahere capitale eſt. 533

Iuſti ſtellis cur comparentur. 329

Iuſtus etiam pro alijs apud Deum poteſt eſſe deprecator. 532

Iuſtos accuſare eſt nefas. 533

Ab ijs errati uenia petenda. ibid.

Iuſtorum actiones Deus non aſpernatur. 160

Iuſtus nemo, ſi ad Dei perfectam normam eius vita exigatur. 208

Iuſtus ſi a ratione declinarit, in viam facile reuocatur. 296

Iuſtus omnibus virtutibus eſt cumulatus. 53

Iuſtus quiſnam ſit. 54. 55

Iuſtus non omnem humanitatis ſenſum exſuit. 177

Iuſtificatur nullus, niſi quem Deus gratis iuſtum effecerit. 208

Iuſtitia cuncta hominum opera commendat. 52

Iuſtitia duplex ; priuata, & communis. 53

Sine iuſtitia felicitas nequit conſiſtere. 201

K

Κερηματιχῆναι *quid ſit*. 506

Κορμός *quid*. 265

L

LABORIS *nomine peccatum in ſcriptura intelligitur*. 155

Λάφυρα *ſpolia ; exſuuiæ, præda*. pag. 248

Læditur nemo niſi a ſe ipſo. 87

Lætitia impiorum breuis. 322

Lapſus cauſſa non eſt tentatio, ſed torpor, & ignauia. 86

Laudare quando ſe quiſpiam poſſit. 401

Leo teterrimi odoris. 179

Leo præcipuum, & imperioſum animal. 229

Leuiathan eſt princeps Dæmonū. 513
Leuiathan Hebræi cetos magnos nuncupant. 504
Doctorum Eccleſiæ pars maior Leuiathan Satanam interpretatur. ibid.
Liber Iobi e quo genere, quaue claſſe ſit ſacrorum librorum. 3
In numerando qui locus ſit ei tribuendus. ibid.
Sit ne totus Canonicus. 4
A quo ſit ſcriptus. 5. 6
Quo tempore, & quibus de cauſſis ſcriptus. 6. 7
Quo genere ſermonis ſcriptus. pag. 7. 8
E quo genere orationis, ſolutę, an poeticę. 8
Quot in partes tribuatur, & quæ ſit cuiuſque partis propria hypotheſis. 13. 14
Libertas vera in iuſtitia ſita. 423
Liberum arbitrium habemus quo vincimus, aut vincimur. 65
Libido obſcœna feminarum in Vmbilico, Virorum in lumbis reſidet. 509
Lignum inſanabile quod nam dicatur. 368
Lingua nihil improbius. 172
Loquacitas hominem calamitoſum commouet vehementius. 253
Lucifer eſt ſiderum princeps. 486
Luctari cum Dæmonibus qua ratione debeamus. 88
Lumbis conſtrictis cum Deo loquendum. 506

M

MAGISTER *ſpiritualis eſt, qui ſuis alumnis Diaboli inſidias omnes retegere poßit.* 519
Magiſtrum diuinum cuiuſmodi eſſe deceat. 417
Maledicere rebus a Deo creatis qua ratione liceat. 137
Mala cuncta nobis eueniunt, iudicium faciente Deo. 506
Mali qui nihil patiuntur, facile alios conſolantur. 285
Malis, qui affligantur, nolunt ea celari. 291
Malum non ſolum fugiendum, ſed bonum etiam ſuſcipiendum. 346
Malorum genera tria naturalia, uoluntaria, tentantia. Prima naturæ infirmitati adſcribuntur: media libero arbitrio: poſtrema Dei Prouidentiæ. 244
Malorum, quæ paſſus eſt Iobus, vim, & magnitudinem exequitur Chriſoſtomus. 124 ad 127
Mandatis diuinis parendum potius, quàm noſtra promiſſa exſoluenda. 528
Manibus ſuis qui nam ingrediantur. pag. ibid.
Manus Dei duplex, vltionis vna præſidij altera. 74
Manus lauare innocentiæ olim argumentum fuit. 219
Mare non ſtatim omne, ſed paullatim productum. 485
Ab eo nubes, nebulæ, & vapores oriuntur. ibid.
Id nō ſolum Terra, ſed aëre etiam continetur. ibid.
Quomodo contineatur, ne Terras obruat. ibid.
Cur inſedatum ſit a Deo conditum. 486

Ma-

Maris terminus quemadmodum ſit arena, fatetur ſe ignorare Greg. Nazianzenus. 377
Maria Soror Moyſis cur lepra fuerit infecta. 532
Mazuroth quid ſit. 491
Mens princeps partium animæ. 408
Mens magna pro Dæmone apud Iſaiam. 494. & 504
Mentientium oris non oſtium vnum, ſed multa. 520
Meridie, cum Soli noſtro capit imminet, nulla nec aduerſa nobis, nec auerſa gignitur vmbra. 239
Metus quid. 202. 269
Monoceros animal quod nam ſit. pag. 498
Monoceros in ſacris litteris tum in bono, tum in malo ponitur. ibid.
Montes qui nam ſint qui à Deo tacti in fumum vertuntur. 210
Monozoni qui nam ſint. 408
Morbo laboranti eſt ſermo acerbus. 134
Mors delet vniuerſa, exceptis impijs facinoribus. 324
Mors cur ſomnus dicatur in Iobi execrationibus. 145
Mors portus, & ceſſatio præſentium malorum. 146
Mortis bonum eſt, quod improbi per eam a malo agendo prohibeantur. pag. 147
Eſt requies, & cur ſit requies. pag. 150
Mortem tamquam beneficium Iobus poſtulat. 180
Mortem ſibi conſciſcere eſt vetitum. pag. 414
Mortuorum cura non negligenda: ijs oblatio prodeſt. 69
Morum æquitas acutiſſimum aduerſus inuidum eſt iaculum. 72
Moyſis ætate ſcriptus liber Iobi. pag 320
Muliere Diabolus ad viros circumueniendos vſus eſt. 113
Eius fraudibus multi ceteroqui conſtantes oppreſſi ſunt. 118. 119
Multiplices homines qui nam ſint. pag. 169
Mundum, & cælum dupliciter dicitur. 239
Mutationi obnoxia cuncta, quæ ex nihilo ſunt condita. 163
Myrmicoleo animal cuiuſmodi ſit: & quid eo ſignificetur. 159

N

NEELASSAE *auis natura.* 498
Nominum notitia ad rerum ſubiectarum naturam exigenda. pag. 491
Non eſſe omnino quidquam, quàm eſſe miſerum in perpetuum, recto, iuſtoq. appetitu optari debet. pag. 144
Noſce te ipſum: ſententia multo antea vſurpata a noſtris, quàm externi eam Philoſophi viderint. pag. 173
Nox obſequitur improbitati. 117, & pag. 367
Nubes ſymbolum cæli. 481
Nubes ſanctorum vita. 459
Nudi cum Dæmone prælio concertare debemus. 88. 89
Nudi cur in lucem ſuſcipiamur. 98
Nullus peccato caret. 163

OBE-

OBELISCO in ſacris Biblijs quæ notentur. 59
Obſcuritatis, quæ ineſt in ſacris litteris, decem cauſſæ a Polychronio explicatæ. 37. & 38
Obtrectare abſentibus graue eſt. 308
Oculus ſuapte vi delator eſt eorum, quæ in animi latent receſſu. 121
Oculus eſt dux viæ ad intelligendum: pes dux viæ morum. 403
Onagrorum greges in Phrygia, et Lycaonia. 497
Onager animal robuſtum, & intractatum, in ſolitudine, ſalſiſq. locis degens. 497
Montes errando obit. ibid.
Opera filij ſunt vniuſcuiuſque. 344
Opificem rerum omnium nemo poteſt ignorare. 250
Opificij, & Prouidentiæ idem Princeps, ac Dominus. 226
Oratio, atque exitioſa adhortatio ſæpe frangit, quem rerum natura euertere non potuit. 128
Orbis terrarum, Angelis, & dæmonibus refertus. 69
Organis ſunt vſi in templis, eorumq. vſus cum pietate poteſt eſſe coniunctus. 420
Originis peccatum probatur ex Didymo. 220 & 229
Originale peccatũ aſſeritur. 263. 522
Orionis ſidus. 491
Ortui noſtro Deus præeſt. 227
Os aperire qui nam dicatur. 136

P

PAPYRUS quid in Satana ſignificet. 502
Parabola in ſcriptura non ſolum ſimilitudinem, ſed & ſapientem ſermonem deſignat. 380
Paria exigunt homines: Deus de multis pauca requirit. 225
Parænetici ſermones quibus ſalibus adſpergendi. 178
Partuum, cur nonnulli abſoluantur; alij nequaquam: quidam etiam extinguantur, rationem explicare haud eſt mentis humanæ. 146
Paruuli humiliantur; cum Adulteræ filij nominantur. 422
Pati pro CHRISTO optabilius, quàm a CHRISTO honoribus affici. 111
Patientiæ præſtantia. 127. 128
Patientia homines Sancti Diabolum ſuperarunt. 128
Paupertas diuitijs præſtat & morbus valetudini. 110
Pauperes nulla accepta mercede diuitibus operam nauare ſummæ iniuſtitia. 364
Pauperes animo fuerunt priſci Patres, qui diuitiis abundabant pag. 426
Pauperes ſtipem corrogantes aſpernari periculoſum. 359
Peccans qua ratione veniam ſperare poſſit. 266
Peccans ſemper timet. 278
Peccatum in Deum, & hominem admittitur; impietas contra Deum concipitur. 226
Peccatum cauſſa ſuppliciorum. 271
Peccatum Originale Iobus deplorat pag. 138
Peccatum Originale ad nos permanauit. 139 & 522

Pec-

Peccatum in Deum referri nulla ratione poteſt. 196
Peccatores corpus Diaboli. 524
Peccatores Deus tribus viis ad pęnitentiam excitat. 447
Peccatum intelligentię oculum excæcat. 523
Peccatum ob honorem qui iuſtis defertur, a Deo condonatur. 531
Peccata omnia, vt vitentur fieri non poteſt. 371
Peccatum tantum graue eſt in rebus humanis. 111
Peccatum ſuum vnuſquiſque habet vltorem. 369
Peccantem Deus ſeruat; vt ad pænitentiam deducat. 219
Percuſſionum uaria genera. 40. & pag. 107
Peregrinatio ad Iobi ſterquilinium viſendum ſuſcipitur. 109
Periſtomium ora ſuperior veſtis; quæ vndique collum complectitur. 280
Perpeſſionum, & recte factorum comparationem habes preclaram. pag. 111.112
Perſeuerare in malis vnde. 144
Perſonam accipere quod nam ſit peccatum. 350
Perturbationes duę tyrannide incredibili mortalium mentes opprimunt, cupiditas, & miſericordia. pag. 124
Perturbationes principio facile ſuperantur; corroboratæ maiore feruntur impetu. 159
Perturbationum eſca res ſub ſenſum ſubiectæ. ibid.
Philoſophia uera ſtatum aduerſum, & ſecundum recte moderatur. pag. 81
Philoſophia non tollit naturales affectus. 85
Piloſophandi ratio quæ ſuperuacanea. 394
Phęnicia prius Chananęa vocata. pag. 515
Phęnices maxime mercaturæ dediti. ibid.
Phorologi & exactoris diſcrimen. pag. 147
Pietate excepta nil noſtrum in hac vita dici poteſt. 93
Pietas vera in quibus rebus ſita, ex ſententia Cyrilli Hieroſolymitani. 55
Piraterium quid ſit. 189. & 230
Plaga diuinitus illata, cum deteriores melioribus dominantur. 324
Plagas ſuas Sancti cur Deo acceptas referant. 195
Plaſmare non idem, quod facere. pag. 226
Pleiades, ſeu Vergiliæ explicatæ à Baſilio. 211. & 212
Pœnis homines a Deo purgantur. pag. 355
Pœnis exercet homines Deus, non ſolum ob peccata verum etiam alias ob cauſſas. 362
Pęnitentiæ fructus. 446
Ponos græcum nomen quid valeat. pag. 55
Poteſtates, quæ a Deo ad Satanam defecerunt, duræ, atque implacabiles ſunt. 525
Præmia ijs poſt hanc vitam reſeruata, quorum probata eſt virtus. pag. 360

Precationi integri hominis non ſemper Deus fauet. 201
Promiſſa ſeruare nefas, vbi iis Dei aduerſatur voluntas. 528
Proſpere agere ſemper vnius eſt Dei. 120
Πρωτοστάτης qui in prima acie verſatur. Apud Ambroſium Dux Præfectus. 279
Prouidétię diuinę ratio nequit comprehendi. 169. 340
Prouidentiam Dei nulla res fugit. pag. 173 & 203
Prouidentiæ diuinæ eximium opus eſt fetus conſeruatio intra aluum maternam. 228
Prouidentia Dei vel in minimis rebus maxime elucet. 501
Prudens, cum ſeneſcit, in ſapientia proficit. 246
Prudétum cogitata ita Deus peruertere poteſt, vt ea nullus conſequatur euentus. 248
Pupillos male accipere ſummæ nequitiæ argumentum. 350
Pupillis maxime opitulandum. 351
Purum impuris labris contingere nefas. 41

Q

QVOD ſeminat quis, hoc metit. 157

R

RAPTOR, & ſpoliator apud Origenem eſt qui aut nudum non induit; aut panis indigentem non alit. 349
Recte facta ſua commemorare quo tempore laudem habeat, ſeu vituperationem. 401
Regnare nullus ſine Deo poteſt. pag. 248
Reprehéſione vacare maius eſt quam crimine. 52
Reprehenſio in minimis culpis adhibetur. ibid.
Rerum opificia, antequam ipſę ſecernerentur extabant. 490
Rerum humanarum amiſſio quemadmodum nihil ſit. 94
Rerum, quæ a Deo effectæ ſunt, perfectam ſcientiam habere ſolius eſt Dei. 246
Reſurrectionis miſterii Iobo cognitum fuit. 193. 269. 270
Reſurrectionis dogma eccleſiaſticum docemur ab Iobo. 316
Reſurrectio carnis probatur. 266
Ea in ictu oculi futura. 267
Reus eſt non ſolum qui iniuriam facit, uerum etiam qui benigne non facit. 349
Rhadamnus quid ſit. 265. 282
Rhadamni etymologia. 282

S

SABAEVS *quam rem ſignificet. pag.* 188
Sacrificia per ſe homines offerebant ante legem. 532
Sacrificia impiorum Deus repudiat. pag. 323
Sales qui nam ſermonibus noſtris adſpergendi. 177
Sanctis mos hic fuit plagas quas accipiebant ab hoſtibus, Deo acceptas referre. 195

Sanĉti diuini praeconij iure accipiunt, quae flagitioſi homines bona parant ad ſcelus. 284
Sanĉti cum maioribus honoribus, amplioribusq. ornamentis cumulantur, modeſtius de ſe ſentiunt, & loquuntur. 530
Sanĉtorum voces vilitatem habent adiunĉtam. 136
Sanĉtis hominibus magnum honorem Deus impartitur, 535
Sapiens ſolis Sanĉtis notus. 390
Sapientia quae nam ſit apud Iobum; quae item ſcientia. 394
Sapientia Dei eſt ratio opifex; qua mundum condidit, ac moderatur. 189
Sapientiam hanc noſſe homines nequeunt. ibid.
Sapientiam Diuinā Dei gratia aliqua ex parte aſſequimur. ibid & 390
Eſt item ratio colendi numinis, quam Deus nos docuit. 394
Sapientia eſt uera de Deo opinio. ibid.
Eius laus. ibid.
Sapientiae diuinae eſt, vt laxamentum aliquod, atque exitum malis quaerat humanis. 475
Sapientiae adipiſcendae quid ſit ſatis. pag. 373
Sapientia humana eſt item Dei munus. 390 & 391
Satan mentem obfirmatam, atque inexorabilem vſque ad extremum ſeruat. 510
Satanae eſt a Deo vita conceſſa, vt Sanĉtis Dei eſſet ludificationi. pag. 511
Satanam CHRISTVS *anulo, & capiſtro deuinxit.* 514
Satanas quo modo in Dei conſpeĉtum veniat. 67 & 99
Satanae lumbi, & vmbilicus quid ſignificet. 509
Quid nerui. 510
Quid coſtae. ibid.
Satanae diuina ſcriptura corpus affingit. 509
Eius primus conatus, vt hominem libidini dedat. ibid.
Satan ea feritate eſt, cui haud par ſit oratio vlla. 525
Satan eſt ſumma animi obſtinatione, atque ſententiae. ibid.
Ab eo, qui vim acceperit perinde, vt ille cor habet implacabile, atque indomitum. ibid.
Satanae membra ratione quadam improbi dicuntur: ſicut boni membra CHRISTI *appellantur.* 511
Satanam ante omnia creatum eſſe nonnulli prodiderunt. ibid.
Eum vnum quemdam ex principatibus quidam fuiſſe tradiderunt. ibid.
Idem Principatu deieĉtus quod manus contra Deum ſuſtulerit. pag. ibid.
Satanas non imperat inuitis hominibus, ſed vltro obtemperantibus. 511
Scientia apud homines labore perficitur, & tempore accedit. 246
Scientiae humanae eſt modus quidam: nec ea poteſt ad Dei iudicia accedere. 236
Scripturae diuinae mos eſt cognatos omnes, & propinquos fratres, ſororesq. appellare. 535
Scripturae diuinae mos eſt futura prae-

præteritis verbis enunciare. pag. 366
Scriptura rebus inanimatis ſermonem affingit. 391
Scripturæ mos eſt eum errorē qui libera a nobis voluntate ſuſcipitur, Deo ob ſummam eius patientiam, indulgentiamq́. adſcribere. 249
Scriptura ſacra non numquam meminit græcorum fabulas. 538
Scripturæ veritas comprobatur. pag. 133
Scurræ vitandi. 433
Senem a iunioribus admoneri graue. 409
Septem numerus perfectus. 532
Septuaginta interpretum editio commendatur. 43
Septuaginta interpretibus binis cellulas, non ſingulis ſingulas attributas eſſe credidit Epiphanius, Iuſtinianus Imperator, & Olympiodorus. 44
Sepultura carere graue animaduerſionis genus. 279
Sermo cum interrogatione valde ad coarguendum valet. 483
Sermo durus hominis animum valde attingit. 307
Sermo rectus, niſi etiam recte promatur, eſt reprehenſione dignus. pag. 320
Sermo ſale conditus quis ſit. 177
Sermo qui ſine operibus profertur, nec conſtans, nec fide dignus eſt. pag. 187
Sermonis character, non minus eius parentem oſtendit, quàm filiorum forma eos, a quibus ſunt procreati. 407
Sermones animorum ſimulacra. ibid.
Sermones probroſi ad depiſcendos artus ſatis ipſi per ſe valent. pagina. 315
Sermonibus moleſtis multi, in quos incurrunt ærumnæ, deiecti ſunt. pag. 186
Seruus, & Dominus nuda ſunt nomina re carentia. 423
Vide huius ſententiæ explicationem. ibid.
Seruitus in peccato, libertas in iuſtitia ſita eſt. 423
Seueri arguitur error; qui maris, ac feminæ coniunctionem poſt Adæ peccatum repertam eſſe tradit. pag. 137
Simplex qui nam dicatur. 103
Simplex tum ſtolidum, tum innocentem ſignificat. 205
Sinus pro re, quæ nec diuelli, nec diſiungi poteſt, accipitur in ſacris litteris. 317
Sirenes aues quæ ſint. 416
Smerites lapis ſolidiſſimus, ferrum ad ſe rapit; ad inſculpendum in vitro adhibetur. 522
Soboles ſpecioſa, & copioſa haud magni fieri debet. 269
Sole verticibus noſtris imminente cur nulla gignatur vmbra. 239
Sol, & Luna ad Deum opificem deducunt. 433
Sophar Minæorum Rex. 131. & 543.
Sophir Africa eſt vnde aurum exportatur: vbi aurum gignitur præſtantiſſimum. 354
Sophir dicitur etiam Regio apud Indos. 391

Spes eſt rerum bonarum exſpectatio. pag. 262

Spiritus Sancti gratia hominis animum ſubito imbuit ſapientia. pag. 438

Spiritus Sanctus eſt Deus, & ſicut filius opifex. 443

Spiritus Sanctus ſecundum naturam proprius eſt Vnigeniti. ibidem.

Stellæ, & aſtri diſcrimen. 491

Sternutamentum bonæ habitudinis ſignum. 222

Quid ſit, & eius commoda. ibid.

Sterquilinium Iobi in Arabia viſitur: anniuerſariis honoribus ab indigenis colitur. 541

Sterquilinij Iobi mira laudatio a pagina 108. ad 111

Sterquilinio Iobi ipſi digni non ſumus. 418

Striphnus quid ſit. 326

Struthio quod animal. 416

Supplicium quod vni debetur, ab alio ſuſcipi non ſolet. 200

Συνίςωρ cognitor, conſcius, teſtis. pag. 220

Syriam pro Palæſtina, & Syros pro Palæſtinis vſurparunt nonnulli. pag. 541

T

TEMPVS *nullum præſens nobis.* 359

Tenebræ cuiuſmodi, & quales erant, quæ occupabant abyſſum, ex ſententia Methodij. 494

Tenebræ noſtrates effectore carent. pag. 495

Τένων colli neruus, qui ad talos vſque producitur. 289

Tentatio tum melior, tum vtilior pacata vita. 110

Tentationum duo genera, vnum egeſtatis, alterum diuitiarum. 534

Terra tantum voluntate Dei fixa cohæret. 476

Terræ duo genera. 387

Terræ fundamenta hominum ſunt naturæ ignorata. 483

Cuiuſmodi ſint ex ſententia Philoſophorum. ibidem.

Terræ vis, ac robur eſt fructuum vbertas. 432

Terræ, ſi quid addatur, erit inanis; ſi quid detrahatur, corrumpetur vniuerſa. 484

Terræ motus tempore mortis CHRISTI *maxime generalis: quo, vt viſum eſt Didymo, tota ipſa Terra conquaſſata, eſt e centro conuulſa.* 210

Textrix ars non vulgaris. 493

Thamanus, quam notionem habeat. pag. 188

Θῖνες arenarum acerui. 273

Thronus Dei multipliciter in ſacris litteris nominatur. 377

Timor Domini initium virtutum. pag. 370

Timor eius opus eſt noſtrum: Timor ab eo gratia, & donum. 371

Tolerantia Iobi vnde manabat. pagina. 181

Tolerantia iniuriarum maxime eſt admirabilis. 451

Tonitrus quemadmodum, & vnde exiſtat. 379

Tonitrus, reliquaq. omnia ad Dei notitiam

titiam valent. 507
Tragelaphus ex ſpecie ceruorum. pag. 496
Tragelaphi deſcriptio. ibid.
Tranquillitas animi rerum omnium eſt pretioſiſsimum peculium. pagina. 451
Trinitatis fides ſeptem donorum omnium opifex, ceterarumq́. virtutum caput. 57
Turbo quid. 481

V

VACVVM *quid apud Olympiodorum.* 475
Ventris ſatietas libidinis eſt radix. pag. 509
Verax eſt, qui nec ſimulat, nec falſo prætexit virtutem. 205
Veracis, & integri hominis non ſemper Deus precationi fauet. pagina. 201
Verbum appellatur, etiam dum in mente eſt, antequam proferatur. pag. 482
Verba poſſe cohibere in primis ſapientiæ opus. 441
Verbum nouit radicem ſapientiæ; quomodo, & vnde fluat. 397
Verbis nudis remotis rebus mollimur interdum. 114
Veritas grauis accidit multis. 186
Victimæ magnitudo peccati magnitudinem in Iobi amicis demonſtrat. 533
Victoria, quando quis patitur, potitur. 85
Victoria, & finis idem apud Hebræos obtinet nomen. 359
Vidua non eſt inanis dimittenda. pagina. 350
Ei maxime ſubueniendum. 351
Viduæ ſunt ingratæ ijs, a quibus ſunt beneficijs affectæ. 402
Viduitas miſerabile peculium. pagina. 383
Viduitas furnus paupertatis. pagina. 402
Vinci a tentatione quid ſit. 97
Virtus in verorum dogmatum incorrupta diſciplina, atque in recta viuendi ratione conſiſtit. 86
Viæ tres cum viro, quas Deum Elius ait cum homine operari, quæ nam ſint. 447. 449
Virginis formam qui intuetur, incommodum, ac detrimentum vitare non poterit. 412
Incorruptum, atq; integrum cum Virgine commorari, ex earum rerum quæ fieri non poſſunt genere Iobus eſſe ſtatuebat. ibid.
Virtutis magiſter homo eſſe non poteſt, ſed Deus. 347
Virtutis ſummæ argumentum libenter ferre iniuriam. 451
Viſa cur in tentationibus potiſſimum eueniant. 194
Vita quomodo ſumatur. 263
Vita nullius hominis vſquequaque beata. 120
Vita hæc quàm miſera. 23
Vitam cum timore quam diu traducimus nihil a ſeruis diſtamus. pag. 189
Vitæ certum curriculum Deus vnicuique circumſcripſit ex Athanaſio, Didymo, Baſilio, Iuliano. pag. 264

Vitij

Vitij, & peccati diſcrimen. 348
Vitium non ſolum virtuti, ſed ſibi quoque eſt contrarium. 525
Vitium nihil habet copulati, nihil certo ordine deſignati. 204
Vitulus a Iobo immolatus typus CHRISTI. 61
Vmbra mortis in ſacris litteris pro periculis morti propinquis vſurpatur. 367
Vnigenitus diabolum exterminauit. pag. 491
Vniuerſitas hęc rerum pro litteris eſt cuilibet homini. 476
Voluptas ſummam inter mortales exercet tyrannidem. 124
Voluptarij homines ſpiritualium hominum ſtultam arbitrantur eſſe condicionem. 244
Vota vt Deo reddantur, Deus præſtat. 355
Vox quid ſit. 374
Vulturis vis, & natura quomodo ad Theoriam adhibeatur. 502
Vxor Iobi Regina. 116
Vxor tamquam poſtrema machina a Diabolo contra Iobum reſeruata. 103
Plenum doli fuit inſtrumentū. ibi.
Iam deſperatione fracta erat. 114
Suadebat viro blaſphemiam in Deum: quia hac ratione putabat illum ſtatim extinctum iri. 118. 119.
Vxor Iobi conſors conſequentium bonorum Olympiodoro. 129
Verum Seuero longe ſecus eſt viſum. 541
Vxoris Iobi verba, quibus virum ad obtrectandum Deo conatur adducere; quæ verba apud ſeptuaginta reperiuntur, tamquam ſacræ ſcripturæ verba plerique Doctores accipiunt, atque interpretantur. 113

Z

ZELVM *Dei eſt odium in improbos.* 166

F I N I S.

VENETIIS

APVD IOLITOS.
M. D. LXXXVII.

Cum Priuilegio Summi Pontificis, Cæſareæ Maieſtatis, Senatus Veneti; & omnium ferè aliorum Italiæ Principum.

1-6-2